GASPARINI
BARZIZII
BERGOMATIS
ET
GUINIFORTI FILII
OPERA

Quorum pleraque ex MSS. Codicibus nunc primùm in lucem eruta recensuit, ac edidit

JOSEPH ALEXANDER FURIETTUS

BERGOMAS

UTRIUSQUE SIGNATURÆ REFERENDARIUS,

Abbas SS. Simonis, & Judæ Bergomi, nec non B. Mariæ, omniumque Sanctorum de Galgario Perpetuus Commendatarius.

PARS PRIMA.







ROMÆ M·DCC·XXIII·
Apud Jo: Mariam Salvioni Typographum Vaticanum
In Archigymnasio Sapientiæ.

SUPERIORUM PERMISSU.

Ægidij Giannini·
ex dono R. P. D. Furietti·





Sanctiſs.[mo] Domino Noſtro

INNOCENTIO
DECIMO TERTIO
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

JOSEPH ALEXANDER FURIETTUS

FELICITATEM.



Ultæ, nec leves quidem cauſæ B*EATISSIME* P*ATER* *me Tuo Nomini inſcribere meditantem hæc Barziziorum Monumenta à propoſito deducebant, operis tenuitas tan-*



tanti Principis magnitudine parum digna, latinus Auctorum sermo, qui nondum in adultam creverat eloquentiam; & quidquid ad hæc perexigui sanè ingenii labor adjecit. Verùm, cùm ad animi Tui amplitudinem, qua maximas res metiris, & minimas, consilium meum referebam; nihil erat, quare hoc à Te improbandum putarem. Maximè quia nos omnes in Tui admirationem adducit eximia Clementia Tua, quæ cumulo cæterarum Virtutum accedit: quibus magis, quàm claritate Generis, ac Majorum Tuorum gloria Tibi dignitatem accersis.

ſis. Has egregias animi dotes, quibus cæteris longè præſtas, ſingularis, & excellens Tua natura cum prima ætate conjunxit; eòque procedentibus annis provectus es, ut omnes ad Te Virtus honoris gradus detulerit, quibus facilè ad ſummum Pontificatus apicem aſcendiſti. Ita verò ab ineunte adoleſcentia Te literarum ſtudiis addixiſti, ut quidquid à publicis curis vacaret, in illarum cultum, & exercitationem contuleris. Te enim præclarâ indole, ac doctrinæ ſplendore excitatum clariſſima Virtutum exempla, quæ longâ Pontificum ſucceſſione Domo Tua pe-

peterentur, æmulum domesticæ laudis esse admonebant. Atque adeò totum vitæ cursum ad illorum rationem accommodasti, ut omnium simul famam antecesseris: qui tanto superiores gloriâ vicerant, quanto Tu omnibus præstitisti. Quare non est, cur miremur à Te maximam benevolentiam proficisci in eos omnes, qui ad optimas disciplinas, ac scientias incumbunt; illisque ad majora in dies peragenda non parvum incitamentum addi. Hac spe innixus mihi neminem succensurum duxi; si Tuis advolutus Pedibus has Barzizianas lucubrationes offer-

rem,

rem, quæ adversus injuriam temporis, squaloremque, in quo diuturno annorum spatio jacuerunt, amplissimi Nominis præsidium, ac lucem pro Tuo in literas amore consequantur. Tuæ itaque summæ sapientiæ erit, renascentis latinæ linguæ primordia lætâ fronte excipere; & si unquam à maximis occupationibus, quibus distinêris, ad otia literarum Te transferas, aliquam partem demittere cogitationis Tuæ in istorum Auctorum lectionem: quos sæpe gloriosissimi Antecessores Tui in magna hominum frequentia loquentes audivere. Erit autem humanita-

nitatis Tuæ ex tenui munere obſervantiam in Te meam perſpicere, meque ad oſcula Pedum Tuorum eâ, qua decet, veneratione accedentem non dedignari.

JOSEPH ALEXANDER FURIETTUS

BENEVOLO LECTORI.

COnſideranti mihi priſcam latini ſermonis elegantiam; à cujus nitore inſequens ætas in multam annorum ſeriem producta, non tam deſidiâ juventutis, quam inſcitiâ docentium deſcivit; nihil admirabilius paucorum præſtantiâ hominum videtur: qui barbarie depulsâ, ad quam eos commune vitium veluti hæreditariâ adduxerat ſucceſſione, germanam eloquentiæ faciem rudis, & impolitæ locutionis labe deterſam reddiderunt. Timendum enim erat, ne; ſi pædore & ſitu per longioris ævi ſpatium obſoleta jaceret; triſtem, atque in omne tempus deflendum maximo literarum damno tot librorum interitum doleremus. Quam ob rem Divinâ ſanè contigit Providentiâ tales extitiſſe viros, quos vi naturæ, & ingenio erectos, ac bene loquendi laude flagrantes, aſſidua veterum Auctorum lectio ad illorum emendationem, imitationemque deflexit; ut illuſtres Romanæ linguæ reliquias nobis alienus labor nunquam interituras ſervaret. Ita aliquorum ſtudio effectum eſt, ac diligentiâ; ut cùm quid latinè ſcribere nonnulli aggrederentur, verborum aſperitatem ſcriptis ſuis haud amplius admiſcerent: immo vocabulorum delectui, & ſententiarum gravitati inhærentes, nativâ penè dicam ſuavitate reſpersâ oratione loquerentur. Verun-

tamen, utpote nonnisi per gradus olim ascenderat eloquentia, quæ suam aureo Ciceronis sæculo attigit maturitatem: ita posteriorum ignaviâ temporum exturbatam, ac dejectam pristinæ sensim dignitati longa annorum successio restituit, atque pluribus reparatam assertoribus latinæ linguæ venustatem cuncta Italia gratulata est. Omnibus itaque, qui in Romano sermone excitando strenuam navarunt operam, Franciscus Petrarcha facem prætulit: cujus vestigiis insistentes studiorum, & præceptorum imitatores, ad ultimam deinde eloquentiam contenderunt. Totus quippe ad laudem, & gloriam natus, diligenti [1] inquisitione, multaque peregrinatione, plures Marci Tullii libros squallore obsitos, & in vetustatis tenebris delitescentes in lucem eduxit: quos ipsum, ne dicam vidisse unquam, sed novi sæpe nominis integumento ignotos [2] comperisse fassus est. Duas Ciceronis orationes, dum Germaniam peragraret, Leodii inventas primus in Italiam invexit; [3] ubi libros Academicorum Neapoli [4] jam dudum repererat apud Barbatum Sulmonensem: nonnullas epistolas [5] & orationes, libros de Oratore, ac de legibus [6] imperfectos tamen: nec non singulares duos de gloria præclaram paternæ rei hæreditatem, [7] atque insigne Raymundi Superantii munus, quos præceptoris fidei traditos;

1 Petrarcha Epist. familiar. lib. 3. epist. 18.
2 Idem rer. memorab. lib. 1. pag. 396. Edit. Basil.
3 Idem rer. Senil. epist. 1. fol. 948. lib. 15.
4 Idem cit. epist. 1. rer. Senil.
5 Idem epist. 1. ad viros illustres.
6 Idem rer. Senil. supracit. epist. 1.
7 Idem cit. Epist.

tos, dum ipse in Transalpino viveret secessu, post adventum suum in Tusciam perpetuâ omnium [8] jacturâ deflevit. Tali, ac tanta supellectili instructus ad tollendam vernaculæ locutionis, qua latina lingua jam obduruerat, consuetudinem, magno ingenii sui conatu exarsit; & ne in aliquo, quantum sui esse officii ducebat, incœpto operi deesset; adjumentum græcæ linguæ, ætate quamvis matura [9] à Barlaamo [10] Monacho Calabro quæsivit. Hanc tamen vix primoribus labiis degustavit ob absentiam, quæ mox consecuta est, præceptoris, quem Hieracensi insula decoratum immatura mors abstulit. Postrema Petrarchæ ætas excepit Colutium Salutatum Ludovici Marsilii [11] latinarum literarum Florentiæ

 suc-

8 Idem cit. epist. 1. ter. senil. fol. 949
Jovius, & post eum Paulus Manutius circa libros Ciceronis de gloria plagii insimularunt Alcyonium in lib. de Exil. Hujus quoque fuit culpæ labes impacta in Hieronymum Osorium in libro, quem de gloria edidit, & in Franciscum Philelphum in libro, quem scripsit de contemptu Mundi.

9 Vergerius, Manettus, Beccatellus, aliique, qui vitam Petrarchæ scripserunt, falsò putarunt, ipsum adhuc puerum prima græcæ linguæ rudimenta à Barlaamo hausisse; cùm esset jam grandioris ætatis, ut colligitur ex Petrarchæ epistola XX. var. epist. & de ignorantia sui ipsius, & multorum pag. 1054., nec abs re erit huc afferre Petrarchæ verba: *Barlaam nostrum mihi mors abstulit, & ut verum fatear, illum ego mihi prius abstuleram: jacturam meam, dum honori ejus consulerem, non aspexi. Itaque, dum ad Episcopium scandentem sublevo, magistrum perdidi, sub quo militare cœperam magna cum spe*: quæ verba Petrarchæ adhuc puero non conveniunt.

10 Barlaam in Urbe Seminaria Calabriæ ortus Monachus S. Basilii, Pauli Perusini, & Leontii Thessalonicensis præceptor, ut asserit Joannes Boccaccius Leontii discipulus de Genealog. Deor. lib. 15. fol. 390. edit. Basil., Palamæ, cæterisque Monachis Palamitis Constantinopoli bellum indixit, ut apud Niceph. Gregor. histor. lib. XI. cap. 10, & Bzov. Annal. Eccles. ann. 1331. pag. 654. Unus idemque, & pro Græcis contra Romanam Ecclesiam, & pro Romana Ecclesia adversùs Græcos scripsit, ut videre est apud Leon. Allat. de Eccles. Orient. & Occident. perpetua consens. lib. 2. cap. 17. pag. 840.

11 Ex Oratione funebri Nicolai Nicoli apud Poggium.

successorem; nec non Joannem Laurensem, & Nicolaum Nicolum, qui magna nominis celebritate in Civium suorum memoria perpetuò manebunt. Eadem sanè tempora tulerunt Joannem Ferrettum Ravennatem, [12] cujus præcelsa indoles, & ingenium minùs acerbam Petrarchæ jacturam fecit. Ad hunc enim publicè Venetiis studia tradentem bonarum artium, quibus adolescentes ad eloquentiam informantur, plures ex tota Italia percipiendæ, & colendæ latinæ linguæ amor perduxit. Quibus, cùm latè pateret accessus ad humaniores literas addiscendas, assiduâ legendi, audiendique exercitatione; ubi se ad scribendi studium contulerunt; præclara ingenii sui monumenta incorruptæ latinitatis laude redundarunt. Quam ob rem uberrima dicendi merces in illo sapientiæ emporio conquisita ad erudiendam ubique adolescentiam per vicinas Italiæ Urbes se effudit. Hinc Petrus Paulus Vergerius [13] Justinopolitanus ad instruendam Carrariensium Principum juventutem Patavium commigravit. Victorinum Feltrensem [14] Mantuani Principes domum suam stipendio publico receperunt. Leonardus Brunus Aretinus, [15] Poggius Bracciolinus, Robertus Rossus, & Jacobus Angeli Florentini patriæ suæ attulerunt literarum decus, ac ornamentum. Una, & eadem quoque Ravennatis schola emi-

12 Blond. Ital. illustrat. de Romandiol. pag. 396. edit. Basil. & Rub. histor. Ravennat. lib. 7. pag. 596.
Nonnulla Joannis Ravennatis opera extare Patavii refert Tomasin. in Biblioth. Patavin. MS.
13 Blond. supra cit. loc. de Romand.
14 Leopold. del Miglior. Firenz. illustr. fol. 339.
15 Blond. supra cit. loc. Raphael Volaterran. lib. 21. Anthropolog. de his, qui reliquis in artibus claruerunt. fol. 245.

emisit Ambrosium Traversarium Camaldulensem Monachum, [16] Guarinum Veronensem: qui Venetiis primò, dein Florentiæ, Veronæ, & Ferrariæ juventutem excoluit: Omnebonum Scholam Patavinum, Leonardum Justinianum, & Franciscum Barbarum non minus domestica nobilitate, quàm doctrinæ splendore præclaros: quos omnes Gasparinus Barzizius Bergomas cum ætate, tum feliciori studiorum suorum fructu antecessit. Hic enim eloquentiæ fines paulò longiùs, quàm ea tempora ferebant, mihi videtur protulisse: dignus sanè, quem omnis posteritas gratissimâ futuri temporis commendatione prosequatur. Nonnullæ istius epistolæ: quas non ad amicorum opportunitatem, sed ad ingenii exercitationem Tullianum nitorem redolentes effinxit: vix in sapientum virorum luce versantur ob exemplarium raritatem, quæ anno MCCCCLXX. ex Sorbonica [17] prodierunt Typographia. Quare rem gratam honestissimarum disciplinarum studiosis facturos censuimus; si ad reliqua Gasparini opera, quæ primo nunc publicæ exhibemus curiositati, hæ quoque epistolæ accederent. Libros Ciceronis [18] de Oratore, de Senectute, de Officiis, & Epistolas commentariis Barzizius doctissimis illustravit, quos maximo literarum vel amisimus, [19] vel

16 Blond. supra cit. loc.

17 Chevilier orig. del' Imprimer. de Paris par. 1. chap. 2. pag. 36. Michael Mattair. Annal. typogr. pag. 87., ubi hunc librum, quem nos Romæ vidimus in Bibliotheca Vallicellana, primum omnium prælum subiisse asserit anno 1470. in Sorbonæ Domo opera Ulrici Gering, Martini Crants, & Michaelis Friburger.

18 Marcus Ant. Sabellicus de latin. lingu. reparat.

19 Nonnulla horum commentariorum fragmenta in Orationes in Marcum Antonium, atque in libros de Oratore extant in Bibliotheca Camaldulensium Eremitarum in Tuscia in MS. Codice anni 1426.

vel adhuc desideramus detrimento. Illorum quoque verborum, quorum frequentior est usus [20] orthographiam edidit, in qua ea, quæ diffusa locis multis legerat, quasi unum in corpus congessit, & rectam scribendi rationem ad certam legem aliquam, ordinemque revocavit. Latinarum pariter vocum ethymologiam, [21] ac quemdam numerum parvo libello complexus est; suoque exemplo cæteris, quod imitarentur, reliquit, ac ad uberiores, amplioresque latinæ linguæ thesauros, quibus nunc literatissimorum hominum beneficio fruimur, non exiguum incitamentum. Quantus tamen laudis cumulus in hac studiorum, vigiliarumque suarum recordatione ei tribuendus est: tanto minus probatam hanc, quam aggressi sumus, Barzizianam editionem haberemus; si uterque liber jam typis vulgatus in tanta codicum copia iterum hac nostra ætate proferretur. Cætera Barzizii opera publicâ huc usque luce caruerunt, libellus de compositione, orationes, & familiares epistolæ: quarum aliquas Romæ, Bergomi, Pataviique repertas, reliquas inter Mediolanensis Bibliothecæ monumenta longas temporis injurias prætervectas, ob omnium oculos ponere conati sumus; ut habeant, unde mirentur eloquentiam, parvis exortam initiis, tam citò adolevisse.

Duæ autem res potissimum in causa fuerunt, cur latinus sermo in politiorem linguæ cultum provectus in tan-

20 Hunc quoque librum in Sorbonæ ædibus impressum fuisse testatur Chevilier. supra cit. loc. post annum 1470., quem nos Romæ vidimus in Sapientiæ Bibliotheca.

21 Hic pariter liber impressus est Brixiæ per Damianum Turlinum anno 1563., qui apud nos extat.

tantam candoris messem excreverit: quas Gasparinus, totque alii insignes viri labore, & industriâ nunquam satis laudatâ præstiterunt. Altera nempe græcæ linguæ studium, quam Emmanuel Chrysoloras [22] nativo loquentem ore anno MCCCXCIII. [23] primus in Italiam invexit; ad eamque perdiscendam illos ferè omnes, qui sub Joanne Ravennate suam latinæ linguæ dederant adolescentiam, Venetias primò delatus, postea Florentiam [24] accersitus cum naturæ, tum ingenii præstantiâ inflammavit. Ticini aliquot post annos moratus, [25] deinde Romam se conferens, græcas utrobique jacentes literas extulit; & quamvis nullum [26] eloquentiæ suæ posteris, quod admirarentur, monumentum reliquerit; græcæ tamen facundiæ latices Italæ juventuti in studiorum suorum societatem se offerenti limpidissimos reseravit. Utque feliciori progressu has in Provincias latè ma-

22 Leonard. Aretin. rer. Italicar. histor. pag. 253. Blond. cit. loc. de Romandiol. pag. 346.

23 Hoc anno obsessa est à Turcis Constantinopolis, ut ex Joanne Leuncl. in Histor. Musulman. lib. 5., atque tunc Venetias se recepisse Chrysoloram credibile est.

24 Anno 1396. Florentiam invitatus à Republica Florentina fuit Chrysoloras, ut ex epistola inedita penes eruditum virum Dominicum Georgium Eminentiss. Card. Imperialis Bibliothecarium, qua multorum Scriptorum error detegitur, quorum alii Chrysoloræ in Italiam adventum referunt ad annum 1389. alii ad annum 1397., 1398., vel 1399., ut videre est apud Paulum Langium Chronic. Citicen. Profectus demum Emmanuel Chrysoloras ad Concilium Constantiense, ibi mortuus est: quare corrigendus est Æneas Silvius, qui Joannem Chrysoloram Emmanuelis filium ex Græcia literas attulisse scribit, & Constantiæ mortuum lib. 1. Epistol. epist. 105.

25 Ut ex Oratione funebri Andreæ Juliani in laudem Chrysoloræ edita ad calcem Poggianæ.

26 Supersunt Chrysoloræ Erotemata, quæ commentatus est Ponticus Virunius Bellunen., qui vitam Chrysoloræ conscripsit: Guarinus autem fuit abbreviator operis Chrysoloræ. Giornal. de' Letter. di Venez. tom 24. pag. 274. e 275.

manarent, Chryſoloræ doctrinam, & gloriam æmulati Itali homines Conſtantinopolim uſque; atque in Græciam navigarunt. Guarinus Veronenſis primum, (27) cùm annum jam ſuæ ætatis viceſimum exceſſiſſet, hanc præclaram obivit peregrinationem: cujus exemplo excitatus Franciſcus Philelphus Tolentinas Barzizii noſtri auditor (28) annum agens ætatis viceſimum, ad Joannem Chryſoloram Emmanuelis filium convolavit; (29) quo cum arctâ ſanguinis neceſſitudine conjunctus ob Theodoram filiam, quam ſibi matrimonii vinculo copulaverat, pretioſâ græcæ eloquentiæ merce locupletatus, Venetias (30) reverſus eſt. Paucis deinceps interjectis annis, Joannes Tortellius Aretinus, (31) Marius Philelphus (32) Franciſci filius, ac Lilius Typhernas Gregorii pariter Typhernatis auditor (33) Conſtantinopolim profecti ſunt: necnon Saxolum Pratenſem, (34) & Cyriacum Pizzecollum (35) Anconitanum Philelphi auditores, Georgii Gemiſti perſpecta, celebrataque græcarum literarum ſcientia in Peloponeſum vocavit. (36] Ita communi ſtudio conſpirantibus omnibus in græcæ linguæ

27 Giornal. de Letter. di Venez. tom.12. pag.354.
28 Poggius invectiv. 1. in Franciſc. Philelph. pag.163.
29 Poſt Chryſoloræ mortem Philelphus apud Chryſococem una cum Beſſarione literas græcas didicit, Philelph. epiſt. lib.6.pag.41.
30 Anno 1420. profectus eſt Conſtantinopolim Philelphus, unde poſt annum ſeptimum, & menſes quinque, rediit Venetias, ut ex epiſtola ejuſdem I. ad Leonard.Juſtinian., & ex epiſt.3. ad Franciſc.Barbar.lib.1.
31 Giornal. di Letter. di Venez. tom.11. pag.307.
32 Philelphus epiſt. ad Marium filium lib.5. fol.31. pag.2.
33 Raphael Volaterran. lib.21. anthropol. fol.246.
34 Philelph. epiſt. ad Saxol. Pratenſ. lib.5. fol.31. pag.2.
35 Philelph. epiſt. ad Cyriac.Anconitan. lib.5. fol.36. pag.2. Saracin.Iſtor. d'Ancona lib.10. pag.253.
36 Philelph. cit. epiſt. ad Saxol. Pratenſ.

guæ reparationem, quæ vix aliquo sui splendore oculos nonnullorum perstrinxerat, publicæ ubique scholæ adolescentibus patuerunt. Præter enim Chrysoloræ discipulos, qui hoc præceptoris munere summa cum laude functi sunt, in hujus docendi gloriæ communionem venerunt complures alii cæteris dicendi facultate eminentiores, quibus primas deferre fas est: Guarinus nempe, Joannes Aurispa Siculus, Gregorius Typhernas, Franciscus Philelphus, Petrus Candidus Decembrius Viglebanensis, Antonius Beccatellus Panormita, cæterique præstantes viri, quos omnes persequi nimis molestum esset. His adjutoribus erecta in totius Italiæ lucem emersit è tenebris, quibus involuta scholarum aspectum tot annos refugerat græca lingua, quæ sibi progrediente ætate stabilem, & diuturnum inter nos domicilii locum quæsivit. Cùm enim Orientis Imperium, quod magis honoris decore, quàm potentiæ vi nitebatur, expugnata à Turcis Constantinopoli, in maximo civium suorum sanguine concidisset; omnes, quos communis interitus ad lamentandam acerbam patriæ calamitatem reliquos fecerat, in nostras Provincias commigrarunt. Hoc ex numero fuere Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius, Joannes Argyropylus, Joannes, & Constantinus Lascaris, Andronicus Thessalonicensis, Marcus Musurus, Marullus Tharcaniota, & Demetrius Chalcondylas, quorum ope græca lingua ad ultimum fastigium evecta, germanam latinæ locutionis puritatem: quam post Angelum Politianum, Hermolaum Barbarum, Scipionem Carteromachum, cæterosque illius ævi Scriptores, posterior est ætas admirata in Bembo, Casa, Nau-

gerio, Fracaſtorio, Vida, Sannazario, totque aliis illa tempeſtate florentibus: maximo bonarum artium incremento reparavit.

Alterum Romanæ linguæ adjumentum attulit latinorum Codicum copia, quorum nomen præteriti injuriâ temporis prope obrutum communis diſcendi amor aditis Bibliothecis, & peragratis Regionibus notum fecit. Præter enim paucos libros, quos Petrarchæ ætas viderat, & quidem exſcribentium oſcitantiâ barbariſmis, & ſuperinductis verbis ut plurimum redundantes: reliquos pulvere conſepultos, & tineis corroſos in publicum non quiſquam adhuc protulerat. Incerto itaque auctore tunc primum inventæ Ciceronis ad Atticum epiſtolæ [37] necnon tres de Oratore inſignes libri [38] qui Laude Pompeja reperti vetuſto in Codice à Gerardo Landriano illius Urbis Epiſcopo [39] Gaſparini ſtudio, & diligentiâ interitum evaſerunt. Quintilianus quoque, quem Poggius fortunæ beneficio ſervatum unà cum Valerio Flacco, & Aſconio Pædiano in monaſterio S. Galli integrum detexit [40] veteri ſquallore deterſus, ac priſtinæ reſtitutus dignitati Aretini, & Barzizii operâ, [41] ad maximum latinæ linguæ incrementum acceſſit. Cæ-

37 Blond. Ital. illuſtr. de Romandiol. pag. 346.

38 Marc. Ant. Sabellic. de latin. lingu. reparation. Raphael Volaterran. lib. 21. Anthropol. cit. fol. 245.

39 Epiſt. Gaſparini Barzizii ad Gerardum Landrianum nunc primum à nobis publici juris facta.

40 Epiſt Franciſci Barbari ad Poggium edita ad calcem Poggianæ. Alium quoque Quintiliani codicem in Italia invenit Leonardus Aretinus, quo nonnulla, quæ deerant in Poggii codice, ſupplevit. Poggiana part. 1. pag. 17.

41 Marc. Ant. Sabellic. Blond. Flav. Raphael Volaterran. ſupra citatis locis, atque ex vita Poggii Pariſiis edita 1511. in fin. Oper. ante Facetias.

Cæteras Germaniæ, Helvetiæque latebras, quas funesta bellorum calamitas non pervaserat, tunc pariter solerti Poggius industriâ scrutatus, complures libros trans Alpes exulantes, quique apud Italos in tristi literarum ruina perierant, longo postliminio nobis insperantibus reddidit, quos inter Nonium Marcellum, Manilium, Marcellinum, & Lucretii partem, aliosque, quos recenset Franciscus Barbarus [42]: præcipuè verò duas Ciceronis Orationes [43] atque libros ejusdem de Finibus, ac de Legibus [44] quos in maxima sui parte deficientes, & imperfectos usque tunc sapientum virorum ingenia desideraverant. Paucis post annis Plauti quoque Comœdias in Italiam primo delatas [45] ad augendam latini venustatem sermonis, communis omnium lætitia excepit, compluresque alios Codices, quos non minùs literatorum hominum peregrinatio [46] quam Italorum Principum [47] munificentia comparavit. Tali, ac tanto librorum cumulo eò usque crevit elo-

42 Supra cit. Epist. ad Poggium.
43 Leonard. Aretin. epist.4. lib.4.
44 Recanat. in Vit. Pogg. pag.8., qui plures quoque Ciceronis Orationes tunc à Poggio repertas fuisse censet.
45 Philelph. Epist. ad Balthassar. Risin. lib.10. epist. fol.70. pag. 1.
46 Francisc. Barbar. Leonard. Justinian. Fantin. Dandul. Angel. Acciajol. Gregor. Vicentin. Joannes Aurispa, Francisc. Philelph. præ cæteris commemorati ab Augustino Florentino Monacho Camaldulensi in vita Ambrosii Camaldulensis cap.6. pag.333. & seq. Ludovic. Marsil. & Nicolaus Nicol. in Oration. funebr. Nicolai Nicol. apud Pogg. Julian. tit. S. Angel. Diac. Card. Cæsarinus, Angelus tit. S. Crucis Presb. Card. Capranica Germaniam, totamque Galliam peragrarunt librorum conquirendorum gratia, sup. cit. vit. Ambrosi. Camaldulens. cap. 5. pag.325.
47 Cosmus Medic. sen. multis codicibus Florentinam, & Nicolaus V. Pontifex Vaticanam Bibliothecam instruxerunt. sup. cit. vit. Ambros. Camaldulens. cit. cap.5. pag.325. Raphael Volaterran. lib.22. Anthropol. fol.259. pag.1. Rocc. Bibliothec. Vatican. pag.53.

quentia, ut relictis nugis, ac ab illa ſtyli levitate, quæ in omnes ſcholas irruerat, abhorrentes quicunque humanioribus diſciplinis vacarent, illuſtrandis, & emendandis antiquis Codicibus eam feliciter propagarint. Atque in hoc præſtando non parum tot virorum induſtria, & ingenium enituit; propterea quod iteratâ exſcribentium inſcitiâ deformati vetus auctoris ſui nomen, ſenſus autem inquinatos, ſententiaſque redderent involutas. Huic improbo labori præ cæteris Barzizius manum admovit; atque ad Ciceronis opera, quæ undique diligentiſſimè conquiſierat, emendanda, totas ingenii vires attulit. Hujus quoque laudis, gloriæque ſocios adjungimus Aretinum, Poggium, Guarinum, Victorinum, Ambroſium Camaldulenſem, Panormitam, Auriſpam, Philelphum, & reliquos alios, quos de latinis literis optimè meritos gratiſſimâ recordatione commemoravimus. Quibus adjicere operæ pretium eſt complures alios, qui in Barzizii tempora inciderunt: nempe Maphæum Vegium Laudenſem, Antonium Luſcum Vicentinum, Ponticum Virunium Bellunenſem, Laurentium Vallam Romanum, Benedictum Morandum Bononienſem, Andream Julianum, & Bernardum Juſtinianum Venetos, Bartholomæum Facium Ligurem, Joannem Andream de Buxiis Viglebanenſem Aleriæ Epiſcopum, Æneam Silvium Senenſem, & Carolum Marſupinum Aretinum. His æquales, atque à nobis dicendi famâ celebrandi Joannes Antonius Campanus Epiſcopus Aprutinus, Andreas Floccus, Lapus, Janotius Manettus, & Donatus Acciajolus Florentini, Flavius Blondus Forolivienſis, Jovianus Pontanus Cereti in Um-

Umbria natus, Pomponius Lætus Calaber, totque alii ad illius ætatis Scriptores referendi: qui omnem ſtudiorum ſuorum rationem in eloquentiæ amorem conferentes, aliquam germanæ latinitatis ſuavitatem, quæ ab ore omnium, & auribus defluxerat, ſcribendo, dicendoque attigerunt. Cumque humaniorum cura literarum in dies magis efflorefceret, & præclara hominum ingenia ad expoliendas, colendaſque bonas artes præceptorum copiâ commoverentur; Romana lingua, quæ anguſtis uſque adhuc finibus continebatur, ſuo ipſa ſplendore ſe prodidit, & in cunctis Italiæ Civitatibus refulſit. Huic ſanè tempori acceptum retulit antiqui ſermonis leporem, quem intermortuum excitarunt tot præſtantium virorum illuſtria monumenta, unde incorruptæ, & perpolitæ locutionis exempla peterentur. Itaque hanc non ſolùm è cœno, in quo polluta, & inquinata jacuerat, in lucem ea ætas puriſſimam extulit; verùm auream Auguſti ævi elegantiam ſapere maximè viſa eſt. Nimis autem longum eſſet recenſere, atque huc adducere eos omnes, qui maximâ eloquentiæ laude claruerunt: neque ad inſtituti noſtri partem duximus pertinere, quibus in animo fuit renaſcentis tantùm latinæ linguæ primordia pertingere; ut Barzizio, cui prima poſt Petrarcham bene loquendi fundamenta jeciſſe contigit, juſtus honor tribuatur. Nec quicquam veræ laudi detrahendum eſt; propterea quod nonnulla minus caſtigata exciderint, quæ delicatas ſapientum virorum aures offendent, ſi qua illum fortuna ad eos detulerit; immo potius excuſanda ea ætas, qua nondum Romanus ſermo adoleverat, ſi aliquid inconcinnum, & inelegans effudit. Eſt enim

etiam

etiam in Gasparini scriptis, quod liberalium disciplinarum studiosi in Oratoriæ artis censum referant; mirenturque in illis ignorantiæ tenebris hunc tam scitè, ac tam ornatè locutum. Neque in postrema gloriæ parte reponent Guinifortum filium, qui ætatem ingenio prætergressus, ac græcis, latinis, & hebraicis literis imbutus, à teneris adhuc annis ad eloquentiam accessit; eoque cum dicendi copiâ, tum scribendi elegantiâ provectus est, ut inter præstantissimos illius ævi Oratores celebraretur. Hic Dantis Comœdiam communi omnium plausu commentatus est; ac permultas orationes honorificis perfunctus Legationibus, & epistolas conscriptas reliquit: quas senio confectas, ac longâ ætate jacentes nos prope ab interitu vindicavimus, atque ad Operis calcem adjecimus. Vale.



Ex antiqua effigie in M.S. Codice Bergomi asservata

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
VITA
A JOSEPH ALEXANDRO FURIETTO
CONSCRIPTA.

GAſparinus, cui patria cognomentum dedit, natus eſt Barziziæ, obſcuri nominis loco, non longè à Bergomo: quæ Urbs à Tuſcis, vel ut alii autumant, à Gallis condita, incertâ initii famâ originem ſuam illuſtriorem facit. Inter primas Ciſalpinæ, & Transpadanæ Galliæ Civitates adnumerata celebre, Romanâ florente Republicâ, Municipium fuit; donec inclinante Imperio, propriis ſubjecta Ducibus, Hunnorum, & Gothorum direptioni, Langobardorumque patuit dominatui. Barbaris his Nationibus, quæ in hac Italiæ parte (quam poſtea corrupto nomine Lombardiam appellavere) ſedem defixerant, Francorum Regum potentiâ depulſis, ſui acceſſione illorum fines auxit. Novis deinde bellorum perturbationibus afflicta, atque exterarum Gentium incurſionibus divexata, nunc Germanis Imperatoribus paruit: modò in libertatem vindicata, finitimarum Urbium, quibuſcum ſocietatis fœdere jungebatur, præſidium hoſtibus objecit. Ita frequentibus militum prædis exhauſta domeſticam, & viciniorum Principum, ſed nunquam diſpari calamitate, ſæpe experta eſt dominationem; quoad uſque in ſpem

melioris fortunæ vocata, civium suorum virtute, sibi parta tranquillitate, & libertate, conquievit. Verùm, quum viribus impar esset, quibus finitimorum arma à suis finibus propulsaret, ad Venetæ Reipublicæ Imperium accessit; & ultro facta deditione, firmissimum sibi longævæ pacis, qua fruitur, adjumentum comparavit. Bernabovi Vicecomiti Galeatii fratri in Bergomates imperium erat, eo tempore, quo Gasparinus natus est [1]. Patrem habuit Bettinum Barzizium virum impigrum, & solertem, qui alterum filium Jacobum natu majorem [2] progenuit. Is, ubi ex pueris excessit, atque ad studia literarum se contulit, præclarâ cœpit mentis indole elucescere; adeò ut celeriter, ingenii gloriâ, omnibus suis æqualibus antecelleret. Erat Italia tunc expers bonarum artium, ac disciplinarum; illique propius ad eloquentiam accedere videbantur, qui Grammaticæ artis præceptis se magis conformarent. Nullus erat verborum delectus, nulla numerorum ratio; sermoque durus, & inelegans in exilem, & inornatam orationem desinebat. Nemo enim frequenti Ciceronis lectione delectabatur: non Virgilium, non Cæsarem, aliosque, quos aurea Scriptorum ætas effudit, in manus sumebat; sed corrupti, & qui ab ingenuo candore quàm longissimè abessent, omnium aures permulcebant. Ita sæculi vitio morem gerentes, qui literarum studiis dediti adolescentiam instruerent, lim-

1 Certam natalis Barzizii diem non invenimus: quantum tamen conjecturis assequi potuimus, hanc in postremam Petrarchæ ætatem conjicimus ante annum 1370.

2 Epist. Gasparin. ad Joannem Barzizium, Joannem Alliardum, & Zebedæum de Ponte anno 1410. pag. 100. & 101.

limpidiſſimis eloquentiæ fontibus clauſis, lutulento, ac impuro dicendi genere loquebantur. Hos ad magiſtros Barzizius delatus haud multum in literis profeciſſet; niſi eum vires ingenii ſui ſordidam, & inconcinnam elocutionem faſtidientis, ad Marcum Tullium legendum, imitandumque excitaſſent. Cujus eloquentiam præ cæteris admiratus, ſibi à pueritia ſuaſit, nihil eſſe magis ad laudem, ac dignitatem expetendum, quàm ſedulam, & non intermiſſam hujus Auctoris lectionem; unde haberet & vitæ præſidia, & doctrinæ ornamenta. Hunc Latini ſermonis amorem magnopere augebat moderata, & gravis natura: quæ à juvenilibus blandimentis, ac ab illis adoleſcentiæ cupiditatibus, in quas ea ætas rapitur, illum abducens, ad excolenda ſæpe bonarum artium ſtudia, maximâ temporis parte, Barzizium impellebat. Tam honeſtâ vivendi conſuetudine in adultam ætatem provectus, ad literas, quas ipſe improbo labore didicerat, tradendas ſe contulit; ſuoque exemplo, ac præceptis in Latinæ linguæ politiorem cultum Bergomenſem juventutem inflammavit. Sæculo 1400
autem nondum exacto; quamvis Jacobum fratrem matrimonii vinculo adſtrictum videret, atque ex Catharina uxore liberos ſuſcepiſſe; quo meliùs nominis ſui, familiæque poſteritati conſuleret, Lucretiam de Alliardis [3] nobiliſſimam, ac lectiſſimam fœminam in ſponſam recepit. Aliquot Barzizius annos patriam docendo exornavit; ineunte verò ſequenti ſæculo, Mediolanum profectus ad Joannem Galeatium Vicecomitem,

3 Ex MS. Codice Barziziæ Domus.

qui patrui Bernabovis [4] tyrannicam dominationem
sustulerat, Ticini [5] demum consedit. Indè priùs
1406 non discessisse comperimus, quàm anno MCCCCVI. [6]
quo sanè tempore Venetis adolescentibus eloquentiæ
ludum [7] aperuit. Erat ea tempestate Venetorum
Respublica recenti Patavinæ Civitatis accessione magnopere adaucta [8]; quam ob rem Patribus Conscriptis placuit Tarvisinum Gymnasium Patavium transferre, ut in florentissimam, atque celeberrimam Universitatem utrumque coalesceret. Visum autem est è
dignitate Reipublicæ, atque feliciori studiorum incremento nonnullos viros, quorum nomen in Italia celebraretur, Patavium accitos ad profitendas artes, ac
1407 disciplinas vocare: quos inter recenset Tomasinus [9]
Franciscum Zabarellam juris utriusque, omniumque
scientiarum laude præstantem, Jacobum de Turre medicorum sui temporis principem, & Gasparinum Barzizium humaniorum literarum gloriâ florentem. Hu-
1408 jus adventu magnus undique ad illum factus est nobilium adolescentium concursus; utpote cujus famam
ingenii expectatio, expectationem ipsius admiratio supe-

4 Anno 1385. die 6. Maji Joannes Galeatius Vicecomes captivum fecit Bernabovem extra Portam Vercellensem. Cor. Istor. di Milan. part. 3. fol. 258.

5 Ex supplici libello Gasparini ad Philippum Mariam Vicecomitem.

6 Hoc anno natum comperimus Guinifortum ex epist. Guiniforti ad Joannem Augustinum, & Christophorum Barzizios decimo quarto Calend. Aprilis anno 1438.

7 Marc. Anton. Sabellic. de Latinæ linguæ reparation.

8 Petrus Justinianus Histor. Venet. lib. 6. pag. 105. Marc. Ant. Sabellic. Decad. 2. lib. 9. pag. 1319.

9 Jacobus Philippus Tomasinus Comment. de Gymnas. Patavin. lib. 1. cap. 5., ubi refert Gasparino constitutum salarium centum viginti ducatorum anno 1407.

peraret. Itaque, cùm Veneti [10] tranquillæ pacis otio lætarentur, relictis paternis laribus, Barzizii domum confluentes, dignissimum eloquentiæ domicilium invenerunt. Inerat quippe in eo, præter excellentem linguæ peritiam, vultus, & morum suavitas, ac incensum docendi studium, quo omnibus Patavii moram trahentibus facilem sui adeundi potestatem faceret; unde illi familiariter cum Gasparino versantes, tanquam ex perenni fonte, eloquentiam, quam magna animorum contentione appeterent, atque virtutum omnium adjumenta haurirent. Biennio vix elapso, Barzizii animum 1410 maximo mœrore confecit Jacobi fratris interitus: qui, funestâ civilium bellorum fortunâ, Patriâ ejectus, in Valle Camonica agri Brixiensis [11] diem supremum obierat; ac in extremam usque ægritudinem lacrymabilis viri jactura eum conjecisset; nisi longâ rerum experientiâ, & virtute confirmatus, adversis humanæ vitæ casibus, sapientis more, indolendum esse didicisset. Singularis autem in eo eluxit pietas, qua octo superstites fratris liberos [12] prosecutus; quamvis tanto alendæ familiæ oneri impar esset; ad se vocatos in proprios lares recepit. Tam gravi filiorum, ac fratris filiorum curâ implicitum rei familiaris tenuitas consecuta est; adeò ut ad levandam molestiam ob caritatem annonæ Patavinam Civitatem prementis, Ferrariam familiam traduxerit, eamque Comiti Ludovi-

10 Petr. Justinian. & Marc. Ant. Sabellic. loc. supracitat.
11 Ex Epistola consolatoria Gasparini Barzizii ad Joannem Barzizium anno 1410. pag. 100.
12 Ex Epist. Gasparini ad Joannem Barzizium, & ex Epist. ejusdem ad Joannem Alliardum, & Zebedæum de Ponte supracitat.

1411 vico Bonifacio [13] primariæ nobilitatis viro sustentandam commendarit. Cùm hanc igitur rationem iniisset domesticum incommodum depellendi; omnium rerum egestati, qua tunc ipse tenebatur, satis prospexisse ducebat; inque spem venerat æris alieni, ad quod suorum necessitas impulerat, amicorum præsidio, intrà breve tempus dissolvendi; maximè si omni solutus angustiâ, haud remissiorem animum ad juventutem informandam attulisset. Ejus interim rumor ingenii per totam latè Italiam percrebruerat; illique, quos incorruptæ, & germanæ locutionis splendor ab impoliti, ac barbari sermonis sordibus abduxerat, Barzizium nostrum, veluti communem eloquentiæ parentem suspiciebant. Hac tanta celebritate famæ, cùm esset etiam absentibus notus, Bononiam accersitur [14] maxima omnium expectatione; quippe cujus adventu magna Gymnasio dignitatis accessio facienda erat. Verùm cùm multa suorum, ac fratris filiorum familia trahenda esset; nec stipendii conditiones tam lautæ essent, ut tam gravi ferendo oneri sufficerent; è re sua esse duxit Patavii [15] domum figere. At fortuna, quæ nullum in eum sæviendi locum reliquisset; ut novâ, & inopinatâ calamitate, viri non tam ætate, quàm virtute firmati constantiam frangeret; Patavina eum ex Urbe, ubi magnam sibi nominis dignitatem pepererat, finitimi belli [16] periculo extur-

13 Ex Epist. Gasparini ad Ludovicum Bonifacium anno 1411. pag. 114.

14 Ex Epistolis Gasparini ad Andream Barbatiam, ad Jacobum Isolanum, & ad Reformatores Studii Bononiensis anno 1411. pag. 124., & seq.

15 Ex Epistolis Gasparini colligitur, ipsum Patavii remansisse anno 1412. & sequentibus.

16 Epistolæ Gasparini ad Christophorum, & Nicolaum Barzizios anno 1411. pag. 120., & ad Cardinalem Zabarellam anno 1412.

turbavit. Nam cùm Venetorum Respublica cum Siccen-
sibus dissideret, atque ad Urbem istorum oppugnandam
multam militum manum admovisset; maximi armo-
rum motus in Pannonia excitati in apertum deinde bel-
lum eruperunt. Decem enim equitum millia Sigismun-
di Imperatoris, Philippo Florentino Duce, per Austriam,
Noricasque Alpes in Italiam effusa [17] Tarvisinum
agrum invaserunt, Brunorio Scaligero, & Marsilio Car-
rariensi, qui avitas Veronæ, & Patavii tyrannicas do-
minationes anhelarent, discordiæ semina foventibus.
Atque cum Venetos, qui aliò vires suas deduxerant,
inopinatus hostium impetus ad avertenda belli pericula
imparatos invenisset; igne, ferroque incensam, ac vasta-
tam latè Provinciam, magno ipsi auri pondere, redeme-
runt. Sequenti quoque anno bellum instauratum est, 1412
copias ducente Sigismundo Imperatore; sed quia Res-
publica providè rebus suis consuluerat, facilè hostiles
conatus à suis finibus propulsavit; atque tunc pacis in-
duciæ per quinquennium factæ. Quare toto ferè tem-
pore, quo Venetorum Respublica cruento bello fla-
gravit, cùm in Patavino Gymnasio à studiis penè cessa-
tum esset, in vicinas quisque Urbes [18] dilapsi sunt.
Satius itaque Barzizio visum Venetias ad tempus sece-
dere, ubi complures familiaritatis vinculo obstrictos ha-
beret, quos sibi Patavii studiorum necessitudo adjunxe-
rat. Verùm eò inopiæ deductum se sensit, ut omnium
re-

17 Petrus Justinian. Histor. Venet. lib.6. pag. 105. & seq. Marc. Ant. Sabellic. Decad. 2. lib.9. pag. 1320.

18 Epistolæ supracitatæ ad Christophorum, & Nicolaum Barzizios, & ad Cardinalem Zabarellam.

rerum chariſſimam librorum ſuorum ſupellectilem, magno animi ſui mœrore, diſtraxerit, cujus acerbam jacturam apud Cardinalem Zabarellam lacrymabili epiſtola lamentatus eſt [19]. Tandem Patavium cum ſuis re-
1412 verſus eſt [20], eo nimirum anno, [21] quo Reſpublica demum à bello quievit: tuncque exornandæ, & amplificandæ Univerſitati, atque bonarum artium ſtudiis, quæ intermortua jacuerant, excitandis animum adjecit. Utque ea res ſibi ex ſententia ſuccederet, orationem habuit ad Fantinum Dandulum [22] Urbis Patavinæ Prætorem, virum ob virtutum ornamenta, ac libros, quos ex Græcia attulerat, de literis præclarè meritum. Neque Barzizii ſpem Prætoris fefellit animus, quem ab ultima pueritia humanioribus deditum diſciplinis publica Reipublicæ munera ab illarum amore nunquam disjunxerant. Nam hic ad Reipublicæ dignitatem pertinere arbitratus; ſi qua de veteribus ſtudiis opinio Gymnaſio imminuta eſſet, majori in dies incremento augeretur; omnes eos, qui ad profeſſoris officium potiſſimum delecti eſſent, maximis cum honoris, tum liberalitatis argumentis complexus eſt. Præ cæteris tamen Gaſparinus dignior eſt viſus [23], in quem & obſervantiæ ſigna, & munificentiæ ſuæ dona conferret. Itaque pecu-

19 Epiſt. Gaſparin. ad Card. Zabarellam anno 1412.
20 Ex eadem epiſt. Gaſparin., & ex epiſtolis ejuſdem ad Marcum Lippomanum, Danielem Victurium anno 1412.
21 Pacis tamen induciæ initæ ſunt die 28. Aprilis ſequentis anni 1413. Theodoric. à Niem in vita Joannis XXIII. pag. 20. Raynald. ad hunc annum.
22 Anno 1412. erat Dandulus Patavii Prætor, ut ex Jacob. Salamon. Inſcript. Patavin. tom. I. in Faſt. Prætor.
23 Supracit. epiſt. ad Card. Zabarellam.

pecunia, quæ Senatus decreto in annos singulos persolvebatur, quadraginta ducatorum cumulo adaucta [24], rei familiaris inopiam leviorem fecit. Paucis interjectis 1413 mensibus ex vita excessit Jacobus Foroliviensis, quem Barzizius, universo adstante sapientum virorum cœtu, præclara laudavit Oratione, ac publicam in ejus interitu Medicinæ, [25] ac Philosophiæ jacturam deflevit. In hac autem Urbe antiquâ scientiarum omnium matre Latinas literas, quas prope fugientes admirabile Petrarchæ ingenium ad nos reduxerat: quæque sub Joannis Ferretti Ravennatis disciplina primas radices egerant: usque adeò Gasparinus provexit, ut ipsæ omnia ei ornamenta referrent accepta. Nam conquisitis undique Ciceronis libris, qua in re præstanda nec solertia defuit, nec diligentia: ratus sui muneris partes esse, ut ii quàm castigatissimi legerentur, id temporis, quod publicis, & privatis lectionibus habendis non tribuebat, quodque corporis quieti, ac alimento non concedebat, totum in illis emendandis collocabat. Hanc ob causam assiduâ, ac familiari Marci Tullii lectione exsaturato facile fuit Latinæ linguæ venustatem docendo, scribendoque attingere, & variis eloquentiæ luminibus aspersum sermonem in lucem proferre. Tam præclarâ dicendi laude commendatus magno in honore fuit apud Principes Nicolaum Estensem Ferrariæ Marchionem, necnon Philippum Mariam Viceconitem Mediolani Ducem: ad quem, ob partam de hostibus victoriam, gratulatoriam

d dedit

24 Eadem Epist. ad Card. Zabarellam.
25 Extat hæc Oratio inter alias Gasparini nunc primum à nobis edita, quam ipse Patavii habuit anno 1413.

dedit epistolam [26] consilii, ac prudentiæ plenam. Principum gratiam consecutus est privatorum quoque hominum favor; totam enim Marcellorum, & Corneliorum domum omni liberalitatis genere in se, ac suos effusam agnovit; atque ab omnibus, qui literarum, ac sapientiæ famâ præstarent, maximè colebatur. Summo itaque afficiebatur honore à Francisco Cardinali Zabarella, quem Patavina Universitas docentem aliquot annos suspexerat; familiaritatis verò, & amicitiæ consuetudine conjunctos sibi fecerat Andream Julianum, Danielem Victurium, Franciscum, & Zachariam Barbaros, Petrum Thomasium, Lazarinum Restam, Facinum Ventrariam, cæterosque sapientes viros, ad quos complures scripsit epistolas. Hanc amicorum jucundissimam societatem, in quam magna doctrinæ, prudentiæ, animique moderationis opinio Barzizium assumpserat, nulla unquam simultas intercidit, ac diremit: immo novà in dies officiorum omnium genera firmiori vinculo devinxerunt. Ita nullius rei egens, quæ satis sibi, satisque amplificando nomini erant, tranquillam Patavii moram degebat; ac muneri, quod sustinebat, se nullum unquam ibi finem, nisi cum vita facturum sperabat. Cùm verò Philippus Maria Vicecomes adversæ fortunæ metum, qui tot annos rebus suis impenderat, à se feliciter dimovisset, ac paternas Urbes, quæ in potentiorum Civium dominatum concesserant, partim vi, partim deditione Imperio suo adjunxisset: gravi bellorum solicitudine liberatus, in fovendas bonas artes, atque in studia literarum excolenda omnem curam

26 Epist. Gasparin. ad Philippum Mariam Vicecomitem anno 1412.

ram suam contulit. Is itaque Barzizium, quem Patria subditum fecerat, nequicquam tale suspicantem, Mediolanum vocavit. Molestum certè Gasparino erat ab 1418
amicorum amplexibus divelli; timebatque, ne ingrati animi labes in Senatum Venetum, à quo magnâ exceptus fuerat beneficentiâ, sibi inureretur, si Patavina ex Urbe discessisset. Verùm consilium periculi plenum, subire arbitratus dicto audientem non esse Philippo Duci; futurum namque erat, ut filii paternis bonis amissis, jucundo quoque Patriæ conspectu in posterum carerent; Mediolanum, animo quamvis averso, ac reluctante, profectus est. Eò cum venisset, honestum gratiæ locum apud Principem suum invenit; nihilque earum rerum, quæ exornandæ hominis dignitati convenirent, prætermissum. Utque quanti Philippus faceret singularem Barzizii doctrinam, omnibus notum, atque testatum esset: lateri quotidie suo hærere volebat, & magnam diei partem cum eo de literarum studiis sermonibus consumere. Is enim erat Princeps, in quem cum natura, ac fortuna omnia ornamenta congessissent, tum præclara ipsius virtus plurima certè, & maxima. Nam ad rei militaris gloriam hanc quoque Regii laudem animi adjunxerat, quod insignium, ac literatorum hominum familiaritate delectabatur; illique sæpe in congressum, ac colloquium Ducis venirent. Tempus autem, quod ab hoc Principis officio reliquum erat, vel instruendis, & informandis nobilium adolescentium ingeniis Barzizius impendebat, ut oneri, quod sibi impositum erat, omni curâ incumberet; vel emendandis latinis libris ab interpolatione verborum, & sententiarum mutilatione;

 quas

quas diuturna exſcribentium barbaries in eos invexerat. Totis itaque viribus adnitebatur, ut Quintiliani oratorias Inſtitutiones deformatas, ac magnâ ſui parte deficientes priſtinæ redderet integritati; ſed timendum erat, ut improbus Gaſparini labor rem ad finem perduxiſſet, niſi alii reperti Codices in auxilium veniſſent. Alterum enim ex Helvetia Poggius ad nos advexit; alterum verò in Italia tunc primum invenit Aretinus: quorum ope adeò Barzizius, & Aretinus profecerunt, ut diu deſideratus Quintilianus illorum ſtudio, ac diligentiâ quam emendatiſſimus legeretur. Itaque per omnem Italiam ſparſa, diſſeminataque exemplaria utrique exiſtimationem, ac dignitatem magnopere auxerunt. Ea res fecit, ut in majoris ſpem gloriæ vocatus Gaſparinus alium ſibi Ciceronis Codicem emendandum ſumeret. Hunc librum ex antiquis ruderibus effoderat Gerardus Landrianus Laudis Pompejæ Epiſcopus [27] in quo inerant præter Rhetoricorum libros [28] qui jam habebantur, tres quoque de Oratore ad Marcum Brutum: quos in funeſto literarum interitu omnes periiſſe dolebant. Verùm longâ temporis ætate conſumptus Codex vix aliquam reparandæ jacturæ ſpem dederat: propterea quod nemo ex iis, qui in exſcribendis antiquis libris verſati eſſent,

27 Blond. Ital. illuſtrat. de Romandiol. pag. 396. Edit. Baſil. & ex Epiſt. Barzlzii ad eundem Epiſcopum. Hic Gerardus à Martino V. Laudenſis Epiſcopus creatus eſt idibus Martii an. 1419., ut ex Ughell. Ital. ſacr. tom. 4. pag. 681. translatus demum ad Eccleſiam Comenſem, & in Generali Concilio Florentino Cardinalis creatus Tit. S. Mariæ Transtyberim, ut ex Clacon. in Vit. Eugenii IV.

28 Horum librorum auctorem communis literatorum hominum ſententia Ciceronem non agnoſcit, ut videre eſt apud Clariſs. Virum Albert. Fabricium Biblioth. Latin. lib. 1. cap. 8. pag. 96.

essent, ad eum accedere auderet. Unus ex omnibus
Landriano visus est Barzizius, qui mutilato, ac corrupto Codici manum admoveret: qua in re præstanda tantum ingenio, labore, assiduitate profecit, ut sospitem, ac reducem Ciceronem cum Marco Bruto loquentem omnes admirarentur. Erat tunc eò annorum provectus Gasparinus, ut ætati jam ad senium inclinatæ quiescendum esset à studiis, in quibus maximam dierum suorum partem exegerat. Verùm, cum omnem honestæ vitæ rationem apud sapientem virum in literarum amore positam didicisset, ad extremam usque senectutem docendo; scribendoque pervenit: hocque ad laborum suorum cumulum accessit, quòd ullâ adversâ valetudine, quæ eum à studiis remoraretur, infirmatas corporis sui vires
non habuit. Ita, cum satis gloriæ vixisset, Mediolani, 1431
ubi multa cum laude Latinas literas excitaverat, ingravescente vi morbi confectus, diem suum [29] obiit. Barzizii mortem prosequuta est mœrens Civitas magno Civium suorum fletu: quorum alii querebantur amissam familiarem amici consuetudinem: alii præceptoris do-

ctri-

---

29. Anno 1431. obiit Gasparinus, ut ex supplici libello Guiniforti ad Philippum Mariam Vicecomitem duodec. Calend. Martii hujus anni ex Gaspariniana Bibliotheca, quo error Matthiæ Konigii, Calvi, & aliorum detegitur, qui asserunt mortuum fuisse Gasparinum Bononiæ ann. 1428. vel 1429. Ipsum verò vita functum esse Mediolani habemus ex epistola inedita Rolandi de Talentis ad Guinifortum Barzizium, quæ penes nos extat. Alia quoque certissima argumenta refellunr Konigii opinionem de Barzizii obitu, quem anno 1428. contigisse asserit: epistola nempe Francisci Philelphi 32. lib. 1. ad Gasparinum tunc Mediolani degentem pridie idus Junii 1428. necnon altera epistola Barzizii ad Joannem Augustinum, & Guinifortum filios ex Mediolano pridie nonas Januarii 1429., quibus mendax pariter Calvus agnoscitur, qui Gasparinum Bononiæ moram traxisse anno 1428., ibique mortuum esse sequenti anno, nullum pro se adducens testimonium, affirmat,

ctrinam desiderabant: Urbs denique tota maximum sui ornamentum deesse ægrè ferebat. Paternæ virtutis hæredes reliquit Gasparinus plures filios, quos inter Joannem Augustinum Juris utriusque scientiâ præclarè præditum, & Guinifortum natu minorem, cujus admirabilis ingenii indoles minime fefellit patris opinionem,
1431 quam de ipso fecerat. Namque hic Novariæ primum, deinde [30] Mediolani paternum sibi docendi onus im-
1433 ponens, honorificentissimo judicio Philippi Mariæ Vicecomitis, adeò eloquentiæ laude omnibus præstare visus est: ut in Ducalem Consiliarium ac Vicarium assumpto ultro delatæ sint plures, & maximæ Legationes, quibus sibi multorum Principum gratiam promeruit.

---

30 Anno 1432. in Hispaniam profectus Guinifortus militiæ nomen dedit, ac Alphonsum Regem ad Gerbim Insulam oppugnandam secutus est. Sequenti anno 1433. in Italiam reversus Mediolani latinas literas docuit.

SELECTA
Illustrium Virorum
DE GASPARINO BARZIZIO
BERGOMATE
TESTIMONIA.

MARCUS ANTONIUS SABELLICUS
De latinæ linguæ reparatione.

PErierant, diuque sinè nomine, sinè cultu, sinè spe ulla melioris fortunæ Romanæ literæ in occulto fuerant: quum in Cisalpina Gallia, quod vix quisquam futurum putasset, raræ admodum; nec satis certæ reparandæ rei scintillæ velut ex densis quibusdam, repositisque emicuere tenebris; etenim neque assertore uno opus fuit, neque uno vindice, ut tam perniciosa pestis Italiæ finibus pelleretur. Est in Pergomati agro vicus obscuri olim nominis, nunc clarus, suoque partu illustris, Barziziam vulgo nominant: hic Gasparinus Grammaticus, ac Rhetor sua tempestate illustris: qui in hac Urbe *, ut audio, mox Patavii, inde Mediolani multâ nominis celebritate literas docuit, magis felici consilio, quàm quod tantæ cladis resarciendæ spes ulla prætenderetur: primus omnium, ut audio, ad veteris eloquentiæ umbram, nam ex re tam nobili nihil tum præter id unum supererat, oculos retorsit: quum

* Venetiis.

quum mille, & amplius annos Gethica illa tempestas terram Italiam invaserat, semper omnia in pejus abiissent: credo eâ fiduciâ fretus, quod in tres divinos illos Marci Tullii ad Quintum fratrem libros, quum diutissimè non extitissent, primus inciderat: quos situ, & vetustate consumptos diligenti curâ, & studio emendare adortus, tantum intentiore lectione profecit, ut opus non solum desideratum, sed deploratum etiam in publicum exhibuerit: multosque ad eloquentiæ cultum exemplo, & adhortatione excitarit. Fabius Quintilianus tum primum & ipse in Transalpina Gallia repertus, hujus operâ nonnihil veteri creditur squallore detersus. Scripsisse dicitur commentarios in varia Ciceronis opera, sed qui nulli hodie extent.

BLONDUS FLAVIUS FOROLIVIENSIS

In sua Italia illustrata de Romandiola pag. 346.

GAsparinus Bergomensis Grammaticus, Rhetorque celeberrimus Venetiis meliori solito doctrinâ nonnullos erudivit, plurimos ad ea imitanda studia incitavit. Et paulo infra: cum Philippus Mediolanensis Dux Tertius Gasparinum à Bergomo subditum hominem invitum Mediolanensibus edocendis Paduâ, & Venetiis evocavit. Ubi id maximè adjumenti studiis eloquentiæ attulit, quod repertus Laudæ à summo viro Gerardo Landriano tunc ibi Episcopo multis, maximisque in ruderibus Codex Ciceronis pervetustus, & cujus literas vetustiores paucissimi scirent legere, ad ejus perveniens ma-

manus interitum evasit. Continebat is Codex præter Rhetoricorum novos, & veteres, qui habebantur, tres quoque de Oratore integerrimos, Brutum de Oratoribus claris, & Oratorem ad Brutum M. Tullii Ciceronis: unde liberatus est bonus ipse vir Gasparinus ingenti, quem assumpserat, labore supplendi, quoad poterat, librorum de Oratore defectus: sicut diu antea in Quintiliani Institutionibus multo labore suppleverat.

IDEM *Italia illustrata de Lombardia pag.* 363.

BErgomum civitas vetusta, à Gallis simul cum Mediolano, Brixia, & Verona, eodemque tempore, sicut Pompejus Trogus dicit, ædificata: quæ Gasparino Bergomensi Rhetore, & Grammatico exornata est.

RAPHAEL VOLATERRANUS

Lib.21. anthropolog. de his, qui reliquis in artibus claruerunt, fol. 245.

GAsparinus Bergomas à Philippo Vicecomite accersitus, Mediolani ludum aperuit. Is libros Ciceronis de Oratore primus reperit, ac perlegit, cum flagitiosâ, ac penê incognitâ literâ scripti essent. Quintiliano quoque tunc invento semilacero emendando, multam cùm adhibuisset operam, Quintilianus integer, & ex omni parte incolumis repertus est.

Ex Vita POGGII

Parisiis edita in quarto 1511. in fine operum ante Facetias.

TUm Constantiæ, ubi Concilium tunc habebatur, non parum gloriæ est consecutus, præsertim propter Fabium Quintilianum, quem ex intimis Germaniæ penetralibus, situ, squalloreque penè obliteratum reportavit, quem postea Gasparinus Bergomas multo labore emendavit.

Ex Oratione JOSEPHI VERCELLENSIS

De laudibus eloquentiæ habita Venetiis.

HAbuit hæc ætas nostra, & adhuc habet duos in ea doctrina, scilicet Oratoria arte, viros sanè præclaros, atque illustres, Gasparinum scilicet, & Guarinum: quorum alterum Mediolani, alterum Veronæ præceptorem, familiaremque meum habui.

TRITHEMIUS

De Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 345.

GAsparinus Grammaticus patriâ Bergomensis ex Barzizia rusculo natus, vir in sæcularibus literis eruditissimus, & Rhetor præstantissimus, ingenio subtilis,

tilis, eloquio disertus, qui latini sermonis elegantiam semimortuam ab inferis resuscitavit. Scripsit multa in ea facultate præclara opuscula, quibus nominis sui memoriam posteris reliquit. Claruit tempore Concilii Constantiensis, & Sigismundi Imperatoris.

LEANDRO ALBERTI

Descrizione dell'Italia fol. 368.

GAsparino Barziza uomo perito tanto nella lingua Greca, quanto nella Latina, come chiaramente si puo conoscere nell'Opere da lui lasciate a'mortali.

CHERUBINO GHIRARDACCI

Istor. di Bologna lib. 28. pag. 595.

VIveva ancora con famoso grido Gasparino Bergamasco Grammatico, e Rettorico di gran dottrina.

TARCHAGNOTA

Istor. lib. 17. part. 2. pag. 698.

GAsparino da Bergamo fù celebre Grammatico di quell' età, e fu quasi il primo, che mostrasse una nuova strada delle buone lettere, e dell' eloquenza latina.

F. JACOPO FILIPPO

DA BERGAMO.

Lib. 13. fol. 516. pag. 2.

GAsparino nato in Barziza Villa nel Contado di Bergamo, Grammatico, e Rettorico celeberrimo, per la sua gran dottrina fù in questi tempi in Venezia molto onorato, dove era condotto con pubblico salario, e fece molti uomini dotti; e non solamente della Città di Venezia, ma d'altre nazioni, i quali erano andati per acquistar la sua singolar dottrina. Avendo Filippo Duca di Milano della fama della sua singolar dottrina notizia, contro il volere de' Veneziani, come suo suddito lo volle per insegnare a Milano. Costui fù cagione da risuscitar, come da morte a vita quell' opera eccellentissima, e degna di Cicerone, detta dell'Oratore, il qual volume gli venne alle mani, essendo antichissimo, e già totalmente perduto. E perchè nessuno lo sapeva per l'antichità leggere, durò tanta fatica, che egli medesimo lo volle trascrivere, e così di sua mano lo lasciò emendato, e corretto; ed in quel modo fù ripiena l'Italia di quel libro utilissimo, e desiderato da tutti gli uomini dotti. E mentre che visse, fù sempre dal Duca Filippo onorato. Costui oltre gli errori, che corresse con molta fatica in Quintiliano nel libro dell' instituzione, e ne' libri di Cicerone, cioè *de Oratore*, *de Officiis*, *de Senectute*, e nell'Epistole, gli commentò ancora. Compose l'ortografia in lingua latina, ed un volume d'Epistole, e d'Orazioni eleganti.

CHE-

CHEVILLIER

Origin. de l' Imprimerie de Paris part. 1. *chap.* 2. *pag.* 40.

GAsparin de Bergame habile Grammairien, qui vivoit en l'année 1420., fut un de ceux, qui travaillerent a retablir la pureté de la langue latine dans l'Italie, où elle étoit presque morte.

MORERY

Dans le grand Dictionaire tom. 2.

GAsparin de Bergame Grammairien celebre ètoit tres estimé environ l'an 1420., il composa divers Ouvrages comme des Commentaires sur divers livres de Ciceron, un Recueil d'Epitres, un Traitè de l'Ortographie &c.

Plures alii mentionem faciunt Gasparini Barzizii *Gesner. in sua Bibliotech. Matthias Konigius Bibliothec. veter. & nova, Calvi Scena letteraria de' Scrittori Bergamaschi. Muratorius Anecd. tom.* 2. *pag.* 241.

CEN-

CENSORUM JUDICIA

Illustrissimi, ac Reverendissimi Præsulis Nicolai Fortiguerræ Utriusque Sign. Refer., & Sacræ Consultæ Ponentis.

MAndante Reverendiss. P. Selleri Apostolici Palatii Magistro, legi Opuscula utriusque Barzizii, nimirum Gasparini Patris, & Guiniforti ejus Filii, quorum studiis lingua latina, illis præsertim temporibus tam fœdè corrupta, ut alia prorsus videretur, atque olim fuit, cum tanta gloria florebat, ita feliciter instaurari cœpit, ut ad pristinam illam suam dignitatem, ac pulchritudinem, si minùs cumulatè, & perfectè, at multo maxima ex parte fuerit restituta. Quapropter continere me non possum, quin summis laudibus efferam Joseph Alexandrum Furiettum Præsulem ornatissimum, cujus labore, & industria hæc Opuscula, atque ea præsertim, quæ à Gasparino conscripta sunt, eruditorum oculis hactenus abscondita eduntur. Est enim maximo beneficio universam Rempublicam literariam obstringere, in id potissimum incumbere, ut præstantium Virorum, qui latinæ linguæ incredibilem venustatem ab illuvie, & pulvere sordidatam, & sordidam abstergere studuerunt, non modò memoria non extinguatur, verùm etiam renovetur in dies. Cæterum in illis perlegendis nihil reperi, quod Catholicæ Religioni adversetur, nihil omnino, quod bonos mores contaminet: Quamobrem, quantum ego intelligere possum, non solùm non est, cur ii in publicam lucem non exeant, sed quò citius exire illos contigerit, eò gratiores literatis omnibus erunt: summa enim voluptas est, non tantum instauratæ linguæ beneficium ante oculos habere, quantum instaurationis ipsius modum, artemque laboriosissimam.

Ex Ædibus Fabronianis sexto Kalendas Junii.
Anno M.D.CC.XXII.

Reve-

Reverendissimi Patris D. Bonaventuræ Finardi è Congregatione Casinensi, Abbatis SS. Faustini, & Jovitæ Brixiæ, Sacræ Ind. Congr. Consultoris, & in Collegio S. Anselmi Urbis Sacror. Canonum Institutoris.

Pleraque ex iis, quæ scripta reliquerunt Gasparinus Barzizius Pater, & Guinifortus Filius Bergomates, quorum primus præstantissimus, secundus verò non postremus reparatores inter, ac illustratores latinæ linguæ, illorum ætate, si non omnino barbarie obrutæ, certè illuvie sordida, fœdoque padore ubique deformatæ, ea, qua par erat, diligentia, & multa, ac nunquam interitura tam sui, quam Patriæ laude pro suo in illam, atque in bonas literas amore, è tenebris eruit nunquam edita Illustrissimus, ac Reverendissimus Præsul Joseph Alexander Furiettus Bergomas Utriusque Signaturæ Referendarius, ac SS. Simonis, & Judæ Bergomi Abbas: eaque cum olim jam editis in unum volumen congessit, erudita Præfatione, ejusdemque elaborata, ac luculenta instructum vitæ descriptione. In quo quidem à me diligenti studio perlecto jussu Reverendiss. P. Gregorii Selleri Sac. Pal. Apost. Magistri nihil offendi, quod aut bonis moribus, aut Fidei orthodoxæ adversetur: quin immo opus quàm maximè literatorum Reipublicæ acceptum futurum, si committatur Typis, existimo.

Ex Ædibus S. Calisti decimo quarto Kalendas Julii. Anno M.D.CC.XXII.

IM-

IMPRIMATUR,


Si videbitur Reverendiss. P. Sacr. Palat. Apostolici Magistro.

N. Episc. Bojan. Vicesg.

IMPRIMATUR:

Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sacr. Palatii Apostolici Magister.

GA-



GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
DE COMPOSITIONE
PRIMA ELOCUTIONIS PARTE.



Um omnis commodæ, & perfectæ elocutionis præceptio in tres partes sit distributa, scilicet compositionem, elegantiam, & dignitatem; illud genus, quod ad compositionem attinet, tribus in rebus est positum, ordine, juncturâ, numero: quæ nisi diligenter ab Oratore sint considerata, splendor penè omnis, verborumque illa concinnitas tota intereat, necesse est. Quid enim sinè compositione elegantia, aut verborum, sententiarumque exornationes valeant, non satis intelligo. Quoniam itaque prisci Oratores maximam huic parti operam, studiumque adhibuerunt; quid unaquæque species compositionis sit, & qua ratione tractanda videndum est. Primùm itaque de ordine quid sit, & quot ejus genera dicendum est: dein de junctura: postremò de numeris.

Ordo igitur est apta quædam verborum inter se naturalis, vel artificialis dispositio: genera verò ordinis alii plura, alii pauciora con-

conſtituerunt. Quintilianus libro ſuarum inſtitutionum nono tres tantum ſpecies poſuit. Eſt enim quædam ordinis obſervatio, quam ego artificialem appello, quædam naturalis, quædam autem, qua genus per ſpeciem reſtringitur. Artificialis eſt, quæ ad rerum Αὔξησιν pertinet, & quam nos amplificationem dicimus. In hac eſt cavendum, ne decreſcat oratio, & ne ampliori verborum ſignificationi verbum minus amplum ſubjiciatur; ut cum ſacrilegum quempiam appellaveris, poſtea eum furem dicas, aut cum latronem eum dixeris, petulantem etiam addas. Augeri quidem vult oratio, & inſurgere, ut eſt apud Ciceronem: *Tu*, inquit, *iſtis faucibus*, *iſtis lateribus*, *iſta gladiatoria totius corporis firmitate*: quo loco id ab Oratore accuratiſſimè obſervatur, ut, quod ſequitur, majus ſit eo, quod antecedit. Sed hoc eſt notandum hanc artificialis ordinis rationem tunc magnopere obſervandam, cùm verba illa ad unam, & eandem rem ſint relata; quod ſi ad res diverſas referantur, nullum is vitium facit, qui ab hac ordinis ratione diſcedit: ut cùm alium ſacrilegum dixeris priùs, alium dehinc furem appelles, & ad hunc modum ſimilia.

Eſt altera naturalis ordinis ſpecies, in qua naturæ quædam ratio magis, quàm artis dignitas attenditur; ut ſi ſermo forte aliquis ad viros, & ad fœminas pertinens incidat, viros certe fœminis antepones in dicendo: ſic etiam ortum occaſui, diem nocti, ſecundas res adverſis, honeſta turpibus, & multa ad hunc modum alia. Habenda quidem eſt dignitatis naturæ quædam ratio, ſinè qua nec ipſa orationis gravitas ſatis probari poteſt. Sed illud eſt animadvertendum, hanc in prædictis rationem tunc attendendam, cùm talia verba ſe immediatè ſequuntur; nihil enim impedit, ſi à ſe diſtantia fuerint, & in diverſa parte orationis poſita, aut ad diverſum tempus, ordinemque relata, quæ minorem dignitatem habeant, poſſe dignioribus anteferri, ut in hoc exemplo: *Cùm ingens agmen priùs mulierum, dehinc virorum in manus hoſtium perveniſſet, ſecuta eſt ſubitò totius Urbis captivitas*. Idem in ſeparatis intueri multò eſt facilius.

Illa vero tertia ſpecies ordinis, qua genus per ſpeciem reſtrin-

ſtringitur, quo minus laudis, quàm duæ illæ ſuperiores, eò plus vituperationis, ſi ab Oratore neglecta fuerit, meretur. Hujuſce partis illud maximè proprium eſt, ne verba in oratione otioſa ſint, ne ſupervacua, ne nihil agentia: quod vitium evitare qui volent, nunquam generi ſpeciem anteponent, non verbis plus, minuſve, quàm tempori, rerumque naturæ convenit, aut aliud ſignificantibus in oratione utentur. Supervacuè igitur, ne ineptè dicam, ii faciunt, qui, cum de Caſtore, ac Polluce fratribus geminis loquuntur, ſpeciem generi anteponunt, nam ita inquiunt: *Caſtor, & Pollux gemini fratres cum finitimis bellum gerebant*: Nam cùm omnes gemini fratres ſint, nil opus erat, cùm *gemini* dixiſſent, *fratres* addere; ſi verò priùs *fratres*, de hinc *gemini* appoſuiſſent, cùm omnes fratres non ſint gemini, juſta reprehenſione caruiſſent. Cùm autem verba rebus, de quibus loquimur, non ſatis ſunt accommodata, propterea quod plus, minuſve, aut aliud ſignificant; quoniam hoc vitium facilè à quovis poteſt intelligi, exempla hîc non ſubjiciuntur. Neceſſe quidem eſt, ut quæ ſit cujuſque verbi ſignificatio dignitati orationis inſerviens, cum ex cæteris Grammaticis, tum maximè ex Nonio Marcello repetatur. Quis enim ignorat eum, qui in laudibus hominem ſortis infimæ, illuſtrem, aut magnificum appellaverit, majus aliquid: & qui Regem aliquem, ſive Imperatorem à parſimonia laudaverit, minus quàm perſonæ competat, attribuere: aut qui militem inermem ad bellum dicat inſtructum accedere, aliud, quàm rei conveniat, ſignificare; non enim inſtructus is miles dicitur, qui rei militaris ſcientiam tenet; ſed qui armis, qui equis munitus inſtrumenta ad bellum gerendum neceſſaria comparavit. Opus itaque hac unâ in parte erit, propriam verborum ſignificationem à Grammaticis repetere, & rerum naturam conſulere, quis ornatus rebus, de quibus loquimur, ſit accommodandus. Has tres ordinis ſpecies perpetuò in oratione attendendas, nemo dubitabit, qui vim, ac rationem perfectæ elocutionis conſiderabit; ſed multa alia ſunt, ac varia expoliendæ orationis præcepta, quæ, etſi non ſemper, ſæpe tamen ſunt ab Oratore conſideranda: nunc verò his, nunc illis utendum eſſe intelliget, qui eloquentiam,

non modò varietate sententiarum, sed verborum etiam oportere distinctam esse judicabit.

Laudatur igitur oratio illa, quæ in verbum sæpius, quàm in aliam partem orationis finitur, ut in hoc exemplo: *sola virtus est, quæ hominem beatum facit.* Item quæ dictionem habeat universalem in fine negativam, ut *nullus*, & *nemo*: vel affirmativam, ut *omnis*, & *quilibet*: vel insigne aliquod adjectivum, qualia sunt *insignis*, *egregius*, *spectatus*, *magnificus*, *illustris*: sive adverbium, ut *diligentissimè*, *accuratissimè*, & quæ his paria sint, velut in his exemplis: *quem magis diligam, habeo neminem: quæ vir bonus facit, laudant omnes: quæ ad me scribis, sunt egregia: quæ mihi mandasti, confeci omnia diligentissimè.*

Commendatur præterea oratio illa, quam obliquam dicimus, idest quæ à posterioribus dictionibus incipiat: ut, *neminem ferè comperies, qui satis sibi in rebus adversis constet.* Ab apposito quidem, non à supposito verbi incipit oratio. Plerunque etiam illud observatur, ut ab adjectivo sæpius, quàm à substantivo incipiamus, dum inter adjectivum, & substantivum aliquid interponatur; dummodo non ita separentur, quod orationem obscuram faciant, ut in hoc exemplo: *nulla satis probata apud suos cives virtus est*; Si verò oratio incipiat ab apposito, quod hujus relativi *qui*, *quæ*, *quod* sit antecedens, interdum inter relativum, & antecedens verbum interponere convenit hoc modo: *homines diligo, qui paci, & otio student*: nonnunquam etiam ornatus causâ relativum suo antecedenti præponitur, ut in hoc exemplo: *quos in Urbe tumultus excitasti, multarum seditionum principium, & causa extiterunt*; vel cùm relativum sinè antecedenti ponitur hoc modo: *quæ tua humanitas est, majorem beneficiorum rationem, quàm injuriarum habebis*: subauditur enim aliquid, quod locum antecedentis habet, *hac ante re, vel humanitate, quæ humanitas tua est.* Quanquam etiam cùm antecedens in principio orationis fuerit relativum, post verbum illud, à quo antecedens regitur, transfertur: ut *Cicero eloquentissimus fuit, qui cæteris in dicendo præstitit.* Qui verò rem simplicem proferunt, dehinc illam exornant, rem auditoribus gratam efficiunt, ut in hoc exemplo: *Vir fortis omnia pro Republica adibit pericula, & quidem*

dem impigre; commoventur enim auditorum animi vehementiùs, quàm si dixisset: *vir fortis omnia pro Republica impigre pericula adibit*; quanquam varietatis causâ etiam hoc genere dicendi interdum Orator utetur. Placet insuper, quòd sicut in mediocri figurâ magis convenit rem priùs nudam afferre, dehinc verbis idoneis illam ornare; ita in gravi figura, sive in laude, sive in vituperio versetur oratio, ab ornatu initium sumere. Exemplum primi: *Pompejus facilè omnium Romanorum cùm armis, tum consilio princeps fuit*. Exemplum secundi: *omnium Romanorum tum armis, tum consilio facilè Princeps Magnus Pompejus fuit*. Cavendum tamen est, ne vel in re tristi nimis lasciviat oratio, aut in re lætâ inculta sit, aut horrida. Nam, ut in rebus duris, & adversis ille verborum exquisitus apparatus fugiendus est; ita in secundis, & felicibus servanda est in prædictis observatio diligens; ex quo fit, ut interdum dictiones, quæ communiter præponi consueverunt, postponantur, quales sunt *in*, *sub*, *ad*, *apud*, *propter*, *pro*, *e*, *ex*, *ob*, & similes, ut in exemplis: *Omnes cùm honesta facimus, nihil est, quod vereamur: omnibus in rebus honestas placet: cùm divina sub potentia constituti sumus omnes, nemo est, qui voluntati æterni Judicis possit resistere*; aut illud: *Atticam ad Urbem postquam accessi, fortè mihi Socrates occurrit*: Simile illud est: *Nolana apud Mœnia Annibal à Marcello in fugam versus est: Tuam propter causam omnes caremus patria nostra: vestra pro benevolentia nullum tantum est periculum, quod non libenter adeamus: Junonio è templo multa signa erepta sunt: nostris ex agris pecus omne ablatum est: civilem ob causam magnas, ac periculosas contentiones suscepi*. Sed mos ille jam obsolevit, quo plerunque Cicero usus est ponendo *qui cum* pro *cum quo*: quod ego malæ consonantiæ vitandæ causâ fecisse eum arbitror. Plures alios modos esse certum est, qui per orationes sparsi legendo facilius, quàm præcipiendo intelliguntur; velut cùm hæc præpositio *de* interdum à Cicerone suo casui postponitur, ut in secundo ad Herennium, cùm inquit: *Utrum ea res similis sit ei rei, qua de agitur*. Qui verò plures ordinis species posuerunt, nomina verbis, verba adverbiis, item nomina pronominibus, tribus exce-

ceptis primitivis, & quæ priùs gesta sunt, posterioribus tempore anteferenda esse censuerunt: arbitrantes hanc ordinis dispositionem ad elegantiam pertinere, quæ facit, ut non modò congruè, sed purè etiam, & apertè dici unumquodque videatur. Huic præceptioni non curavi exempla subjicere, propterea quòd ipsa dicendi consuetudo multa nobis exempla suppeditat; & quòd hæc præceptio iis, quæ superiùs tradita sunt, plerunque repugnat: quod ipse Oratorum usus multis modis demonstrat. Si verò ullus huic eorum præceptioni locus proprius est, valet potissimè in humili figura, vel materia tristi, & in narrationibus. Sicuti etiam cum illa ipsa, quæ illustriora sunt, ac grandisona, si præter modum frequentia sint, nonnunquam nos fastidio afficiunt; ita illorum prætermissione temperatur satietas illa, quæ in summis etiam rebus offendit, velut in trito, ac veteri proverbio est: *Abundantia satietatis dicitur parens*: ut ista ipsa faciliori compositione moderetur, & oratio aliqua varietate animum oblectet. Caput autem omnium, quæ ad elocutionis præcepta attinent, illud visum est, ut omnia, sicut dixi, ad rerum, de quibus loquimur, dignitatem, temporum, locorum, & personarum accommodata sint. Rectè itaque Mecœnatis illa minimè laudatur compositio, cùm inquit: *Sole, & aurora rubent plurima*; simile huic illud ejusdem est: *Inter sacra movit aqua fraxinos*: elaborata nimis quidem est oratio, & ambitiosa. Cùm verò idem in re mœsta, ac lugubri, attentiori studio, verborum compositionem, quàm affectum animi attendit; non verba rebus, sed res ipsas verbis accommodavit, dum inquit: *Ne exequias quidem unus inter miserrimos viderem meos*; Satius enim erat perturbata potius hujus ordinis ratione, prout doloris impetus suadet, quàm limata nimis, atque expolita compositione uti. Non enim quidem natura ipsa patitur, ut cum gravi aliquo mœrore premimur, verborum compositioni vacare possit animus. Probatur itaque magis illud dicendi genus, quod abruptum est, ac simile illis animorum fluctibus, quàm expolitum, ac sedatum. Vitatur insuper etiam illa ab Oratoribus accurata verborum compositio, cùm eloquentiam auditoribus suspectam esse intelligimus; & ma-

maximè in exordiis, velut Domitius affert pro Dolabella; *gratias agam continuò*: & pro Lælia, *apud te judicem*, inquit, *periclitatur Lælia*: quibus in exemplis de industria cavit Domitius, ne oratio in verbum finiret, ut teneram illam, delicatamque modulandi voluptatem effugeret. Si verò nostra oratio ad aliquam concitationem animorum, quæ sit vehemens, inclinabit, commodissimè in verbum aliquod finiet, velut est illud Ciceronis in Antonium: *ut tibi necesse esset in conspectu populi Romani vomere*: Magis enim afficitur auditorum animus, si in verbum finitur oratio: in quo id maximè probatur, ut in illud verbum oratio terminetur, quod vel in vituperio summam deformitatem habeat, vel summum decus in laudem, ac ornamentum. Illud autem in universum placet; ut cùm dicendo eò provecti fuerimus, ubi, & rebus, de quibus loquimur, satis à nobis factum erit, & aliquo egregio sensu oratio ipsa claudi poterit, ne ulterius provehamur: in quod vitium plerique incidunt inertiâ potius quadam, aut negligentiâ, quàm rerum dicendarum inopiâ.

Hactenus de ordine; nunc de junctura dicendum, quæ pars secunda fuerat ex tribus locis attributis compositioni. Primum itaque videndum, quid sit junctura: deinde quid inter juncturam, & ordinem referat: postremo, quæ vitia potissimum sint in juncturâ vitanda.

Junctura velut à veteribus definitur, est congrua quædam, atque concinna litterarum, Syllabarumve in contextu verborum collocatio ab omni offensione aurium procul remota. Hoc autem inter juncturam, & ordinem differt: quod junctura in litteris, ac syllabis attenditur: ordo vero in singulis dictionibus. Vitia verò in juncturâ fugienda multa sunt, quæ ab Isocrate, & Theopompo, summo studio, sunt vitata: à Cicerone autem, ac Demosthene nonnisi cum nimiâ frequentiâ in orationem ingeruntur: sæpe etiam, si moderatè intercurrant, orationem nunc molliorem, nunc graviorem efficiunt; &, ut in saporibus quædam interdum suaviter amara sunt; sic in oratione aliqua asperitas inter sonantia magis grata est. Quid illum dicam præcipitem verborum cursum, nonne

nonne aliquo ſæpe vocalium modeſto concurſu temperatur, majoremque in pronunciando affert dignitatem? Valeat igitur in his hæc præceptio, quæ nimis crebra incidunt, aut quæ ſunt uno ſpiritu pronuncianda; in cæteris, ſi vel ſententiarum neceſſitas exigit, aut punctis quibuſdam concurſus ille vocalium diſtinguitur, nec ſpiritu uno, ac eodem profertur, (modò id rarò, atque modeſtè fiat) non modò non reprehendendum erit, ſed quandoque etiam laudandum. Cavendum igitur eſt, ne ille vocalium concurſus creber incidat, qui vaſtam, & hiantem orationem reddat, ut in hoc exemplo: *minimè honeſtæ, aut gratæ aræ illæ Æſculapio habitæ erant, quæ omnia appoſita omnibus ad voluptatem habebant*. Quis non videt tam crebrum vocalium concurſum non modo hiantem eſſe, verum etiam ſenſum aureum, qui delicatiſſimus eſt, faſtidio non mediocri afficere? Vitanda eſt præterea, ſicut ejuſdem verbi, ita etiam ejuſdem literæ, aut ſyllabæ inconſona repetitio, præſertim cùm ſe proximè conſequuntur, ut in his exemplis: *Tute tuta te virtute tuente tueris: amore regit regis geſta, qui verbis ad cœlum tulit*. Nec ſolùm vitandum eſt, ut ſequens verbum ab illa incipiat ſyllaba, in quam præcedens deſinat; ſed ne etiam ab eadem ſyllaba verba continuata incipiant: ut *poetæ potentiam ponentes in poſſibilibus, & honeſtis rebus laudantur*. Sed cùm non omnium literarum, ac ſyllabarum concurſus eandem habeat aſperitatem, videndum eſt, quæ magis deformem compoſitionem efficiant; nam vocales eæ, quæ majorem ſonum habent, quales ſunt *a* & *o*, minùs ſe compatiuntur, ſi invicem concurrunt, ut in hoc exemplo: *ama amantem, dum veram laudo amicitiam*. Quæ verò magis exilem habent ſonum, minorem hiatum faciunt: ut *honora illuſtres viros, & excolito unicè virtute præditos*. In *e* quoque ſi terminet verbum aliquod, ſequenti verbo ab eadem vocali incipiente, inconſonantem vocem efficit: *ut egredere ex domo aliena, vel egredere ex Urbe elata*: quanquam idem penè in omnibus aliis vocalibus accidat, quæ neſcio, quo pacto ſe magis inconcinnè recipiunt, quam ſi diversè concurrant: ut *ſolicita Auſoniam in arma, & elige egregios bellatores*: *Con-*

Converti irritantes ad discordiam, vel cives: latro omnes, quos potest, spoliat, dum victor omnium in castris extat. In consonantibus verò *s*, & *x* ineptam pronunciationem reddunt: ut *deceptus Xerses inconsultè bellum Græciæ intulit: sexcentorum Senonum Brennus fuit dux.* Non solùm in verbis diversis, sed etiam in compositione vitandus harum literarum concursus est; quare, si fortè accidat, ut hæc præpositio *ex* cum dictione ab *s* incipiente componatur, *s* litera de medio est abjicienda, ut *exurgo*, *exuscitor*, & similia: nec solùm in his duabus literis magna inest asperitas; sed *s* etiam, & *t*, si crebro concurrant, deformem juncturam reddunt: ut, *nunc suavissimè suadebat: nunc verò terrore terribili tutoribus suis satis gravis erat.* Nec tantùm, quæ prædicta sunt vitia, ab Oratore declinantur; sed etiam, ne idem sit dictionum se immediatè sequentium exitus, cavetur: ut *illorum bellatorum, ac Imperatorum optimorum fortuna laudatur, quorum probitas civium optimorum saluti intenta est.* Monemur insuper, ne eâdem sæpius dictione utamur, nisi ornatus causâ, ut in repetitione, conversione, complexione, traductione, gradatione, argumentatione, & si qui alii hujusmodi colores in orationem cadant: quod facilè dignoscemus, si judicio aurium, quod raro fallitur, uti volemus. Nemo quidem ita eloquentiæ ignarus est, cujus animus non fastidio aliquo afficiatur, si quid hujusmodi audierit: *non est rationis ratio rationem illi adhibere, qui in ferendis sententiis ratione legum non utatur*; aut si hujusmodi oratione uteretur: *non est is homo appellandus, qui alteri homini dolum, aut fraudem machinatur, cùm nihil sit magis hominis proprium, quàm pro salute hominum multa, si Respublica exigat, adire pericula.* Recedendum est etiam à nimia verborum suspensione: quæ res, tametsi exordiis interdum conceditur, in cæteris tamen orationis partibus reprehendi solet; nec tamen omnibus procemiis competit, velut his, quæ in attenuato genere, aut in mediocri versantur: erit itaque suspensio illa, & prolixitas in processu orationis, aut in iis, quæ dixi generibus, etiam in principio orationis vitiosa. In exordio autem gravis figuræ non reprehenditur, quali usus est

Cicero ea in oratione, quam de suo in patriam reditu ad Quirites præclaram habuit, ejus verba sunt hæc: *Quod precatus à Jove optimo maximo, cæterisque Diis immortalibus sum Quirites, eo tempore, cùm me, fortunasque meas pro vestra incolumitate, otio, concordiaque devovi; ut, si meas rationes unquam vestræ saluti antepofuissem, sempiternam pœnam sustinerem mea voluntate susceptam; sin & ea, quæ ante gesseram, conservandæ civitatis causa gessissem, & illam miseram profectionem vestræ salutis gratia suscepissem, ut quod odium scelerati homines, & audaces in Rempublicam, & in omnes bonos conceptum jamdiu continerent, id in me unum potius, quàm in optimum quemque, & in universam Rempublicam deflecterent: hoc si animo in vos, liberosque vestros fuissem, ut aliquando vos, Patres conscriptos, Italiamque universam memoria mei, misericordia, desideriumque teneret: ejus devotionis me esse convictum judicio Deorum immortalium, testimonio Senatus, consensu Italiæ, confessione inimicorum, beneficio Divino, immortalique vestro, maximè lætor Quirites.* Cùm enim initio hujus exordii suspensa oratio fuerit, & ad hunc extremum exitum referenda, quo totum exordium clauditur, dum inquit: *maximè lætor Quirites*: quis non videt, vel ubique in humili genere, aut mediocri, vel in cæteris partibus orationis in gravi figura prolixitatem hanc fugiendam esse: quæ, si ab alio, quam à Cicerone latinæ eloquentiæ principe, scripta esset, nemo ferè est, qui non eam obscuram ipsâ verborum nimiâ suspensione diceret. Quod verò in gravi figura longiori oratione uti in procœmio liceat, auctores habemus Græcos, à quibus in omnibus principiis, cùm librorum, tum etiam orationum, quæ dignitatem aliquam habent, suspensio ista, quam illi Μακρ. λογίαν, nos verò longum sermonem dicimus, laudatur. Illud autem ex omnibus juncturæ vitiis, quò evidentius est, eò faciliùs vitatur. Hoc ad ineptam, obscuramque unius, & ejusdem verbi divisionem pertinet, cùm syllabæ, aut literæ unius dictionis cum ea, quæ ab illa distat, copulatur: quo in vitio Cæcilium quarto ad Herennium fuisse testatur Cicero, cùm inquit: *has res ad te scriptas luci misimus eli*, ubi *è* vocali abla-

ta

ta ex hoc verbo *emisimus*, & hac syllaba extrema *li* dempta ex hoc nomine *lucili*, orationem, quæ ex se dilucida erat, atque apta, confusam, & obscuram reddidit.

Satis de vitiis in junctura vitandis dictum ab me arbitror, nunc superest, ut de ratione numerorum dicamus, quæ apud Isocratem tanto studio, vel inventa, vel ab eo aucta reperitur, ut nullam ex omnibus eloquentiæ partibus huic anteponat. Nam, cùm numerus, atque contorta oratio dignitatem ordinis, & concinnam juncturæ structuram in se contineat, necesse est, ut ex omnibus compositionis partibus huic uni palmam concedamus. Sed hujusce disciplinæ præcepta cùm varia sint, nec latini auctores græcorum doctrinam semper secuti sint, ideo etiam inter latinos non parva contentio est. Ciceronem enim non semper hac unâ in parte nono suarum institutionum Quintilianus sequitur; Martianus verò quinto libro de nuptiis Philologiæ, & Mercurii, Ciceronis omissis, Quintilianique præceptis, aliam rationem numerorum instituit; & non solùm in quosdam pedes, sed in certum etiam syllabarum numerum præceptionem hanc distinguit: cujus doctrina cum dilucidior sit, & ad intelligendum facilior, hoc loco à me primum commemorabitur. Si ergo in monosyllabam dictionem oratio terminabitur, quod rarò, ubi sensus perfectus est, ab Oratore observatur, considerandum est, utrum ea longa sit, an brevis: si longa est, eam præire trochæus debet, qui duabus ex syllabis constat, longa scilicet, & brevi, quale est illud Ciceronis in Miloniana: *non scripta, sed nata lex*; aut illud ejusdem: *debet esse legum in Republica prima vox*. Quod si talis monosyllaba dictio brevis fuerit, rectè jambus, qui est pes ex prima brevi, & ultima longa; aut anapæstus ex duabus brevibus, & ultima longa constans ante illam collocatur, ut est apud Salustium: *tota autem insula modica, & cultibus inanis est*: quo in exemplo, quanquàm positione finali verbum monosyllabum producatur, naturaliter tamen breviatur. Sin autem brevem brevis syllaba, aut longa longam antecedat; jure id reprehenditur, velut si dicis: *ista res mea est*; aut quale est illud Ciceronis pro Quinto

Ligario: *Non tu eum patria privare, qua caret, ſed vita vis*: Quod certa ex ſcientia Orator, non errore aliquo fecit. Sin autem verbum diſſyllabum in fine Orationis collocetur, & penultimus fuerit ſpondæus, pes ex duabus longis conſtans, mox jambus poſt ſpondæum aptiſſimè ponitur, ut in hoc exemplo: *Tenui ſervos meos*, aut pyrrhichius pro jambo: ut *Conſul videt*; & eſt pyrrhichius pes ex duabus brevibus conſtans. Laudatur etiam illa conſonantia, in qua jambus ſpondæum, vel trochæum antecedit. Exemplum primi: *Patria continet bonos cives*; Exemplum ſecundi: *Aſſeras caput legis*. Illud autem cavendum eſt, ne duo jambi, aut jambus, & pyrrhichius in fine collocentur, velut ſi dicas: *Pulchrum eſt pugnare juvenes pro ſuis parentibus*; quo in exemplo pyrrhichium jambus antecedit. Si verò dixeris, *pro parentibus ſuis*, duo jambi in fine clauduntur, ſcilicet *tribus ſuis*; nec minus reprehendendum eſt, ſi duo pyrrhichii in fine ponantur, cùm ſyllabas quatuor breves conſtituant, in quod vitium incidit, qui ait *perdidi bona mea*. Reprehendendus eſt etiam, qui trochæum, aut ſpondæum poſt pyrrhichium locat, ut, cùm *queritur ſua fata*: ubi, cùm *ſua* duas breves habet, *fata* verò primam longam, & ultimam brevem, pyrrhichius vitioſè trochæo præponitur; Qui verò dicet, *imputet ſibi demens*, ſpondæo pyrrhichium anteponet. Malâ inſuper numerorum conſonantiâ utitur, qui trochæum præjungit jambo, vel pro jambo poſt trochæum pyrrhichio utitur; habet enim neſcio quid carmini elegiaco proximum: parum quidem refert, utrum dixeris, *omnia namque vides*, quàm ſi dicas *reſpice fata mea*. Concinniùs itaque numeris illi utuntur in dictionibus diſſyllabis, qui aut duos in fine ponunt trochæos, ut hoc eſt: *Bonorum civium magna cura*; vel trochæum ante ſpondæum, ut hæc ſunt: *Quæ maximi Principes ſola curant*. In triſyllabis autem, ſi molliter orationem velis decurrere, collocetur in fine moloſſus, pes ex tribus longis conſtans contrarius tribaco, præcedatque moloſſum trochæus, quo numero Cicero in Roſciana uſus eſt, cùm inquit: *Mare fluctuantibus, littus ejectis*; eſt enim littus trochæus, *ejectis* verò moloſſus. Contra illa peſſima eſt conſonantia, quæ ſpon-

ſpondæum moloſſo prælocaverit, ut ſi quis diceret: *Mare fluctuantibus, rupes ejectis*: nec minùs compoſitio illa vituperaretur, ſi pyrrhichium pro trochæo prælocaveris, ut ſi dicas: *Mare fluctuantibus, dolor ejectis*. Vitioſa eſt etiam illa concluſio, quæ primam noviſſimi moloſſi contra pedis naturam breviat, trochæo quamvis prælocato; quæque in conſonantiam heroicam incidit, ſi quis dixerit *Littus amicis*. Quod ad tetraſyllabas dictiones attinet, paucioribus præceptis continetur; cùm enim pes ionicus duplex ſit, minor ſcilicet, ac major: minor, quod primis duabus brevibus, reliquis autem duabus longis conſtet; contra major duas primas habeat longas, poſtremas autem breves: illud Martiano * placet, quòd poſt trochæum ionicus minor in fine locetur, ut ſi dicas: *Mare fluctuantibus, littus agitandi*. Monet autem, ne pro trochæo penultimo ſpondæus ponatur; ait quidem minus honeſtam conſonantiam ex hoc ſequi. Hæc de numeris Martianus: plura Cicero. Sed multis locis ab hac inſtitutione diverſa, atque obſcura, errore potius, inſcitiâque librariorum accidiſſe, quàm aliâ cauſâ non eſt dubitandum. Quintilianus verò auctor exactiſſimæ diligentiæ non ſemper Ciceronis ſententiam probat, velut ſuperiùs admonui; multumque hac unâ in parte præceptionis eſt: à quo etſi pleraque accuratiſſimè ſcripta ſint, minus tamen doctrina ejus dilucida ideo apparet, quod locis nonnullis ab maximorum uſu Oratorum diſcedit. Illud prorſus divinum, quod non iiſdem numeris in omni genere cauſarum, neque in omni parte orationis utendum eſſe dicit. Laudat quidem iis in genere demonſtrativo numeris utendum, qui longiores habeant ſyllabas; in judiciali verò, qui breviores; aut deliberativo pro rerum varietate, nunc ſcilicet illis, qui breviores, nunc iis, qui longiores habeant; ut ſi graves erunt ſententiæ, ac ſublimes, longis; ſi abruptæ, aut humiles, brevibus utamur. Rurſum brevibus, tum in partitione, tum in argumentatione rhetorica, uti jubet; referenda enim eſt ratio numerorum cum ad varios animorum effectus, tum etiam ad digni-

* Martianus Capella.

gnitatem, & modum ſententiarum; nam quæ iracunda eſt oratio, brevioribus: quæ verò læta, & jucunda, longioribus numeris gaudet. Nonnihil perſonarum dignitas, cauſarumque, ac temporum varietas momenti affert; ſed quoniam ab hac numerorum obſervatione ſæpe de induſtria recedendum eſt, vel gravitatis cauſâ, vel ut varietate quadam temperetur oratio, ſplendor quoque ille numerorum intermittendus eſt. Quanquam enim hunc ornatum non inferiorem eſſe gravitate ſententiarum Quintilianus auctor ſit; non minus tamen artificioſum eſſe oratione interdum ſolutâ numeris, quàm numeroſâ uti oratione, teſtis eſt in eo libro Cicero, qui Orator inſcribitur. Meâ itaque ſententiâ orationes ipſæ Ciceronis, quibus utendum locis ſit, aut quando ſuperſedendum, nos melius admonebunt, quàm ulla dicendi præceptio, aut ars à majoribus tradita. Caput autem omnium præceptorum illud viſum eſt, ut rebus, de quibus dicendum eſt, ars numerorum ſerviat, & non res arti: à qua ratione qui diſcedet, omnem ſuæ elocutionis dignitatem perturbabit.

GA-

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
AD SUMMUM PONTIFICEM
ALEXANDRUM V.
HABITA A LAURO BRAGADENO PATRICIO VENETO.

CUm omnes, qui tuam adeunt Sanctitatem, Pater Beatissime, student ideo se tibi acceptos reddere, quòd per se ipsos, vel officium suum apud te laudatum videri volunt, vel negligentiam excusatam; non eâ certè ratione ego, & hic optimus adolescens frater meus ad pedes tuos accessimus; sed ut tibi persuadeamus L. Paulum virum optimum, ac tibi semper obsequentissimum, & nos ipsos fratres ejus patrueles hoc officium ex animo tibi non minus, cùm absentes haberemur, quàm hodierno die coram exhibuisse. Sciebamus te hoc visitationis genus jam tritum nimis, & vulgare minimè à nobis expectare: quos superiori tempore multis potuisti signis cognoscere, tantum nomini tuo attribuisse, quantum postea nemini. Illud etiam succurrebat, quod tanta erat eorum hominum frequentia, qui, cùm aliquid à te expectarent, nimis aliquando se officiosos præbebant, ut vix ullum interspirandi spatium vacuum tibi relinqueretur. Ex quo sæpe audiebamus, cùm de summis rebus ageres, neque ad eas conficiendas satis temporis tibi esset; nonnunquam diem inter illa maxima consilia tua, & hanc incredibilem, quæ ad te confluebat, multitudinem, partitum esse. Non igitur putavimus nostrum fuisse, qui tam tui eramus, Sanctitatem tuam in tantis occupationibus adire: qui non satis exploratum haberemus, quantum nos hoc tuo summo Pontificatu gaudere crederes; aut quantum clementia tua nos fideles servos tuos amaret, & sibi quàm charissimos haberet. Nunc verò, cùm ingens illa salutantium turba paulùm se remiserit, & tua Sanctissima providentia jam formam quan-

Anno 140[illegible]. di 26. Junii in Concilio Pisano electus fuit Pontifex Alexander Quintus, ut ex Platina in Vita Alexandri V.

quandam, atque imaginem Ecclesiæ Dei prope constituerit; visum nobis est, hoc te adeundi tempus opportunissimum, atque commodissimum esse. Illud ergo summum congratulandi officium, quod solo animo à prima die, quâ illam ipsam electionem, & consecrationem tuam feliciter audivimus, usque ad hoc tempus, omni reverentiâ, & integritate præstitimus; nunc etiam præsentes, & ipsis, ut ajunt, corporibus nostris, quantâ possumus affectione, libenter exhibemus. Neque est Beatissime Pater, quod absentiam viri optimi patrui nostri vel desideres, vel accuses: cùm ipse nihil magis ægre ferat, quàm quod pedes tuos, ut optabat, per se ipse & osculari, & amplecti non potuit. Quo in dolore hoc uno fruitur solatio, quod divinam humanitatem tuam non ignorat: quæ non quo loco, sed qua fide, & qua devotione colatur, aspicit. Crede itaque Pater Sanctissime illum ipsum ejus animum hîc ante pedes tuos, atque etiam ante ipsos oculos effusum, tuam hanc verendam majestatem maximâ cum voluptate, ac summo studio contemplari; & hæc ipsa, quæ à nobis dicuntur non modò sentire, sed etiam, nostrâ apud te oratione, pro se ipso à nobis explicari quàm maximè velle. Solemus Pater Beatissime, ut etiam pro ipso loquamur, sæpe illam præstantissimam naturam, atque divinas virtutes tuas cum cæteris, qui te in hac ipsa omnium maxima dignitate antecesserunt, comparare: solemus fortunas eorum, qui aliquid præterea magnificum, atque excelsum assecuti sunt, cum tuis laudibus conferre: non habemus, quem ex maximis, & summis viris, quos multa sæcula tulerunt, tibi parem faciamus. Cæteri quadam aliâ ratione, multumque à tua dissimili ad summum processerunt, quos vel majorum suorum fulgor, vel divitiarum affluentia, vel popularis gratia rarò bonis artibus quæsita, vel alia animi calliditas (pace omnium dixerim), magis quàm virtus, quàm sapientia, quàm pietas, quò volebant, provexit. In te verò Pater Clementissime minimas semper habuit partes fortuna: maximas verò natura, & virtus tua. Si enim vetustissimos Pontificum nostrorum annales, etiam ab illo usque primo hujus Ecclesiæ nostræ capite, & summo Pontifice Petro repetam; quis est, si ætates inter se, & tempora conferamus, quem vel naturâ, vel ingenio: quem virtute, aut

ma-

maximarum, pulcherrimarumque rerum ſcientia, aut non attingas, aut non potius antecedas. Unum eſt, quo te longè omnibus iis, qui te præceſſerunt, & ut ſperamus, qui futuri ſunt, anteponendum cenſemus. Neminem accepimus per tot honorum gradus, & quaſdam velut ſcalas eo, quo te ordine ab ultimo ad ſummum uſque provectum eſſe; Neque id caſu, aut fortuna factum quiſquam poteſt dicere, qui primam Sanctiſſimæ Religionis tuæ profeſſionem cum aliis honoribus conferat: neque id repente, ut ſolent fortuita, ſed tuæ ſemper dignitates cum ætate, & magiſtratus cum annis creverunt. Ex quo nemo dubitare debet, quin ad nos ab ipſo Cœlo ad hoc demiſſus ſis, ut hoc Sanctiſſimum Romanæ Eccleſiæ corpus divulſum, ac dilaceratum componas, atque reficias. Itaque jure optimo nos omnes te admiramur, & ut Principem optimum avidè complectimur. De qua re plura dicerem, niſi illud ſcirem nullius poſſe tantam eloquentiam eſſe, aut tantam vim ingenii, quæ, non dicam oratione explicare divinas laudes tuas, ſed ne ſatis illas quidem admirari poſſit. His accedit, quod te jamdudum videmus Pater Beatiſſime ab hoc dicendi genere nonnihil abhorrere: cùm tu ipſe nihil horum, quæ de te commemoravi, tuum unquam eſſe duxeris. Faciemus ergo finem dicendi: & ei, cui te hæc omnia ornamenta à nobis tribui concedique velle intelligimus, omnem tuam laudem, gloriamque animo, & cogitatione referemus; Si priùs illud te ipſum obſecrare, & ex te ſperare nobis permiſeris: ut, quantum tua celſitudo crevit, tantum gratiam tuam, & ſummam in nos benevolentiam auctam eſſe intelligamus.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
AD FANTINUM DANDULUM
PRÆTOREM PATAVII PRO GYMNASIO PATAVINO.

ETſi maximè oportebat, Prætor optime, ſtante adhuc, & incolumi hac noſtra Univerſitate, potius te eſſe miſſum ad conſervationem ejus, quàm ad dignitatem penè extinctam reſtituendam veniſſe; tamen propter incredibilem, ac prope ſingularem animi tui Sapientiam tantam ſpem noſtris rebus dies hodiernus attulit, ut illa hoc tuo adventu nunc primum ſpiritum reſumere, & quaſi reviviſcere nobis videatur. Quare immortales gratias habemus tuæ Reipublicæ, omnibuſque Patribus Conſcriptis, quod non ſint paſſi hos omnino de toto ſtatu noſtræ dignitatis deſperare. Cùm enim omnia extrema videremus, & multa hujus noſtri ſtudii lumina palàm à nobis auferri, nemo alius fuit, qui melius poſſet huic noſtro malo, quàm tu ipſe mederi: Quod tuus ille Sapientiſſimus Senatus multis ſignis perſpexerat. Nam cùm annis ſuperioribus, Sapientiam tuam in hoc pulcherrimo conventu doctiſſimorum hominum expertus eſſet *, illud certè maximum fuit, & omnium admiratione proſequendum, quòd nulla ex parte iis cedebas honore, cum quibus tum ſumma tibi erat de principatu legum, & ſapientiæ contentio: cùm tamen ii eſſent, qui in cognitione, ac ſcientia juris Civilis ferè omnium hujus noſtræ ætatis principes haberentur. Quid autem his diebus pro tua Republica, & pro libertate Italica egeris, cùm forte à Senatu legatus ad Duces Auſtriæ profectus eſſes, nihil amplius dico; niſi, quòd omnem metum, qui non parvus ab arctois partibus tum

* Hæc Oratio habita fuit Patavii anno 1412., quo erat Prætor illius Urbis Fantinus Dandulus, ut ex Jacobo Salamonio inſcript. Patavin. tom. I. in Faſt. Prætor. & apud Comit. Sertorium Orſatum Cronolog. de Reggim. di Padova.

tum imminebat, tuâ illâ egregiâ, & singulari Prudentiâ discussisti. His ergo tuis in Rempublicam meritis, ac Sapientia, Senatus ipse, atque omnes cives tui, ad quos Reipublicæ summa pertinet, impulsi hanc amplissimam Præturam ad te unum detulerunt, non dubitantes de tua virtute: sive res ipsæ in pace futuræ essent, sive bella administranda, cùm potius semper victoria sapientum consilio, quàm militum armis constiterit. Sed hæc prætereamus. Sunt enim ita omnibus nota, ut oratione mea non egeant: & tu is es, qui magis gloriam tuam factis, quàm prædicatione ullius spectatam esse semper voluisti. Ad illud venio, ad quod orationis meæ cursus à principio intendebat. Orat te, Prætor Sapientissime, hæc nostra infirma, & vix stans Universitas, ut ad se aspicias, suique miserearis. Nemo est, qui præter te possit vulnera ejus sanare. Vide ne homines ii, quibus Principibus adhuc nostræ artes stetere, à nobis discedant. Non dubitamus enim, quin si hoc nobis perfeceris, brevi simus recuperaturi omnia nostræ dignitatis ornamenta. Videbis enim Prætor humanissime: modò ii maneant, qui studiorum suorum duces sunt: ex omni parte confluere omnes, qui litteras, & bonas artes sequuntur. Illa ergo se tibi ex animo commendat, ac etiam precatur, ut se ruentem sustineas, & in pristinum statum restituas. Obsecramusque te omnes, qui hîc sumus, sed ego maximè, ut ita corpus totum Universitatis utriusque procures, ne totus omnino in unam tantum partem incumbere voluisse, alterius oblitus, videaris. Est enim, sicut inter ipsas artes, & scientias, ita etiam inter illos, qui earum præceptores, & magistri sunt, magnum vinculum, & societas. Quòd, si consiliis tuis, & auctoritate in suam sedem, ut omnes in te speramus, nostra hæc Universitas redierit, nullam intelliges ex omnibus laudibus tuis esse, quæ tuo nomini sit longiorem famam, & majorem gloriam allatura.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS

ORATIO
PRO NOVO RECTORE CREANDO PATAVINÆ UNIVERSITATIS.

MAximas habeo huic tempori gratias, Clarissimi Patres, ac Doctores egregii, quòd disjecta prope, ac jacente hujus pulcherrimi ordinis nostri Universitate, video vos hodierno die in hoc Sanctissimum Templum convenisse, ut ex more majorum omnia solemni jure agantur, quæ olim in magna frequentia litteratorum hominum celebrari apud vos consueverant. Cùm autem, Patres doctissimi, aliquando memoria repeterem quanto studio quondam à nostris Patribus instituta fuisset ratio, ac dignitas hujus nostri amplissimi magistratus: non poteram non angi animo, quoties in mentem veniebat à nobis omnibus timendum esse, ne multum ex solito splendore huic honori detractum esset. Sed, cùm tanta alacritate hunc loci conveneritis, quanta vix ullo alio tempore, cùm hæc subsellia referta cernebatis consessu tot Prælatorum, ac summorum hominum: recreat me is vester conspectus, ac maxime reficit, quòd brevi intelligo, nos omnia ornamenta, quæ magna ex parte amiseramus, nobis auctoribus recuperaturos. Quid enim dignius excogitari à vobis poterat, aut pro tempore, in quo sumus, magis necessarium, quàm vestra, & auctoritate, & potentia declarari nulla ratione intermittendam esse consuetudinem, ac morem novandorum magistratuum, præsertim autem hujus nostri Rectoratus, quo vestro consensu jam annum integrum defunctus fui. Si enim quod omnes concedunt, hæ dignitates semper in summo honore apud homines fuere, quæ in cognitione rerum altissimarum versantur: necesse est earum magistratus cæteris præstare officiis judicemus, Patres amplissimi, quæ à conditoribus urbium primum inventa fuisse legimus: de qua re plura hoc loco non dicam, ne vos homines Sapientissimos velle docere videar de laudibus ejus rei, de

de qua vos non solùm disputantes audivi, sed multa etiam didici, quibus ad hanc tunc florentissimę Universitatis administrationem ornatior, atque instructior postea accessi. In quo, si infra expectationem vestram, quodcumque à me præteritum fuit, aut aliquo loco neglectum: non totum hoc ingenio meo, quod certe rebus gerendis longè impar erat, sed partem magnitudini rerum attribuetis. Una res me id ferre libentius facit, Patres optimi, quod video hunc honorem delatum esse ad eruditissimum virum, atque egregium artium doctorem, Magistrum N. qui cum his diebus rector hujus nostræ almæ Universitatis designatus esset, publico consensu omnium, qui suffragia ferre poterant, ego censui non tantùm consueta, sed etiam nova civium suffragia cum ex tempore, tum ex dignitate personæ admittenda esse: vestra tamen sententia fuit, Patres, nihil melius à nobis omnibus, qui hujus magistratus * eligendi potestatem, arbitriumque habeamus, potuisse fieri, quam, quo magis omnia inclinata jam, & attenuata erant, eo majore cura perquirere, quæ spem nostram excitare, Reipublicæ ornamenta in integrum restituere possint. Tunc nemo vestrum fuit, qui hunc hominem non laudaret, ac diceret unum fore, qui summo studio, ac singulari in omnibus rebus prudentia pristinam dignitatem amplificare posset. Quare te hæc nostra Universitas, Magister N. pro tua Sapientia hortatur, ac rogat, ut jura, atque insignia Rectoratus assumas, & omnia conquiras, quæ ad amplitudinem nostram pertineant. Ego vero etiam te obsecro, ut ea, quæ de reficiendo statu nostræ Universitatis cogitaveram, pro me suscipias. Idem faciunt hi homines quidem gravissimi, & Sapientissimi, quos nullius alterius rei gratia præsentes astare in hoc pulcherrimo conventu intueris: monentque ne defatigeris cogitando sæpe, qualiter promovere omnia in melius possis. Nam quanto inferiorem his annis superioribus Universitatem assumpseris, tanto major gloria ad te perventura

est,

* Ad finem anni 1412. in instauratione Rectoratus referendam censemus hanc Gasparini Orationem à Philippo Tarvisino pronunciatam in dimittenda Rectoratus dignitate. Tempori enim conveniunt quæ de restituenda Universitate in Oratione leguntur. De hac quoque mentionem facit Gasparinus epistola ad Nicolaum Barzizium ann. 1412.

eſt, ſi illam conſilio tuo, virtute, atque induſtria meliorem, ampliorемque reliqueris.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
PRO ACCIPIENTE INSIGNIA DOCTORATUS.

NIſi ampliſſima auctoritas veſtra, Clariſſimi Patres, & Doctores Egregii multis rationibus perſuaſiſſet, omnia magis ex tempore, quàm ex re ſpectari oportere: illud vel in primis rebus maximis indignum exiſtimaſſem, ſi cùm aliquid hujuſmodi aggrederer, id ipſum nullo genere laudis attingerem. Sed me ad Sapientiam, atque humanitatem veſtram refero. Nihil eſt quod hoc tempore de modeſtia noſtra dicam. Nam ut quidam ex vobis mihi optimi teſtes ſunt, quæ me cauſa huc impulerit, ita etiam auctores fuerunt, ut me aliquanto citius, quàm putarem huic muneri, ac officio traderem. Huc accedit, quod ipſa legum ſcientia, & veſtro judicio, & omnium exiſtimatione eò uſque crevit, ut non mea tantum oratione, ſed nullius etiam hominis laude egeat. Satis etiam dignitate ſua atque magnitudine apud omnes populos, ac nationes latè poteſt; voſque me ipſum adhortati ſæpe fuiſtis, Patres ampliſſimi, ut nullam optimarum artium, ac pulcherrimarum diſciplinarum, quæ vel à Græcis, vel à noſtris eſſent traditæ, huic uni anteferendam putarem. Quare cùm in hujus rei laude, atque gloria ſemper vos magiſtros, & præceptores habuerim, imprudentis hominis mihi videtur eſſe de ea re ſermonem apud vos hujus noſtræ ætatis in utroque jure Principes agere, præſertim cùm neque ingenium, neque tempus ad tantam rem ſuppetat: & quia juſſiſtis, ut inſignia Doctoratus non ex ambitu, ſed ex judicio veſtro hodierno die peterem, veſtram auctoritatem, Patres ampliſſimi, ſequar, & me tempori vobis ita mihi ſuadentibus aptabo. Peto itaque à vobis &c.

GA-

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
HABITA IN FUNERE
JACOBI DE TURRE FOROLIVIENSIS
AD DOCTORES UTRIUSQUE UNIVERSITATIS.

Video hic neminem vestrum, Patres Doctissimi, qui non sit in maximo dolore, & molestia constitutus. Nam, cùm olim frequentes ad hunc Patrem nostrum legentem, aut disputantem magna spe, & alacritate conveniebamus, nunc contra funus ejus maximo cum mœrore celebrare cogimur. Sed quanquam vos omnes morte ejus maximè desolatos videam: ad nullum tamen major calamitas perventura est, quàm ad hanc litteratissimorum juvenum multitudinem, quos optimó parente privatos consternato animo astare ante oculos vestros videtis. Necesse enim est, ut quo diutius præceptis ejus, doctrinaque carebunt, eo magis præsentiam suam desiderent,& absentiam graviùs lugeant. Necessitudo verò, quæ mihi summa erat cum illo, respectusque liberorum meorum, quos ego suis artibus formandos, atque effingendos magis ei, quam mihi ipsi genueram, incredibili ægritudine eos, ac perturbatione me afficit. Cùm enim casus adversos, quos his annis continuis perpessus sui, mecum sæpe agitarem, numeraremque plurima, & patriæ, & domus meæ incommoda: nunquam de sapientia, de humanitate, de summa in me hujus Patris optimi benevolentia cogitabam, quin statim optima spes animo oboriretur: nec dubitabam, ut ad multos alios, qui studio, & industria aliquid possent, ita maxime ad liberos meos, quos ille pro suis habebat, hæreditatem Sapientiæ Suæ magna ex parte perventuram. Sed quia hunc acerbissimum casum communem mihi cum multis video, hunc locum omittam, & ad publicum mœrorem veniam. Suscepit hodie hæc nostra Universitas, Patres optimi, jacturam, qua nescio, an fortuna ullam majorem possit inge-

ingeniis nostris afferre *. Quoties enim illud immortalitate dignum ingenium considero: quoties illam ipsam in rebus penitus perspiciendis divinam Sapientiam cogito: non video, quin sperare simile ornamentum possimus. Multos fuisse præstantissimos viros legimus, quorum ingenia suo tempore illustria, clarissimaque fuerunt. Omitto hoc loco quosdam eruditissimos homines, qui cum alia in parte Sapientiæ fuerint, nihil eorum comparatio ad hanc nostram orationem pertinet. Omittam etiam illum ipsum Æsculapium, atque Apollinem patrem ejus, quos primos fuisse medicinæ inventores tradidit antiquitas. Nihil enim eorum præter famam ad nos pervenit. Hippocrates, qui hos longo intervallo secutus fuit, hodie in tanta veneratione ab omnibus medicis habetur, ut non solùm antiquissimus hujus artis scriptor, sed etiam facilè omnium princeps, à nobis judicetur. Galenus verò, Avicenna, & Serapio homines in scribendo prorsus divini tanta fama voluminibus à se editis clarent, ut immortalitatem quamdam studio assecuti videantur. Cùm autem me ipsum ad hunc nostrum Jacobum Forolivienſem refero, non video, cur illorum quemquam ipsi anteponam. Nullam quidem ex omnibus artibus, & disciplinis, quæ ab his conscriptæ fuerunt, esse arbitror, cujus iste rationem, atque notitiam non æquè, ac illi ipsi, à quibus inventæ fuerunt, animo tenuerit. Quare mihi semper persuasi illos apud nos vivere, quamdiù reconditos eorum sensus, & abditas sententias ab hoc nostro præceptore in lucem afferri videbam: nunc verò morte ejus, Patres ornatissimi, videre videor omnes una cum eo sepultos esse. Quis enim post hunc occultissimos, ac pene abditos fontes medicinæ recludet? Quis tot usus nobilissimæ artis ipsius medendi, recessus obscurissimos aperiet, quos ille sua facundissima oratione clariores media luce reddebat? Dicam, Patres egregii, quod vos omnes sentire judico, ipsam artem rationemque medendi, si ex ipso Cœlo repeteretur, non se potuisse excellentiùs, aut clariùs hominibus ostendere, quàm

* Jacobus hic Foroliviensis, quem ex familia de Turre agnoscit Blondus Ital. illustrat. de Romandiol. pag. 347 Edit. Basil. obiit Patavii anno 1413. die 12. Februarii, ejusque postremam funeris laudationem hac Oratione celebravit Barzizius.

quàm ille eam ſua eloquentia, ſuoque ingenio illuſtravit. Videtis itaque, Patres electiſſimi, quantam in hoc uno homine jacturam fecerimus. Amiſimus illud unicum decus, & ornamentum noſtrarum artium, quo ſolo noſtra hæc ætas de laude, & gloria cum antiquitate certabat; amiſimus eo tempore, quo ad illum audiendum nunquam majori ſtudio concurſum fuit. O ſpes noſtras inanes? o fortunam fragilem, atque caducam, quæ ſemper in optimo vitæ ſtatu, atque in ipſo medio felicitatis itinere nos deſtituit! Nam, cùm natura illum eô uſque perduxiſſet, ut nobis eſſet eo homine maximè fruendum, tum vitam ejus, quod minimè expectabamus, mors in ipſo articulo oppreſſit. Quando enim ad eum ſubtiliſſimè diſputantem veniemus? aut quando illum diſertiſſimè legentem audiemus? Cùm verò illa diſputationum ſuarum quondam ornatiſſima ſubſellia repetemus; cùm ſedem ipſam, in quam legens, ac diſputans ſe recipiebat, homine eo vacuam intuebimur, quo tandem animo erimus? Quâ moleſtia perferemus? Parietes medius fidius ejus loci, atque cancelli, intrà quos ſæpe illo vivo, ut divinam vocem ſuam audiremus, magna cum frequentia cogebamur, jam lugere abſentiam ſuam videntur. Una tamen res poteſt nos conſolari, quod nihil ei potuit mali contingere. Nam, ut paulo ante, quàm ex vita excederet, ab illo audivi; nunquam dubitavit ſe delibatum Adæ animum habere, & ad ipſos Cœlos ſemper facilem ſapienti reditum patere, unde ipſe animus fuiſſet humano corpori ab ipſis Aſtris infuſus; multaque in eo ſermone divinitus diſſeruit adverſùs quoſdam minutos philoſophos, qui putarunt animas hominum ſimul cum corporibus interire. Quàm ejus diſputationem, ut multa alia ſæpe ab eo ſapientiſſimè dicta cum animo repeto, nihil eſt, cur non illum in numerum Divorum relatum mihi perſuadeam. Satis itaque Patres ampliſſimi, & ſibi, & gloriæ ſuæ vixit: Satis etiam fortaſſe nobis, qui cùm ſe mortalem eſſe non ignoraret, id perſpexit, qua ratione diutiſſimè apud nos eſſe poſſet; quo uno modo immortalis fieri poterat, hoc uno immortalem ſe effecit. Prætereo, quæ in phyſica pluribus locis accuratiſſimè ſcripſit; non dico maximam phyſicæ partem his commentariis clauſam, quos in libros ab Ariſtotele de generatione ſubtiliter



conſcriptos ipſe ſubtiliùs nobis expoſuit. Quæ verò ab eodem de intentione, & remiſſione; quæ in Ariſtotelem de animalibus commentata ſunt, tantum ingenii habent, ut multo plus admirationis, quàm laudis mereantur. Sed hæc, quamvis ſubtiliſſima ratione ab eo inventa, tum etiam excogitata ſint, tamen in aliud tempus differentur. Alia ſunt, quæ ab illo edita, quamdiu ſcientiæ, & artes colentur, ſemper in maximo honore erunt. Quid autem commentarios ejus in Aphoriſmos Hippocratis? Quid ſententias in primum Avicennæ? Quid denique ſuas illas in librum Tegni illuſtres, ac præclariſſimas quæſtiones commemorabo? Quæ omnia vos omnes homines ſapientiſſimi ſoletis divina opera dicere. Nonne his ipſis ingenii ſui, quod ille diviniſſimum habebat, operibus perfecit, ut ſi adeſſe nobis volumus, nunquam eo careamus? Reliquit quidem nobis, quod optimum in ſe habebat animum ſuum, velut quamdam ejus imaginem in his, quod dixi, libris ſculptam, atque incluſam; quos quoties noſtro ſtudio, noſtraque meditatione tractabimus, toties illum apud nos eſſe; ac nobiſcum loqui putabimus. Nec eſt, quod quiſquam noſtrum eum ſine liberis deceſſiſſe judicet. Reliquit enim ea, quæ nuper dixi, pulcherrima ingenii ſui opera, quæ is tanquam immortales filios ex ſe ipſo genuit ſempiterna ſuæ gloriæ, ac ſui nominis monumenta. Quare funus hujus Patris noſtri meâ ſententiâ ita à nobis inſtituendum cenſeo, ut omnes honores, qui homini conferri poſſunt, cumulatiſſimè in hunc virum conferantur. Neque prætereatur ullum genus pompæ quod ullo tempore in funere ſummorum hominum ſervatum fuit. Memoriam verò ejus, quam apud nos decet eſſe perpetuam, ſi grati eſſe volumus, nunquam ex animis noſtris dimittemus. Ego enim, Patres eruditiſſimi, ſi conſpectus ejus, qui ſemper mihi, quoad vixit, jucundiſſimus fuit; ſi præſentia, & ſenſibus frui non potero; ſaltem recordatione rerum à ſe geſtarum, & amicitiæ, quæ maxima inter me, & illum fuit, ſumma cum voluptate, quamdiu hîc ero, animo, & cogitatione vobiſcum fruar.

GA-

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
AD SERENISSIMUM PRINCIPEM
FERDINANDUM
ARAGONIÆ, ET SICILIÆ REGEM
AB ALIO PRONUNCIATA.

VEllem hoc die, Rex clarissime, ea mihi vis ingenii, ac dicendi copia esset, quâ tua fortissima facta, illustresque victorias oratione mea non solùm in præsens tempus ornare, sed etiam in perpetuum augere, atque extollere possem. Ostenderem profectò neminem unquam majore studio ad ullius maximas res ornandas, quam me ipsum hoc tempore ad tua magnifica gesta accessisse. Sed, cùm rerum à te gestarum gloria cò usque creverit, ut tuis immortalibus laudibus jam nulla mea possit oratio par inveniri; patieris me æquo animo totum hunc locum in dicendo præterire. Erunt enim aliquando, ut spero, qui tua melius bella describant, & quæ, vel armis, vel consilio fortiter, sapienterque gesseris, suis orationibus ipsi graviter, & ornatè includant. Mihi vero illud pro meo ingenio satis erit, si quantas hæc nostra Provincia tibi gratias debeat, hodierno die, ostendere potero. Cùm enim diu potentissimis Regibus Aragonia floruisset, haberetur que non solum in tota Hispania hoc vestrum Regnum magnum, atque illustre, sed etiam apud exteras Gentes quàm amplissimum; illud certè his diebus eò redactum videramus; ut, nisi quasi ab ipso Cœlo missus ad gubernationem ejus, ac regimen ultro venisses, jam res ipsa propter diversa studia partium, & privatas discordias ad civilia usque bella spectaret. * Dolebam nimiùm,

* Ab alio pronunciata fuit hæc Gasparini Oratio in coronatione Regis Ferdinandi, quæ contigit anno 1412. Spondanus ad hunc annum.

Rex clementiſſime, ac nimis egre ferebam, cùm audiebam hoc ab inimicis noſtris ſæpe objici, atque nobis inſultari, brevi futurum, ut hoc noſtrum Regnum, quod, terra, ac mari ſatis latè potentiam ſuam extendiſſet, modò nullis viribus externis, ſed noſtrâ, ut ipſi ajebant ſuperbiâ, & inteſtino malo ad interitum uſque veniret. Succurrebat enim, quæ bella, & terreſtria, & maritima quondam à noſtris Regibus fuiſſent maximâ virtute confecta; quot Inſulæ; quot Provinciæ huic noſtro Regno additæ: quot hoſtium claſſes in noſtram poteſtatem redactæ. Memineram etiam ſæpe audiviſſe à noſtris majoribus, neſcio quem Regem Jacobum, quem nunquam illi ſinè cognomine bonæ memoriæ appellabant, primum Regnum Valentiæ, quod ab infidelibus tunc poſſideretur; deinde Majoricam, & Minoricam Inſulas celeberrimas à Diis Gentium ad noſtram religionem, cæremoniaſque adduxiſſe. Commemorabatur ab eiſdem Rex Petrus, qui poſt multos annos Regnum hoc Aragoniæ non ſolùm armis fortiſſimè tutatus fuit, ſed etiam maximè adauxit. Is, cum Siciliam de manibus Gallorum, & Regis Roberti, aut hujus alterius, qui ferè noſtro tempore fuit, ſua ſponte ſibi à Siculis oblatam accepiſſet; poſtea ita felix in bellis fuit, ut non tantùm homines, ſed etiam noſtra Numina pro victoria ejus pugnaſſe creditum ſit. Nam, cùm Carolus Rex Francorum, qui Regis Roberti frater erat, conſtituiſſet bellum nobis, terra, & mari inferre, armaſſetque ducentas triremes, quibus Regnum Siciliæ amiſſum fratri reſtitueret; ipſe cum centum millibus armatorum in noſtrum Regnum invaſit. Quid conſecutum fuerit, aliud non dico; niſi quòd, divino miraculo, majore parte ſuorum amiſſa, ipſe cum paucis vix potuit hinc pedem referre. Bello autem navali, quod non minori apparatu, neque inferioribus copiis inſtructum ab illo erat, tanta virtute à noſtris pugnatum fuit, ut ferè omnes hoſtium naves fuerint à noſtris duntaxat quinquaginta triremibus, aut vi captæ, aut ſubmerſæ. Qua in victoriâ Regis Roberti filium ſcimus cum multis millibus à noſtris captum. Hæc cùm audirem, ac legerem tanta virtute, ac celeritate ab illis duobus maximis Regibus noſtris geſta, & ea compararem cum his malis, quæ nuper toto in Regno noſtro

exar-

exardescere cœperant; non minore ira, quàm dolore conficiebar, Rex optime; cùm his partim inimicis nostris, partim invidis non satis habebam, quid responderem, cùm illi nostræ miseriæ tam superbè insultarent. * Nec solùm in hac molestia eram, quòd nostri hostes jam contumaciter in nostrum Regnum inveherentur; sed multo magis timebam, ne hujus publicæ calamitatis nostræ veri nimis, vel interpretes, vel vates essent; fuissentque nostra temeritate, atque amentiâ, cùm jam essent odia partium ad sanguinem usque, & ad cædem concitata; nisi tua illa excellenti, ac summa virtute Regnum nostrum servatum fuisset. Eripuisti enim illud, quasi ex aliquo flagrantissimo incendio, nec passus es omnem gloriam nostrorum majorum interire. Cùm enim orta esset quæstio de Rege eligendo, nec satis inter Principes Regni conveniret, tu Rex sapientissime partes tuas interposuisti; &, cùm materno sanguine huic successioni propinquior jure videreris, virtute verò, ac nobilitate præstantior; longè placuit primoribus Regni, finem huic tantæ rei imponere, & statuere modum odiis. Quæ res cùm in consultationem venisset; tu unus visus es omnibus Patribus Conscriptis dignus, ad quem summam Regni deferrent. Movebant certè universum Senatum nostrum illa ipsa jura, quæ ad successionem Regni afferebas. Nonnihil impellebantur splendore, & fama tot clarissimorum Regum, ex quibus paternum ortum duxisses. Sed, cùm se ad naturam tuam, tum ad consuetudinem referebant, incredibile erat, quantus ardor hujusce Regiæ dignitatis ad te deferendæ animos pene omnium teneret; cùm ferè nemo esset, qui non te summè Regem optaret. Habebant ante oculos, quantâ constantiâ bella semel à te suscepta gesseris, quantâ felicitate confeceris. Intelligebant neminem Regem majori cura suum Regnum administrasse, quàm te fraternum: cùm illud summa integritate animi à te susceptum semper studueris melius, ac amplius fratris filio restituere, quàm illud à fratre accepisses. Quibus rebus moti Patres Conscripti, ad quos de Rege creando

* Nonnulla verba MSS. Codice Bergomensi Bibliothecæ P. P. S. Augustini supplevimus, quæ in aliis MSS. Codic. desiderabantur.

do potestas delata erat, magno consensu omnium diadema Regni ad te detulerunt. Te Regem nostrum, te Protectorem, & Patronum Regni constituerunt. O felicem, & fortunatam Aragoniam nostram. O nos beatos, quibus tanta in tempestate, ac procella tam subito contigit tranquillum portum, tutissimumque invenire. Effecisti enim Rex fortissime, ut nulla jam bella civilia, nullam seditionem, aut discordiam timeamus. Effecisti, ut, te Rege, nullum, vel domesticum, vel externum bellum vereamur. Quantas ergo tibi hæc nostra Provincia per te servata gratias debet, quantas laudes, ac prædicationes omnes certe Urbes nostræ, omnia oppida maximas tibi ipsi gestiunt gratias agere; quod videris nobis omnibus dignitatem nostram, auctoritatem, gloriam restituisse. Speramus enim brevi illam ingentem rerum gestarum famam, quâ diu nostrum regnum floruerit, modò tua virtute, ac sapientiâ ad nos redituram. Ego verò, ut de me ipso dicam Rex inclyte, omnia mea studia tibi, atque omnes cogitationes libenter devoveo: te omni fide, benevolentiâ, honoreque complector. Si quid erit, quod à me possit tuæ Regiæ Majestati isto, aut ingenio, aut officio præstari; non dubitabo omnia pro te, si opus erit, adire pericula, omnes curas, laboresque suscipere. Tu verò pro tua clementia, pro tua mansuetudine videbis; ut qua fide, ac spe nos, conjuges, liberosque nostros, atque omne hoc regnum tuæ fidei, potestatique commisimus, eâdem nos virtute, benevolentiâque prosequaris.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
AD JACOBUM REGEM SICILIÆ CITRA
AB ALIO PRONUNCIATA.

NOn sumus nescii, fortissime, ac illustris Princeps, quantum ornamentum tua singularis, ac prope divina magnificentia nostro Regno hodierno die attulerit. Nisi enim tu fuisses, qui no-

noſtram ſpem jam penè extinctam, ac jacentem excitaſti; planè videbamus omnem ſplendorem, ac dignitatem Regiæ Domus Francorum, quæ duobus ferè ſæculis hoc noſtrum Regnum armis, atque conſiliis protexit, aut brevi apud nos interituram, aut ad Reges externos perventuram. Gratulamur itaque huic noſtræ felicitati, ac prorſus divinæ & virtuti, & ſapientiæ ſanctiſſimæ Reginæ noſtræ, quæ, cum morte fortiſſimi Regis Ladiſlai fratris ſui Regnum noſtrum deſolatum, jure hæreditario accepiſſet, noſque omnes rerum novarum terrore, ac periculis non mediocriter conflictaremur; omnia multo celerius, quàm credi poſſit, ſumma virtute compoſuit, & ſtatum Regni, quem omnes abjectum, & in maxima ruina futurum timebant, primo ſuis conſiliis erexit; deinde armis, & potentiâ propter orientes ſeditiones labantem confirmavit. Hæc certè maxima ſunt, Princeps clariſſime, quæ noſtra hæc illuſtris Regina conſilio providit, armis geſſit, ſapientiâ adminiſtravit, virtute, potentiâque confecit. Sed multo majus, atque admirabilius noſtro judicio videri debet, quod illa eadem ſapientiâ, quâ rem tantam, atque difficilem ſuſcepit, etiam provîdit, quâ ratione hoc noſtrum Regnum perpetuum, atque incolume nobis eſſet. Cùm enim potentiſſimi Reges, vel cupiditate regnandi, vel gloriæ propagandæ cauſâ, vel, quod potius remur, partim Regia quadam virtute Reginæ capti, atque incenſi eſſent; crebræque legationes ex diverſis partibus Orbis terrarum quotidie nuptiarum cauſâ ad eam confluerent; nihil temere, nihil contra rationem dignitatis ſuæ, aut Regni in tanta re decernendum ſtatuit. Sed ea, quæ omnibus in rebus maximas ſemper vires habuit, moderatione animi utens, vidit non poſſe aut immortalitati famæ, cujus amore, ſicut & frater ejus, ſemper flagravit, aut ſuis hominibus, & Civitatibus ſatis eſſe conſultum; ſi Regni ſocietas à Regio ſanguine Francorum, unde majores ſui originem traxerunt, in externas Nationes, & in Reges alienos eſſet tranſlata. Elegit itaque, Princeps optime, te unum ex omnibus Principibus, & potentiſſimis Dominis, quorum magna ultro petentium copia ſibi erat. Elegit, inquam, te unum clementiâ, fortitudine, juſtitiâ, rerumque geſtarum gloriâ præſtantem; qui cùm ex ſereniſſimis Regibus Francorum paternum ortum duxe-

duxeris, nullàque ex parte virtute animi, ſed tantùm ſorte Regibus tuis ſis inferior; id aſſecutus es, ut te comitem Regni, ac ſocium thori potiſſimum aſſumpſerit. Judicabat enim indignum eſſe Regnum illud, quod ſui majores, atque tui, variis bellis, duriſſimiſque præliis, ex manibus inimicorum in ſuam poteſtatem vindicaſſent, ad alios, quàm ad eos ipſos, qui ſibi illud, multò ſanguine, multiſque vulneribus pepererant, debere ſe incolumi, ac florente pervenire. Judicabat iniquum eſſe, cùm ſua Regia Domus, defunćto ſinè liberis fratre ſuo Rege illuſtriſſimo, ad ſe unam redaćta eſſet, in aliam debere Domum Regiam, quàm in eam ipſam, unde fluxerat, defluere. Quæ cùm ita ſint, meritò, Princeps potentiſſime, primum noſtræ felicitati, deinde Majeſtati Regiæ, poſtremo tibi ipſi, quantum animo, & oratione contendere poſſumus, gratulamur; rogamuſque ego, & frater meus optimus, non ſolùm noſtra voce, ſed etiam omnium Civium noſtrorum, atque totius Regni, qui hoc à nobis dici volunt, ut noſtrum hoc Regnum una cum ſereniſſima Regina defendas, ſapientiâ gubernes, fortitudine augeas. Nec patiaris hunc optimum Principatum, ad cujus regimen, tanquam ad alicujus inſtrućtæ omnibus rebus neceſſariis pulcherrimæ claſſis gubernacula ex parte vocatus es, vel inteſtinis odiis angi, vel aliquâ vi, aut potentiâ, ſive domeſticâ, ſive externâ labefaćtari. Ad quàm rem, etſi nobis ipſi perſuaſimus ſatis per te ipſum inflammatum eſſe, tuaque magnitudine animi magis, quàm alienis exemplis excitari; tamen, ſi reminiſci volueris, quid Carolus ille primus, qui hoc Regnum ex manibus Regis Manfredi conſilio, atque armis eripuit; quid poſtea idem Carolus, debellato jam Corradino, captoque, ac mori coaćto; quid Robertus Rex Hieruſalem, Siciliæque, atque hujus Regni noſtri; quid Carolus alter; quid denique filius ejus Ladiſlaus Rex bello ſtrenuiſſimus pro hoc noſtro Regno obtinendo, atque amplificando egerit; * non dubitamus, quin multo alacrior, atque erećtior ad gubernationem ejus, quaſi

* Hæc Gaſparini Oratio habita fuit Neapoli in Coronatione Jacobi Marchiæ Comitis, quem Regina Joanna II. Ladislai Regis prædefunćti ſoror ſibi deſponſaverat Anno 1414. Collenucc. Iſtor. di Napol. lib. 5. pag. 216. Angel. di Coſtanzo Iſtor. di Napol. lib decimoquarto pag. 315.

quasi communis Regni pater, ac tutor Patriæ accessurus sis; confidimusque omnia te pro tua sapientia pariter cum Regina, & moderaturum uno consilio, & prudentissimè gubernaturum. Cùm enim ad societatem, & communicationem Regni divino, humanoque consensu veneris; speramus nunquam hoc Regnum potentius, aut homines nostros beatiores, quàm hoc ipso tempore fuisse. Suscipies ergo nos omnes pro tua clementia tuæ fidei, humanitatique commendatos: sed in primis Civitatem Neapolitanam Patriam nostram, caput Regni, omni charitate, ac benevolentia prosequêris. In quâ, cum patrem nostrum virum omnium judicio sapientissimum, ac Regii status amantissimum, tum fratres juvenes nobilissimos, qui omnes tui sunt, habeamus, illud à te magnopere petimus; ut, sicut in tuo Regno cupimus Civitatem nostram esse tibi charissimam, ita illos in ea, quos fide in te, regiâ observantiâ, ac studio singulari esse cognosces, meque cùm iis, gratiâ tuâ non vulgari dignos putes.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
AD JANUM CYPRI REGEM
AB ALIO PRONUNCIATA.

TAndem, Rex Serenissime, quod à Superis immortalibus semper votis, & precibus optavi, ille mihi dies illuxit, quo post maximos studiorum meorum labores sospes ad te redii. Agitur quidem, Rex optime, annus quintus, & decimus, * postquam ex hoc felicissimo Regno tuo penè puer cum hoc alio fratre meo excessi. Cùm enim tua extarent plurima, ac maxima in fratres meos, atque in me ipsum beneficia; quid aliud erat, quod ego, & item hic frater meus, homo nunc in Jure Civili eruditissimus, possemus tuæ Majestati Regiæ dignius, aut gratius referre, quàm si honestissimis artibus, optimisque disciplinis imbuti id consecuti essemus; ut vel in tua salute conservanda, vel in hoc ipso Regno

* Post annum 1412. hanc habitam fuisse orationem conjicimus.

tuo honestando, atque augendo, utroque nostrum quàm aptissimè posses uti? Tua, Rex inclyte, memoria, quoties aliquid à nobis agendum, aut dicendum erat, semper ante nostros oculos versabatur; omnesque docebat solicitudines, atque molestias magno animo esse à nobis perferendas, ut aliquando digni à te judicaremur, quos inter fideles non postremos Regni tui numerares. Tibi ergo, Rex clementissime, omnia studia nostra, omnes curas, atque vigilias non injuriâ dedicavimus: lustravimus terras, ac maria, ut tibi quàm gratissimi esse possemus. Nulla fuit in toto Latio Civitas, quæ studiorum laude facta insignis haberetur, in qua non semper eos, qui optimarum artium principes judicarentur, in primis secuti fuerimus. Papia enim, Placentia, Bononia, Patavium, Urbes literis, ac famâ insignes, nos, ternis lustris, artibus, disciplinisque deditos viderunt, quas aut tuæ Regiæ Majestati, aut Regno tuo magis convenire, conducereque arbitrabamur. Multa erant, quæ, ut ita faceremus, optimis nos rationibus hortabantur: amici scilicet, quibus pro perpetuis eorum in nos officiis aliquando à nobis satisfaciendum erat: Patria, pro qua sæpe viri sapientissimi multa pericula, multos labores libenter, ac impigre susceperunt. Movebat nos præterea nonnihil ipsa gloria, quæ, si meritis, aut virtute parta extitit, semper à viris summis, & studiosè quæsita, & maximè laudata fuit. Sed nulla certè res alia erat, Princeps humanissime, quæ nos magis ad hæc studia excitaret, quàm, ut tuæ sanctæ Majestati, Celsitudinique placeremus. Incredibile enim est, quantus amor sapientiæ, quantum desiderium nos teneret, quoties ad tuas prope divinas, & immortales virtutes animum nostrum convertebamus. Quis enim te clementior? quis fortior? quis denique justior, aut melior inter Reges hujus nostræ ætatis reperiri potest? * Nam, si percensere omnes Imperatores, ac Principes nostri temporis voluero, & suas virtutes cum tuis comparare; neminem reperiam, quem cum tua excellenti & naturâ, & virtute satis dignè possim conferre. In te summa quidem æquitas est: in te modestia, liberali-

rali-

* Desideratur hæc periodus in MSS. Codice Mediolanensi, quam nos MSS. Codice Bergomensi Bibliothecæ P. P. S. Augustini supplevimus.

ralitas, magnificentia: in te omnes Regiæ virtutes: in te plurimæ artes nobiles, atque egregiæ. Tu Regnum tuum hoc ipso tempore, quo totus ferè Orbis terrarum teterrimis bellis, ac sævissimis odiis ardet, solus in perpetua pace, atque summo otio, tua virtute, ac sapientia contines. Te regnante, nulla ab externis hostibus sensimus nobis aliquâ ex parte inferri bella. Tu pater Patriæ, tu clementissimus tutor, ac protector civium tuorum semper fuisti. * Jure itaque beatam, atque felicem hanc Insulam nostram, nosque fortunatissimos ferè omnes prædicant, quibus te Rege fortissimo, te Principe sapientissimo nasci contigit. Quando enim hoc tuum Regnum, hæc nobilissima Insula sæpe illustrium Poëtarum carminibus, atque oratione celebrata, satis grata in te esse poterit; quæ, nisi divinâ providentiâ, nisi consilio tuo coleretur, jam omnino deserta, ac vacua prorsus videretur. Quis enim alius, cùm propter crebras hujus nostri aëris infectiones, hæc nostra Insula penè esset cultoribus exhausta, novos incolas in eam introduxit? Quis alius eam temporibus difficillimis non solum ab externis bellis defendit, sed etiam auxit, atque exornavit? Tuum ergo est, quod ipsa hodie incolitur: quod nos, qui hìc sumus, nunc in tuo florentissimo, ac pulcherrimo Regno habitamus. Tuum est, ut aliquando concludam, quod ego, & optimus hìc frater meus, egregiis majorum nostrorum disciplinis, atque artibus ornati, hodierno die ad te accessimus. Habemus itaque tibi uni immortales gratias, & maximè te ipsum, non tantùm pro perpetuis in nos omnes promeritis, sed etiam pro tot Regiis virtutibus tuis, & diligimus, & admiramur; obsecramusque te, Rex clementissime, ut quâ olim benevolentiâ Georgium fratrem nostrum, pro tua summa clementia, virum prudentissimum, fidelissimumque rerum tuarum administratorem, quamdiu vixit, prosecutus fuisti: quâ gratiâ postea hunc alium fratrem nostrum, pro tuâ summâ humanitate, inter familiares tuos assumpsisti, eadem utrumque nostrum diligas, & nos dignos tuâ gratiâ judices. Nos enim, Rex justissime, quod possumus, hoc pollicemur; nunquam tuorum in nos beneficiorum

* Ex MS. Codice Bergomensi Bibliothecæ Augustinianæ.

immemores fore; ſed omni curâ, diligentiâ, ſtudio, ſemper ea facturos, quæ vel ad conſervationem tui ſtatus, vel ad æternitatem nominis pertinebunt.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
AD PHILIPPUM MARIAM
VICECOMITEM MEDIOLANI DUCEM.

QUantum tuæ felicitati gratuler, illuſtriſſime Dux, ac Princeps clariſſime, etſi non dubitem, ſatis animo tuo perſuaſum eſſe; tamen res viſa eſt, & ætate meâ, & ſtudiis maximè digna, ea ad te ſcribere, quæ vel ad fidem meam, vel ad perpetuam gloriam tuam pertineant. Tantam enim ſpem, Dux optime, non ſolùm his, qui tibi ſerviunt, ſed penè toti Italiæ hoc tempore attuliſti, ut illa nunc primùm reſipiſcere, & quaſi reſpirare mihi videatur. Cùm enim morte Sereniſſimi Ducis patris tui omnia ferè cùm eo ſepulta videremus, neque jam ullum ſperaremus exitum tot noſtris calamitatibus poſſe inveniri; aperta eſt nobis divinitus illa una via, quæ ſola ad bene ſperandum relicta videbatur. Hoc loco prætereo, quorum hominum perfidiâ res eò perducta eſſet, ut Ducale nomen, quod nuper totam Italiam ſuo ſplendore illuſtraverat, non ſolùm obſcuratum, ſed tanquam extinctum, ac penitùs ſubmerſum videretur. Non enim propoſiti mei eſt commemorare, à quibus hominibus graviſſimas injurias perpeſſus fueris, aut quibus auctoribus de toto tuo Principatu, ac fratris jam penè actum eſſet. Scio quidem, te potius cogitare, quomodo gratiam his referas, qui res tuas fortiſſimè armis ſuis, & conſiliis tutati fuerunt; quàm quomodo in eos ulciſcaris, qui omni ſcelere, ac impietate univerſum ſtatum tuum labefactare, ac funditus evertere, & lacerare conati ſunt. Cùm ergo omnia in extremo eſſent, & metu maximo perculſa, morte indigniſſimâ fortiſſimi Ducis fratris tui illo ipſo tem-

po-

pore, quo periisse cuncta credebantur: tuâ sapientiâ effectum est, ut non tantùm per te conservata, sed multo magis aucta, & amplificata fuerint *. Plura enim tuo prope divino consilio, ac tuis posteà armis egisti, quam quisquam nostrum de te, eâ ætate, aut sperare, aut vix optare ausus esset. Quis enim credere potuisset, ab illo die, quo tuâ illa Mediolanensis Urbs, diu potentissima, ac florentissima, insidiis capta, & occupata fuerat, eamdem primo, & trigesimo die in tuam potestatem redactam venisse? Quis tot Urbes fortissimas, atque oppida munitissima, quæ olim tua fuissent, tam brevi tempore, ultro se tibi dedidisse putasset? Quis denique, cùm omnes aditus viarum obsessi tenerentur, & omnia bellis, ac latrociniis arderent, sperasset, tantam pacem tam subito exortam esse? Vix enim, ullo tempore, majori in otio, ac tranquillitate Urbes tuæ, atque homines fuerunt, quàm postquam tu partim, cæsis hostibus, partim fugatis, Urbem tuam caput totius Provinciæ victor, atque triumphans intrasti. Hæc certè magna sunt, Princeps, ac Dux sapientissime, & supra ætatem tuam gesta: quæ cæteri fortasse cùm audiunt, magis alieno, quàm tuo consilio facta esse dicunt. Ego verò facilè eis concedam, te nihil, neque in his rebus, neque in aliis, quod magnum sit, sinè consilio hominum sapientûm, & tibi fidelium gessisse. Sed hi videant, velim, ne, in quo se arbitrantur egregias laudes tuas extenuare, in eo tuæ gloriæ maximè serviant. Aut enim summa virtus est, aut propinqua summæ, omnia ex consilio prudentûm agere. Quæ, etsi non tam sit necessaria his, qui satis possunt longo usu, & experientiâ videre, quid sit in unaquaque re deliberandum; tamen necesse est, in eo Principe, qui nondum per ætatem multa experiri potuit, summè hoc laudandum esse non negent. Quod si ingenium tuum, ac naturam novissent, non fortè mirarentur, & hæc, & majora his potuisse, vel tuo solo ingenio administrari. Quæ enim virtutes non ante in te claruerunt, quàm in aliis intellectæ fuerunt. Cæteri enim virtutes simul cùm an-

* Ad finem anni 1412 referenda est hæc Barzizii Oratio, postquam Philippus Maria Vicecomes maximam paternæ ditionis partem in suam potestatem redegerat, quod hoc anno contigit. Corio Istor. di Milano lib. 4. fol. 307. pag. 1. edit. Basil.

annis adepti sunt. Tu verò, ut ab ipso initio laudes tuas commemorem (juvat enim de te magnificè, & sentire, & loqui) tu, inquam, videris mihi cùm illis natus esse, & ita postea crevisse, ut semper annos tuos longè antecesseris. Nemo nostris annis fuit, qui in ætate perfectâ sapientiùs injurias fortunæ tulerit, quàm tu ab ipsâ usque pueritiâ non solùm pertulisti, sed etiam fortiter vicisti. Quæ porrò fuit in aliquo sapiente homine aut prudentia in respondendo, aut in tacendo, audiendoque modestia; quæ humanitas, quæ continentia in ullo unquam fuit, quin illa multis signis priùs in te fuerit à primis, ut ita dicam, incunabulis tuis perspecta? Nunc verò, quæ in te Principatus gerendi scientia est, quanta in deliberando gravitas, in conficiendo celeritas, in gubernando justitia, quæ denique in facilè ignoscendo clementia? Certè quisquis ad te accedit, non jam se mortalem hominem intueri, sed quasi ex ipso Cœlo ad nos missum putat. Quare nemo dubitaverit, te ad hoc natum esse, ut fundamenta Regiæ Majestatis, quæ pater tuus Princeps magnanimus jecerat, tu ipse magnâ virtute modò excites. Non enim credibile est, te ex tot periculis, ac laboribus emersisse, ut eâ dignitate contentus sis, quam Dux ille clarissimus primus in domum tuam attulit. Mihi crede, magnâ vi astrorum, & divino consilio fortuna tuas res maximas reget; & altiùs ascendes, quàm multi homines, sed maximè tui, expectant. Video, te rerum gestarum gloriam, & parentis tui famam superaturum; quamvis ille rebus vel pacis, vel belli tantum excelluerit, ut multis annis nemo alius tantam lucem in Latium attulerit. Nam, si potentiam ejus, quâ erat eâ ætate, quâ tu modò es; si virtutes, quæ plurimæ, & maximæ in eo fuerunt, cum tuis conferre voluero; non video, cur omnia in te majora, atque ampliora non sint futura. Neque tuum in hac re, aut cujusquam verebor judicium, si Principi, cui similem vix Orbis terrarum suo tempore habuit, te & filium, & adolescentem antepono. Ipse enim, si verum est, quod aliquis sensus functis vita relictus sit, gaudet, se à te vinci: & est Principum virtus non tantum gloriam majorum sequi, sed etiam anteire. Merito ergo huic tuæ tantæ felicitati maximè gratulor, Dux clementissime, & te plurimum adhortor, ut sicut fa-

facis, omnia ſæpe tecum mediteris, quæ te ſummum Principem efficiant. Vide, ne te quiſquam juſtitiâ, clementiâ, fortitudine vincat. Sunt enim hæ tres virtutes prorſus Regiæ. Fac, ut cæteræ virtutes, quæ etiam in privatis hominibus ſæpe egregiæ fuerunt, tanto in te majores ſint, quanto cæteris dignitate, ac naturâ antecellis. Prudentia enim, & temperantia, continentia, modeſtia, & his ſimiles, quamvis ſummæ non ſint in Principe; tamen nemo unquam ſummus ſinè illis potuit eſſe. Et quoniam, quæ vix aliis Principibus in ſenectute contigerunt, tu divinitus anticipaſti; non invenio, quem antiquorum potius ſequaris, quàm te ipſum. Si enim omnia ad naturam tuam, ad conſuetudines retuleris, dignum te efficies, quem omnes boni Principes non ſolùm diligant, ſed etiam velut communem eorum Ducem ſequantur, & maximè colant. Hæc ad te non ſcripſi, Dux prudentiſſime, quia meâ tu admonitione egeres, aut quia de tuo in me animo dubitarem; ſed mos gerendus mihi ipſi fuit, ut ſicut dixi, quicquid ad gloriam, aut amplitudinem tuam pertinere arbitrabar, id totum ex meo in te ſummo amore fideliter perſcriberem. Tu à te ipſo diſces, quid agendum ſit, & interdum etiam conſilio aliorum utêris. Unum eſt, ad quod te ſemper adhortabor, ſemper monebo, atque obſecrabo; nunquam ita credas omnia explorata eſſe à te pericula, nunquam ita vitæ proſpectum, quin ſemper aliquid putes ſubeſſe, quod à te cavendum ſit. Et quo diligentior ſis in tua ſalute cuſtodienda, omne ſtudium, omnem curam, ac diligentiam adhibebis, cùm omnia ſuſpecta ſint: hoc omnes volunt, qui te modo circumſtant, ac diligunt. Nec dubito multos eſſe, qui, ſi opus erit, ipſa latera ſua, ac corpora omnibus periculis libenter, & impigre pro te opponent. Cùm enim tua ſalus noſtra ſit, certè, ſi te ipſum conſervaveris, communi eorum, qui tui ſunt, ac bonorum omnium ſaluti, dignitatique conſules.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
DE LAUDIBUS PHILOSOPHIÆ.

NOn possum non vereri, Patres clarissimi, quid de me hodie sitis judicaturi; si ego, qui neque ætate, neque ingenio satis valeo, hoc mihi munus, atque onus desumpsero, in quo viri omnium eloquentissimi, cum sæpenumero versati essent, nunquam tamen, vel expectationi hominum, vel magnitudini rerum satis se facturos speraverunt. Cùm enim ante ad Philosophos à patre perductus essem, nec certum possem ullum de studiis eloquentiæ judicium afferre; quid est, quod ego vobis in re tanta vestris dignum auribus, vel promittere, vel polliceri possim? Est enim hoc dicendi officium eorum proprium, qui studia ista profitentur. Quare, si quid huc opinionis fortè de me attulistis, quòd in his penè studiis natus, atque educatus vobis videar, eam quæso per immortales animos vestros deponite. Satis enim, ac super fecisse vobis arbitrabor; si quæ à majoribus nostris graviter, & accuratè sunt de laudibus Philosophiæ scripta, sæpeque à vobis & graviter, & ornatè explicata, aliqua ex parte attigero: cujus tantam esse præstantiam judicaverunt; ut sive rerum naturæ cognitio; sive legum, Urbiumque institutio; sive divinarum rerum, humanarumve pervestigatio quæritur; nihil horum existat, quod non ex ipsis Philosophiæ fontibus hauriendum sit, atque educendum. Nam, ut ab eruditissimis hominibus accepi, nulla vitæ pars carere præceptis, institutisque Philosophiæ potest. Quæ, cum à summo rerum omnium Principe Deo orta sit, & ab ipso Cœlo ad homines demissa; sapientius eos facere dicebant, qui suum omne otium potius in cognitione Philosophiæ, quam, qui in laude consumpserunt. Disputabant præterea, nullam artem esse, aut disciplinam, quæ non ab hac unâ ortum suum, progressum, exitumque sumpsisset. Meminerant om-

omnes, qui se huic formandos, atque expoliendos tradidissent, solos sapientes appellari; neque ullâ aliâ re homines propiùs ad Deum accedere, quàm, si hoc uno, quo cæteris animantibus præstarent, ratione scilicet, ac sapientiâ reliquos omnes anteirent. In ea Juris Civilis scientia continetur, qua nulla ad humani generis societatem conservandam aptior, nulla sanctior (pace aliarum dixerim) ab immortalibus est concessa. Ab hac Jus Pontificium, quod sacrosanctum appellant, exortum: hanc sibi Medici vindicant: Mathematici suam dicunt. Qui verò Oratores nominantur, adeo sibi necessariam arbitrantur, ut hac exceptâ, omnem suam orationem jejunam, atque exilem futuram putent. Ex quo illam suo quodam jure in eorum supellectili numerandam non dubiè censent. Quid ii, qui Grammatici nuncupantur? Num hanc literarum cognitionem, atque verborum ancipitem, variamque significationem percepissent: nisi earum inventio à Philosophis ad eos pervenisset? Quid eos dicam, quos Græci Metaphysicos, nos aliquanto expressius linguâ eorum Theologos dicimus? Nonne totam hanc sibi attribuunt, suamque esse gravissimis rationibus confirmant? Quæ, si nihil aliud, quàm vera, perfectaque sapientia, atque, ut à veteribus definitur, rerum est divinarum, humanarumque, & caussarum, quibus eæ res continentur, scientia; jure mihi optimo illi videntur sibi eam asserere, ac tanquam propriam vindicare. Si verò ad maximarum Urbium gubernacula, si ad res pacis, & belli, si ad vulgi artes, ac studia referre animum voluerimus; comperiemus profectò, viri illustres, ac sapientissimi, neque Reges potentissimos, neque magnorum exercituum Duces, neque illos ipsos cæterarum artium artifices, vel suas Civitates sapienter regere, vel Imperia tueri, ac propagare, vel ad hominum usum, quæ necessaria erant, suppeditare unquam potuisse; nisi aut consilio sapientum freti ad illa ipsa perficienda accessissent, aut præceptis Philosophiæ imbuti, quid sibi in quaque re providendum, agendumque esset, perspexissent. Commemorare hoc loco Solonem Atheniensem, Patres optimi, possem, Lycurgum Spartanum, Minoem Cretensem, Phoroneum Argolicum, quatuor summos legum græcarum, atque anti-

quissimos latores? Ex nostris verò Paulum Scævolam Africanum, Papinianum, & eorum, ut verè dicam, Principem Ulpianum, innumerabilesque alios, quibus illam ipsam legum inventricem Græciam jam planè superavimus; nisi in his ornatissimis subselliis adesse viros gravissimos viderem: quos, cùm mihi ad perdiscendam Juris Civilis scientiam magistros, ac præceptores adoptaverim, de latoribus legum, iis audientibus, dicere, non modò temeritatis, sed insignis etiam impudentiæ videretur. Sed tantùm audebo dicere, nunquam ea, quæ de Jure Civili scripta divinitus ab illis sunt, aut per se eos excogitare potuisse; aut ab aliis inventa, in hanc pulcherrimam, quam videmus, formam, & quasi unum in corpus redigere, singulásque ejus partes tanto ordine suis locis collocare, si nullis Philosophiæ institutis ad leges hominibus, Civitatibusque describendas pervenissent. Et ut ad ea, quæ domi, militiæque vel sapienter provisa, vel fortiter à majoribus nostris gesta sunt, veniam; neque Cato, neque Lælius, neque is, qui Princeps Senatus habitus fuit, Scaurus, cæterique in Republica summi viri Urbem suo consilio regere, aut superior Africanus, Fabius, Marcellus, item alter Africanus vel tueri ipsam armis, vel propagare fines ejus potuissent; nisi Patriæ charitate inflammati, nullum pro Republica periculum fugiendum, omnes pro libertate Reipublicæ labores impigre adeundos à Philosophis didicissent. Quid Pericles apud Athenienses, aut apud Macedones Alexander, consequi tantum favoris, aut gratiæ valuissent, ut ille Urbem, hic sibi Orbem terrarum subigeret; nisi alius Anaxagoræ, alius Aristotelis auditor diligens extitisset, à quibus uterque illis artibus apprimè instructus, sine quibus nemo, qui rerum potiretur, satis dignus inventus est; multò majorem gloriam, quòd duobus illis summis Philosophis paruerunt, quàm quòd maximis exercitibus imperarunt, opinione omnium consecuti sunt. Quid Xenophon ille Platonis æmulus, ac penè par, aut Thebanus Epaminondas? Nunquid tantas res bello conficere, suosque exercitus, vel cohortari ad victoriam, vel ad honestam mortem impellere sine Philosophia potuissent? Quæ res effecit, ut potentiores haberent exercitus, & fortiores, omnesque ex devictis hostibus triumphos,

ac

ac insignes victorias non tam fortunæ, quàm virtuti acceptas referrent. Hac ratione, ut ad fabulas veniam, Homerus ille Poetarum pater, ac princeps Minervam propterea clypeo, atque hastâ armavit, quod nullâ re aliâ faciliùs, quàm sapientiâ, maxima à fortissimis Ducibus bella, & gesta esse, & confecta, intelligebat. Cujus rei, etsi multis clarissimis viris testibus uti liceat, & Homeri sententiam confirmare; nemo tamen in eâ re, quàm ipse sibi gravior apud nos auctor debet esse; quod non Ajaci Græcorum fortissimo, sed Ulyssi, qui consilio, sapientiâque non modò ipso Ajace, sed cæteris etiam Ducibus superior habebatur, arma Achillis communi penè omnium consensu decreta fuisse scribit; nihil aliud divino suo carmine significans, quàm omnem bellorum laudem non armis, sed sapientiæ, non viribus, sed consiliis fore attribuendam. Quòd, si in cæteris dignitatem Philosophiæ, magnitudinemque animo metiri voluerimus; non modò in rebus maximis, sed in minimis quoque nullam prorsus artem esse intelligemus, quæ non vel ab hac inventa sit, vel ejus adjumenta, consiliumque desideret. Hæc enim, qua arte ferrum, cæteraque metalla ex terra erui, quove ingenio domari possent, edocuit; hæc, quæ domificandi ratio, quæ conficiendarum navium ars, omnisque architecturæ solertia sit, geometricis figuris explicuit: hæc eadem, qui agrorum cultus, quæ tempora serendi sint, quæ metendi, quæ navigandi, ad Cœli rationem, ad signorum ortus, atque occasus revocavit. Ab hac, ut cæteras artes missas faciam, lanificium, texturam, argentariam, marmorariam, ac mille alias vel ad vitæ cultum, vel ad reliquos usus necessarios patriam duxisse originem accepimus. Hæc, inquam, una, quis ex quaque re fructus, quæ percipi commoditas possit, ostendit. Hujus denique, ut aliquando finem faciam, munus proprium est docere, qua ratione homines, & in hac vita beatè vivere possint, & in reliquâ in sempiternum illud Sanctorum Patrum domicilium pervenire, ubi perpetuo, ac immortali ævo cum illis fruantur. Dies me, Patres spectatissimi, deficeret; si quæ à sapientissimis hominibus de laudibus Philosophiæ scripta sunt, commemorare omnia vellem. Sed hoc ideo negligentiùs facio, quia nec laudibus Philosophia, nec vos oratione meâ egetis:

quorum alterum cùm admiratione potiùs dignum sit, quàm prædicatione; alterum hujusmodi est, ut à sapientia vestra erudiri, quàm audiri à vobis malim. Et quoniam vos ineptiarum mearum spectatores fortuna hodierno die esse voluit; illud à vobis pro vestra modestia, quæ summa est, quæso, ut cum ingenio meo, quod perexiguum in me esse nunquam negabo, tum etiam magnitudini rerum, atque huic ætati aliquid remittendum putetis: qui, si ad hunc locum, sedemque clarissimam vel temere, vel arroganter vobis conscendisse visus sum, eumque ante idoneum tempus præoccupasse, non tam id impudentiæ meæ, quàm auctoritati eorum, quibus negare nihil potui, assignandum judicetis. Fuit enim mos illis gerendus, quos vel ratio, vel natura post Deum in primis & coli, & observari à me voluit. De quo alio loco, si quando ad futura comitia pervenero, plura à me dicentur. Nunc, quoniam semel ineptus esse cæpi, non ante ex hoc loco descendam, quàm extremum, ut ajunt, actum fecero: hoc enim erat ex duobus propositis secundum, quæ huc adveniens constitueram; ut, cùm de laudibus Philosophiæ, quæ à majoribus meis acceperam, brevissimè explicuissem, locum aliquem mihi non ex vulgari aliqua parte, sed ex media Philosophia desumerem; quidque de ea re viri doctissimi sensissent, in medium afferrem. Quæ cùm multa sint, tum à cæteris Philosophis, tum à summo doctrinæ, atque ingenii principe Aristotele memoriæ, ac literis mandata; ad ea potissimum animum retuli, quæ de anima intellectiva ab eo, tertio sextæ partis naturalium, subtilissimè disputantur. Priùs itaque, Patres gravissimi, verba Aristotelis referam: dehinc ad reliqua accedam, quæ illum de hac re sensisse commentarii antiquorum testantur: in quo, si quid erratum à me fuerit, vos Patres humanissimi, æquo animo, ferendum judicabitis. Sit itaque à me hoc ex ipsis verbis Aristotelis sumptum initium. De parte &c.

GA-

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
DE LAUDIBUS BEATI FRANCISCI
AB ALIO PRONUNCIATA.

CUm ſæpenumero, Patres graviſſimi, eos Oratores, qui cæteris eloquentiâ præſtant, videam, ſi quid de rebus vel minimis dicere inſtituerunt, ita rem verbis efferre, ut non ſumma ſolùm omnia, ſed divina etiam videantur; vereor plurimum, ne, cùm de rebus maximis, ac diviniſſimis oratio à me habenda ſit, ita frigidè, ac jejunè de hiſce à me dicatur; ut, quemadmodum illi Oratores, quæ minima erant, maxima dicendo fecerunt, ita ego, qui neque ingenio, neque exercitatione dicendi valeo, noſtra hæc ipſa, quibus nulla reperiri poteſt, aut fingi par oratio, ex ipſo quaſi Cœlo, atque ex clariſſima luce in locum infimum, & in denſiſſimas tenebras detraxiſſe videar. Sed unum eſt, Patres digniſſimi, quod me conſolatur, veſtra ſcilicet incredibilis humanitas, ac ſplendor ipſe religionis, quæ ſuâ vi, ac dignitate ita ſe oculis hominum, atque ipſis animis admirabilem oſtendit, ut ſatis, ſuperque, etiamſi à nullo laudetur, tamen ſummis laudibus ſe ipſam commendet. Quis enim veſtrum eſt, Patres optimi, qui, ſi rem ab ipſo religionis noſtræ principio repetere voluerit, non intelligat, atque ultro fateatur, tantam ejus venerationem apud omnes Gentes eſſe, ut ipſius dignitas, & immortalis gloria ad barbaras uſque Nationes pervenerit? Hujus, ut noſtis omnes, caput habemus, ac Principem Dominum noſtrùm JESUM CHRISTUM, in quo uno cum Divina majeſtas noſtræ humanitati conjuncta eſſet, omnis ipſe ſanctimoniæ, atque veriſſimi cultus divini formam, & imaginem nobis reliquit: quam qui ſunt imitati, ii jàm non ſervi, ſed filii Dei vocati ſunt. Nam, ut in uno corpore multa videmus membra eſſe, quæ etſi non eùndem actum habeant, omnia tamen ad caput, tanquam

ad suum principium, fontemque refertuntur, ita in hoc universo religionis quasi corpore quodam multos ordines inter se diversos habemus, tanquam membra à capite, ideſt ab eo, quem nuper dixi, æterno Principe nostro, & illi obedientia. Testantur hæc innumerabilia, quæ toto Orbe terrarum diffusa videmus, templa: testantur ædes sanctissimæ extructæ: testantur non modò singuli Martyres, sed copiosi etiam Martyrum exercitus: testantur omnes ii, quos sanctissimos Confessores appellamus: testantur omnia tam Cœli, quàm terræ veneranda Ecclesiæ Dei agmina: testantur denique tot sanctissimæ religionis monasteria, conventus virorum honestissimorum, ac virginum, & viduarum sanctimonialium: quæ orationibus, jejuniis, & omni vitæ sanctitate, non cessant dies noctesque Divino cultui inservire, fundamentaque domus Dei sæpe vitiis, ac sceleribus hominum quassata resarcire; ac suis humeris non solùm parietes, & culmina ejus, sed omnem etiam divinam illam structuram suo, ut ita dicam, corpore, ac totis viribus sustentare. Erat hic locus, Patres doctissimi, de cæremoniis, de sanctitate, de omnibus religionibus, & institutionibus earum dicendi; nisi brevitas temporis, & magnitudo rei planè me inde revocasset. Sed, ut spero, erit aliquando aliquis, vel ex nostro hoc ordine, vel ex cæteris, qui totum hunc locum non eo genere orationis, quo nunc ego inculto utor, sed insigni, ac prope divino, ita dicendo illustrabit; ut nihil laudis religionibus cæteris detractum sit, & huic nostræ testimonium non fictum, sed verissimum tributum intelligatur. Nunc verò cùm hodiernus dies me admoneat, ut aliquid de vita, de rebus gestis, de laudibus patris nostri, ac principis nostræ hujusce religionis beati Francisci dicam, dabo, Patres doctissimi, brevitati operam, & tempori, ac ingenio, quod in me est perexiguum, consulam. Est enim scitum, eos, qui nihil magnificum dicendo consequi possunt, brevi uti oratione; ne, & auditoribus fastidium afferant, & suas pariter ineptias in dicendo profiteantur. Soleo mecum hujusce nostri Patriarchæ sanctitatem considerare, & incredibilem quandam, atque inusitatam institutionem ordinis nostri ab eo fundatam contemplari animo, & summè admirari. Non negabo (pace omnium

nium dixerim, ita me animo plerumque commoveri, ut crediderim, aut hunc primum omnium esse, qui omni virtute divinâ, humanâque cæteris præluxerit; aut eorum, qui primi in illo cœlesti Senatu numerantur, sanctitatem, gloriamque planè adæquarit. Si enim nemo est, qui non concedat, quo se quisque vir sanctus magis in rebus omnibus Deo Principi omnium rerum, omnibusque hominibus propter illum submiserit, eo altiorem locum divinitatis mereri; jure neminem ego cum in cæteris virtutibus, tum in hac unâ maximè, quam humilitatem religio vocat, aut cum hoc conferendum, aut ei præferendum puto. Probat hæc conversatio, ac vita illius, cùm adhuc sæculari habitu uteretur: probat singularis illa ex toto animo sancta ad Deum conversio: probat ex divino prodita oraculo sanctissima religionis institutio: probat totius ordinis nostri profectus, & mirabilis amplificatio: probat vitæ ejus dura in se ipsum severitas, charitas in pauperes, pietas in omnes, divitiarum contemptus, rerum divinarum quædam, omnibus rebus posthabitis, magis semper, ac magis exardescens cupiditas: probat invictus ille prædicandi labor, spiritus prophetiæ ei datus, martyrii desiderium, in rebus omnibus patientia, & quod ad summam rerum omnium pertinet, characteres illi sacratissimo ejus corpori divinitus inusti, atque impressi, quod ante ipsum post passionem Domini nostri JESU CHRISTI nemini contigit: quo vel uno divino prodigio, nec ei viventi negatum est martyrium, sed quinque acceptis insignibus plagis, idest manibus, pedibus, latere confossis, quamdiu in vita fuit, non crucem, sed crucis tormenta lætus, & gaudens, ut semper optaverat, in suo corpore sustulit: probat demum multitudo miraculorum, & sacrosanctæ Divinitatis ejus apud omnes Nationes veneranda dedicatio. Quis non hæc tot rerum tantarum testimonia probaverit? Quis tam ab omni religione abhorrens est, qui non concedat, aut primum ei locum, aut primo parem in illo æterno domicilio facilè tribuendum? Hunc non modò civitas Assisii patria ejus, & tota Hetruria, cujus fines gemino mari, supero, ac infero olim terminabantur, Gallia transalpina, Germania, Britannia, Hispania, Pannonia colit, laudat, admiratur; sed cæteræ etiam partes Europæ, tota Africa, univer-

versa Asia, omnes oræ maris Oceani, atque Mediterranei tantâ veneratione memoriam prosequuntur ejus, ut nemo vir integer, continens, sanctus, castus, pius, clemens habeatur, qui non religionem ab eo institutam probet, ac summè veneretur. Et ne omnia ab eo gesta oratione complectar, nonne legimus huic uni Coelum, maria, terras tanquam Deo alicui paruisse? Quid alites coeli commemorabo? Quid pisces maris? Quid cætera animalia terras incolentia? nonne quantæ venerationis hic sanctus esse debeat, multis signis ostenderunt? Hic dies, Patres clarissimi, citiùs me deficeret, quàm non dico ornare verbis, quod longè à me abest, sed ne quidem narrare divina in hoc sanctissimo Patre nostro miracula possem. Verùm hoc facilè prætereo, quia neminem ferè in his subselliis, ac sedibus video, qui non probè totam hanc historiam calleat. Cæterùm, Patres gravissimi, cùm hæc à me, quamvis brevissimè, verissimèque, ut auditis, dicantur, sentire tamen medius fidius videor beatissimam illam Francisci animam ab ipsis Astris locum hunc, atque ipsum istum religiosum cœtum nostrum intuentem, ab hoc laudis genere abhorrere, atque his ad me verbis uti: Quid est, quod hac me tantâ laude prosequeris? Quid est, quod me aut præfers omnibus, aut summis comparas? nulla hic est de magnitudine gloriæ nostræ inter nos contentio, nulla comparatio, nulla prorsus invidia: par omnium voluntas, una charitas: quod singulorum bonum est, illud scito omnium esse; rursum quod omnium est, illud etiam sine dubio singulorum existere, qui hanc sanctissimam Civitatem Dei patriam colimus, sentimus, & fatemur. Quod si vobis mortalibus frui perfecto bono datum esset, altâ pace, & quæ nunquam ullum finem habitura esset, frueremini: nulla toto Orbe bella, nullæ discordiæ, nulla odia vigerent, classica tacerent, fragor armorum, qui nunc ubique obstrepit, nusquam audiretur; nulli Reges de Imperio disceptarent, leges, ac jura æternam auctoritatem servarent. Rabies illa habendi, quæ sine fine magis, ac magis ardet; nec se, nisi omnia possidentem, felicem credit, extincta esset, ac prorsus sepulta. Nos verò multos, quos felicissimos homines putant, miserrimos omnium esse, atque infortunatissimos scimus; multoque beatiores omnes filios nostros, qui

adhuc

adhuc terras incolunt, & imitatores eorum, cùm nihil eis sit, cùm excalceati, cùm fune cincti, cùm denique nudi ambulant, cùm esuriunt, sitiunt, algent, æstuant; quam turbam illam ingentem perditorum hominum sanguinem alterius sitientium; quamque furoris illorum duces, qui de calamitate inter se certant; & ne alius alium magnitudine malorum suorum excedat, pacisci morte cupiunt, miseriæque suæ cumulum ad summam eorum laudem pertinere arbitrantur. Hæc, & alia multa iis majora, ac diviniora patrem nostrum canere ab ipso Cœlo, & vocem ejus audire mihi videor jubentis, ut nullo alio nunc amictu nos ornemur, quàm humilitatis, & modestiæ illius: quam, cùm adhuc nobiscum habitaret, ad imitationem magistri sui JESU CHRISTI sibi adoptavit, adoptatam excoluit, excultam ita nobis reliquit, ut iis vestigiis, quasi scalarum gradibus nobis omnibus ad Cœlos ipsos quàm certissimam munierit. Quem mihi, Patres humanissimi, dabitis (ut rerum divinarum comparationem mittam) ex eorum numero, qui honoribus, qui opibus, qui dignitatibus, qui potentiâ, qui voluptatibus gaudent; ut non pluris labores, vigilias, inediam, frigora, omnesque corporis molestias, nec cæteros cruciatus, quos beatus Franciscus cum incredibili alacritate animi perpessus est, existimandos judicem? Quid porrò Alexandri Regis innumerabiles victorias, Cæsaris triumphos, Darii opes illas infinitas sanctitati ejus, ac religioni comparem; cùm illæ res caducæ, ac fluxæ sint, nihilque stabile habentes, ac falso fulgore sæpe oculos hominum perstrinxerint? Hujus autem sanctimoniam, castitatem, abstinentiam, charitatem, obedientiam, integritatem omnibus Imperiis, dignitatibus, divitiis, honoribus, voluptatibus, ac reliquis fortunæ commodis præferendam esse nemo non sentiat. O miserabilem, atque detestandam hominum inscitiam: qui, cùm hæc esse vera sentiant, cùm apertissimè videant; cùm laudent eos, qui paupertatem Francisci omnibus rebus prætulerunt, idemque nonnunquam cupere se fateantur: nunc occupationes suas accusant, nunc in eorum familiam, aut in Rempublicam culpam suam transferunt; cùm ipsimet suarum sibi occupationum, atque laborum auctores sint. Sed hæc hactenus. Intelligo enim, paulo quàm instituissem, prolixiorem

orationem meam fuisse. Verùm ingenii mei, quamvis exigui, calor quidam longiùs me à continente, ut ajunt, repulit. Vestrum autem est, Patres amplissimi, ac religiosissimi viri (ut eò revertatur, unde cœpit oratio) mihi ignoscere; si neque expectationi vestræ, neque magnitudini rei satisfeci, cùm in perscrutatione sacrarum literarum libentiùs, quàm in dicendi exercitatione versatus sim. Vos autem qua humanitate semper fuistis, ferendum me esse facilius judicabitis; si memineritis neminem ex priscis Oratoribus, quibus græca ipsa, ac lingua latina gloriatur, satis ullâ dicendi copiâ laudibus Francisci facturum fuisse. Hujus igitur (ut aliquando finem dicendi faciam) cùm sacratissima, ac singularis memoria omnibus annis à nobis repetatur, eò majori studio, atque attentiori cultu, hodierno die cæremoniæ nostræ renovandæ à nobis sunt, quo magis necessarium esse intelligimus; ut precibus ejus, ac meritis, Deus pacis auctor optimus statum Principis nostri illustrissimi Mediolanensium Ducis, omniumque subditorum ejus fortunas ad perpetuam tranquillitatem, & ad communem Civium salutem sua infinita pietate perducere dignetur.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
PRO INSIGNIA DOCTORATUS MEDICINÆ ACCIPIENTE
HABITA PATAVII.

NOn mediocri voluptate afficior, magnifici Præsides, vosque Patres, & Doctores clarissimi, quod video magna frequentia semper vos convenire, quoties aliquid est à vobis, aut pro meis honoribus agendum, aut studiorum meorum causâ vestro vel ingenio, vel sapientiâ tractandum. Neminem quidem in his ornatissimis sedibus ex vestro numero astare video, cui pro perpetuis in me officiis non sim immortali, ac sempiterna memo-

tia adstrictus. Nam, sive considero, quos mihi homines pro hac nostra Universitate eligendos anno superiori mandaveritis, sive egregia studia vestra, cum in omnes, tum maximè in me ipsum intueor; incredibile est, quantum unicuique vestrum me debere judicem. Illud verò nimium est, quod hodierno die vobis omnibus debeo, Præsides, & Doctores amplissimi: qui, cum his diebus publicum magistratum, quem à vobis acceperam, ad successorem meum ex lege transtulissem, voluistis me hac alia dignitate pro laboribus meis, ac honestissimis vigiliis exornare; jussistisque me ex hoc ipso loco pro insignibus Doctoratus à vobis exigendis orare: qui nemini unquam patuit, nisi priùs vestro judicio, atque auctoritate probatus fuerit. Neque is honor, eaque dignitas hodie mihi est apud vulgares homines, aut in mediocribus artibus à vobis proposita; sed in hoc pulcherrimo literatissimorum hominum consessu, ac præsentiâ; & in ea parte sapientiæ, quæ sæpenumero fuit à veteribus cum summa, & laude, & gloriâ celebrata. Multas quidem artes majores nostri nobis reliquerunt, à quibus non solùm ad singulos homines, verùm etiam ad ipsas Urbes plurima commoda, atque ornamenta persæpe accesserunt. Sed nescio, an alia sit huic nostræ anteferenda, quam alii physicam, alii medicinam vocant. Quid enim ab aliis artibus, aut disciplinis ad homines unquam pervenit, quin multo plura, majoraque per hanc unam in vita consecuti sumus? Laudatur quidem juris civilis scientia, neque injuriâ; est enim in ea omnis æquitas, & salus Civitatis reposita. Laudantur eæ artes, quas mathematicas dicimus, quæ solæ certissimam cognitionem, demonstrationemque tradunt. Commendantur etiam, atque in veneratione habentur studia, quæ ad rationem disserendi spectant. Nulla (pace aliarum dixerim) ita hominibus opitulata est, ut vel ad omnes perveniret, vel non curandum aliquid, expoliendumve relinqueret. Leges enim non tam proborum, quàm improborum causâ, primum à conditoribus Urbium inventæ, dehinc à Principibus traditæ fuerunt. Cæteræ verò, quas dixi, ita à natura constitutæ sunt, ut vel ad formanda ingenia, vel ad fortunas hominum conservandas, atque augendas repertæ videantur; hæc verò nostra sive sapientia,

sive facultas quædam, sive scientia, non solùm corporibus, sed multo magis ipsis animis auxilium pollicetur. Quod nisi ità esset, nunquam ego tantam laudem, atque admirationem detulissem ad hunc nostrum medicorum principem Jacobum Foroliviensem, quem unum hominem post Hippocratem, Galenum, & Avicennam, tres maximos hujus scientiæ duces, primum, ac divinum dicere soletis. Quæ gloria, cùm semper in judicando prudentissimi fueritis, nunquam certè esset à vobis concessa; nisi in subtiliter aperiendâ rerum naturâ, in exquirendis causis, & in morbis penitùs perspiciendis, majorem ingeniis nostris legendo, disputandoque utilitatem, quàm fructum medendo corporibus reliquisset. Hac ratione motus, magnifici Viri, & Doctores egregii, hujus artis studia, quam meritò sanctissimam medicinam vocant, prætuli, longéque omnibus aliis artibus, disciplinisque antepolui. In ea capessenda multos annos, ac multas vigilias consumpsi: propter hanc non dubitavi conspectum, & parentum, & patriæ relinquere: hujus quidem unius studio secutus famam, ac sapientiam præceptoris mei, multas cum eo Urbes cùm in Hetruria, tum in ea parte Italiæ, quæ cisalpina Gallia dicitur, atque in citeriore Marchia discendo, audiendoque lustravi. Nunc verò vestro consilio, vestrisque adhortationibus fretus hunc locum conscendi, ut Doctoratus insignia à vobis referam, velut perpetua judicii, quod hodierno die de me fecistis, monumenta. Peto igitur à te, Pater, ac præceptor mi, hujus ætatis nostræ medicorum princeps, Jacobe, primo librum, &c.

GASPARINI BARZIZII

BERGOMATIS

ORATIO

DE LAUDIBUS PHILOSOPHIÆ

HABITA PATAVII.

SÆpe animadverti, Patres clarissimi, cùm locum hunc non nunquam repeterem, vosque hujus rei gratiâ, qua nunc ferè omnes hîc adestis, frequenter convenissetis, multos fuisse ante me, qui accuratissimè de laudibus Philosophiæ apud vos disseruerint. Omnes autem, ut hoc vestro judicio commendati, atque laudati abirent, summo studio elaboraverunt; fuitque omnis eorum cura in hoc posita, ut & graviter, & ornatè ea de re, vobis audientibus, dicerent. Quod ego cùm intelligerem ab ipsis magnâ cum admiratione omnium perfectum, viderem nullum mihi ad bene dicendum locum relictum esse, qui non prius ab illis occupatus, & quasi præreptus foret. Accedebat etiam, quod iis eram, & rerum, & temporum angustiis adstrictus, ut nullum mihi suppeditaretur otium, quo satis vel magnitudini rei, vel expectationi vestræ facere possem. Sed quid vos Patres gravissimi, his causis, atque hac oratione detineo, quasi me unum credi velim ex antiquis Oratoribus, quales Gracchi fuerunt, vel postea Antonius ille, aut Crassus: quibus ad bene, copiosèque dicendum nihil magis oberat, quàm dum ab eis erat, aut de trita, pervulgataque re agendum; aut quia ex tempore, quod semper omnibus difficillimum fuit, orare oportebat? Quis enim ex vobis est, qui non sentiat me neque ad has artes natum, neque in his satis unquam doctum, aut exercitatum fuisse? Quæ si vobiscum attentè consideraveritis, nihil erit, quare meum officium ex veteri more, vel expectetis, vel accusetis; cùm præsertim sapientissimorum hominum sententiis, præceptisque didicerim, nonnulla esse, quæ non tam laudare, quàm honorare vos oporteat. Quod suo jure Aristoteles ad Nicomachum scribens dixit

quæ-

quædam esse, quæ cùm optima sint, divinâ potiùs veneratione, quàm ullâ hominum laude digna videantur. Sed quid est per immortales Superos quæso, Patres doctissimi, quod aut natura comparare nobis pulchrius, aut Superi hominibus optabilius potuissent, quàm amorem, studiumque Philosophiæ, in qua omnia vitæ ornamenta, in qua virtutis, ac sapientiæ adjumenta posita esse nemo dubitat? Nihil igitur ab antiquis traditum est, quod nos magis suspicere, aut admirari conveniat, quàm hanc unam velut parentem, atque altricem earum artium, quas nos liberales dicimus. Quòd si Cicero in ea oratione, quam pro A. Cluentio apud judices habuit, non dubitat tantum legibus attribuere, ut non solùm omne vinculum hujus dignitatis, qua quisque in sua Republica fungitur, sed etiam fundamentum libertatis, mentem, animum, consilium, sententiam, fontem denique omnis æquitatis audeat in iis ipsis repositum dicere; quod non arbitramur Philosophiæ dandum, in qua & illæ suæ leges tam laudatæ, & cætera humana officia, divinaque pariter continentur. Nam, ut sinè spiritu, & sanguine non potest vita constare; ita sinè Philosophia nemo vestrum potest aut secum, aut cum alio rectè aliquid deliberare. Cavendum est itaque, ne indignum aliquid, & infra excellentiam conficiamus suam; si illam putemus cujusquam Oratoris laude aut majorem fieri, aut venerabiliorem videri posse. Faciam igitur huic rei modum, Patres literatissimi, si illud dixero, nullam ex omnibus artibus, & disciplinis ullo tempore fuisse; quam ab unoquoque vestrûm non dico huic ulli præferendam; sed ne parem quidem jure habendam putem. Et quoniam ex multis, & magnis rebus, quæ in ea continentur, ea pars mihi visa est cognitione dignissima, quæ est ab Aristotele de natura Cœli, & motu Orbium accuratissimè conscripta: ad illud, quod in ea parte primum, quodque difficillimum visum est, omissis laudibus ejus, me convertam.

GA-

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
DE LAUDIBUS PHILOSOPHIÆ
HABITA PATAVII.

Sentio, magnifici Patres, & Doctores clarissimi, quanto studio sit ab iis, qui de rebus maximis apud summos homines aliquid dicturi sunt, providendum; ne expectationem, quam magnam in principio dicendi excitaverint, postea in reliqua oratione tueri, ac conservare nequeant. Quod à multis ex nostris Oratoribus aliquando factum, cùm vos mihi sæpe judices fueritis: quæso, ut, si quam huc de me existimationem egregiam attulistis, eandem vestrâ sapientiâ, & modestiâ deponatis. Quid enim est, quod præsertim de laudibus Philosophiæ præclarum possitis, aut magnificum à me audire; cùm id facere sit non hominis parum eruditi, sed ejus, qui oratorias artes diu profiteatur, ac multarum rerum scientiam teneat? Satis ergo vobis erit, si tantum de ea re dixero, quantum ab homine non satis exercitato in dicendo, ingenio comprehendi, & oratione explicari poterit. Et quoniam ita jussistis, ut priusquam de sententiis hujusce prorsus divinæ artis dissererem, vellem quàm brevissimâ possem oratione, quæ de laude, & gloriâ ejus sentirem, complecti; tantum habeo, quod de naturâ, & præstantiâ hujus, memoriæ traditum à majoribus nostris comperiam: ut cum cæteræ artes egregiæ, atque illustres quadam inter se cognatione, & societate comparentur, atque excolantur, hæc una adhuc incomparata relinquatur. Præstat cæteris artibus jus civile in regendis Urbibus, & in Gentibus æquitate, justitiâque moderandis; dominetur apud omnes in gravi, & ornatâ oratione eloquentia; artes, quæ aut in curatione corporum, aut in demonstratione versantur, iis anteferantur disciplinis, quæ solâ persuasione, aut probabilitate utuntur; jura canonica, quæ admirabilem quandam juris humani, ac divini cogni-

cognitionem nobis tradunt, summo in honore habeantur: nulla tamen dici potest, ex qua omnes aliæ, tanquam ab aliquo uno fonte, ac principio suam originem duxerint, & quæ aliarum parens, ac nutrix omnium jure appelletur. Sola Philosophia hoc præstat, ut qui magnitudinem ejus cogitatione, & animo complexus fuerit, nullius prorsus artis, aut disciplinæ expers futurus sit. Hanc unam, qui se aliis tradiderunt, aliqua ex parte contemplantes, veram, ac perfectam Philosophiam illam ipsam artem, in qua versantur, arbitrati fuerunt: quo in errore sæpe multos fuisse, & à vobis audivi, & in eorum libris non satis prudenter comprehensum legi. Tanta ergo Philosophiæ vis, atque amplitudo ab hominibus gravissimis judicatur, ut illam à principio Urbes, & Imperia constituisse, ac leges, quibus homines in pace viverent, conscripsisse, ab omnibus judicetur. Hæc rei militaris disciplinam invenit, ut qui æquabili jure contineri non poterant, justo bello, & armis coercerentur: hæc ipsa liberales artes homines docuit: hæc architecturam, & omne aliud vitæ nostræ adjumentum, qua ratione melius fieri posset, demonstravit. Nulla ergo est vitæ pars, quæ hac una vacare possit; sive enim rebus divinis opera detur, sive humanis, sive in otio simus, sive in negotio; nihil est, quod rectè sinè hac à nobis fieri possit: sed cùm major sit ejus dignitas, atque amplitudo, quàm vel nostris animis percenseri, vel ingenio comprehendi possit; satis mihi felix est visus, qui ex aliqua sui parte bene apud illam exceptus est. Vestro itaque consilio, Patres ornatissimi, illud genus Philosophiæ studio, & industriâ secutus sum, quod in ratione disserendi partim cùm sit positum, majore tamen parte in disputatione virtutis, & naturæ consumitur. Et quia ex multis, & magnis rebus, quæ in ea continentur, ea mihi pars visa est maximè divina, quæ de anima inscribitur, finem huic orationi faciam, & aliud majus, ac melius de ipsa re dicendi mihi initium sumam. Sit ergo hoc à me sumptum principium: Bonorum honorabilium.

GA-

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO*
AD FRANCISCUM BARBAVARIAM
PHILIPPI MARIÆ Mediolani Ducis, Papiæ, Angleriæque Comitis, ac Januæ Domini à Secretis.

In morte magnifici viri

ZANINI RICCII EJUSDEM PRINCIPIS PRIMI CONSILIARII.

NIsi unus essem ex his omnibus, qui Zaninum nostrum ex animo amabant, non in hodiernum usque diem Francisce mi vir modestissime, consolari te distulissem, qui illius haud scio, an omnium amantissimus fuisti. Sed cùm mœror iste, quem ex morte ejus tecum acerbissimum accepi, nondum sit passus me neque ad gravissimum virum, ac religiosum Patrem Antonium Riccium fratrem ejus, neque ad te scribere; veniam, qua humanitate es in omnes, qui te diligunt, facilè concedes mihi: non quia aut majoribus occupationibus præpeditus, aut graviori incommodo, quamvis magno, oppressus fuerim; verum, quod me fateri pudet, ita semper molli animo in morte amicorum fui, ut nec modum mihi facere potuerim, nec luctus eorum, quos habui mihi charos, & familiares, consolari. Nunc verò, cùm incredibili quadam, ac prope divinâ animi constantiâ Zaninum nostrum in morte usum fuisse, multis gravissimisque viris præsentibus, intellexerim; cœpi me colligere, & cogitare mihi turpissimum esse, qui vel diu vivendo, vel Philosophos legendo, eorum callere doctrinam deberem, nullum posse mihi auxilium, aut cæteris medicinam afferre. Maximi semper Zaninum nostrum feci, & in summis viris habendum judicavi: sed persuadere mihi nunquam potuissem, in eo tantam virtutem fuisse, ut, quo tempore viri om-

* Veriùs dicenda Epistola Consolatoria.

omnium fortissimi victi sunt, ipse eos illo tempore vinceret, mortemque contemneret; cùm præsertim videret se cariturum bonis illis omnibus, quæ desiderari ab hominibus, optarique non dubium sit. Quid enim accidere homini in vita potest, quod non divinitus in primis ei contigerit, opes; honores, amicitiæ, affinitates, multorum necessitudines, & quod omnium maximum, ac summum est, hujusce illustrissimi Principis, ac sapientissimi Ducis incredibilis amor; quo nostrâ, aut patrum memoriâ, nemo in providendo sapientior, neque in agendo constantior, neque in conficiendo celerior, neque in hostes devictos clementior fuit; & tamen omnibus his bonis ita moderatè in vita usus est, ut etiam in morte, illis, uno excepto, caruerit. Nosti, quantum istum nostrum illustrissimum Principem adamavit in vita, quantum pro suo statu, & incolumitate advigilarit; adeout nulla res esset, quæ præter hujus Principis nostri curam, solicitudinemque animum ejus angeret. Nihil sæpius animo ejus obversabatur: omnes curæ, omnes cogitationes, ut in vita, ita in morte in hoc nostro patre Patriæ consumebantur. Sed cùm tu, Francisce mi, animo occurrebas, quem te sibi successorem, & quem hæredem relinquere posse videbat, tranquillo se animo, quietissimoque è vita ista excedere dicebat. Quare vir sapientissimus, cùm jam penè spiritum, animamque efflaret, suis jussit, ut neque mortem ejus lugerent; & in ejus funere nihil pompæ asservari voluit, nec aliter mandari sepulturæ corpus suum, quàm vulgus solet. O virum, Francisce mi, summâ laude dignissimum, nec satis, cùm adhuc viveret, perspectum: qui, cùm summus apud tantum Principem esset, multaque magis ad magnificentiam Principis sui, quàm ad suam laudem referret; ne quis, quo animo fuisset, dubitaret, cuilibet infimo par in funere esse voluit. Sed quid diutius inter ista vagatur oratio? Satis enim, ac super hæc sunt, vel ad tuos consolandos, vel ad imitandam virtutem ejus adhortandos; ne vel nos magis amasse, quàm illum videamur, vel humanæ conditionis obliti. Cæterum non ignoro, & eum esse te certò scio, qui non solùm tibi, sed omnibus etiam, qui tecum illum plurimum dilexerunt, adesse & consilio, & constantiâ animi possis. Quod à te in hac re expecto, hoc

hoc vel maximum est; ut, cùm me tibi charissimum habueris, nunc tanto chariorem habeas, quantò me tali amico privatum majore tuâ operâ, studio, industriâ, egere intelligas.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
AD PHILIPPUM MARIAM
Vicecomitem Ducem Mediolani
PRO VERONENSI POPULO.

HOc tempore, magnifice Princeps, cùm nunciatum esset, magnam fortissimorum militum manum in agrum Veronensem irrumpere, ut obsidione Brixiam liberet, opemque clausis ferat, vehemens hominibus nostris invectus est pavor. Nec minùs cives, quàm rusticanos incolas intolerabilis damni expectatio commovit. Haud enim ignorant, sæpenumero prædas, expilationesve militares experti, quantam armentis, gregibus, frugibus, cæterisque rebus stragem, ac vastationem ferocissimæ Gentis importet impetus. Cæterum de Cœlo missa consolatio repente solicitudinem, angorem, ægritudinemque in rebus afflictis mitigavit. Nam, postеaquam eas ipsas copias, ductu, atque auspiciis clarissimi Imperatoris Ludovici * Firmanorum Principis, adventare significatum est; cujus res strenuæ gestæ maximâ cum sapientiâ, fortitudine, innocentiâ, rerum bellicarum disciplinâ, ingentem famam, gloriamque disseminarunt; metus ac dolor magnâ ex parte leniri cœptus est. Cùm enim tuarum virtutum excellentiam, & divini magnitudinem ingenii secum, & inter se animo versant nostri, nihil grave, aut terribile pati, aut sentire posse videntur. Nam, cùm nostra flumina, locorum angustiæ, campi, villæ ita tibi, ac tuis patuerint, ut

* Migliorati.

faciles transitus, liberos aditus, securos cursus, benigna hospitia præbeant; quid est, quod non dico à te gratissimo Principe, sed ab immanissimo alio quodam Duce reformidari debeat? Adde, quòd potentissimo Venetorum imperio, quorum mitissimo gubernaculo securi, tranquillique sumus, amicum te professus, omni nos periculo tutos esse jubes. Quo fit, ut tuâ dexterâ non tam victoriis, quàm fide perspectâ freti simus; & tu priùs fidem (quod Dii prohibeant) depositurus sis, quàm nos facultatos nostras amissuri. Tuæ igitur partes erunt, ut non solùm à detrimentis, verùm etiàm à detrimentorum suspicione solutos nos, & nostrum reddas agrum. Plurimis in locis invicti, ac fortissimi Ducis experimentum edidisti: hic grati, fidelis, innocentis hominis testimonium reddes. Id autem tibi facile fuerit, si præfectorum, ac commilitonum tuorum incontinentiam, libidinem, avaritiam, non dico minis, aut ferro (id enim impossibile ferme) sed fronte, oculis, vultu, vita, auctoritate reprimendas duxeris; & pro Veronensium fortunis, ac salute, qui tuam fidem, & æquitatem implorant, diligentiam, industriam, consilium, & curam impertieris. Quòd si nostra violari, dissipari, abducique jusseris, idest, cùm possis, non vetabis; quanta rebus tuis incommoda, impedimenta, pericula importentur, pro tuâ singulari prudentiâ prospicis. Primum, quòd ea loca, quibus opem, salutem, ac subsidium tuo polliceris adventu, quid sibi sperent, nostro commonefacta exemplo judicabunt. Nam, si contra jus, fas, ac fidem in aliena perniciosus es, quid in ea facies, quæ tuæ ditionis, potestatisque futura sunt: te non amicum, sed hostem, non conservatorem, sed tyrannum exhorrebunt; ut non tam conditionem, quàm hostem mutandum esse intelligant. Hoc adversarius tuus, & quod potens velit, hoc magno emptum pretio cupiat, ut cui terrori esse debes, lætitiæ sis, atque contemptui. Deinde, si qua belli calamitas te magna conantem interpellaverit, (eventus enim Martis incertus) quo te recipies? Qualem tibi reditum instruis? Num volvis animo, quorum te regio circumstet? Num venit in mentem, quanti quaqua versum hostes immineant? Eja igitur aperi nobis tuæ placabilitatis, mansuetudinis, & clementiæ magnitudinem, quæ dignissima sunt
&

& magno viro, & imperante præsertim insignia. Hæc tua bona sunt, & propria quædam, immortalisque possessio. Res tuas magnificè bello, armisque, confectas, & egregias quidem, multi erunt, qui sermone diminuent, aut aliis attribuent. Et profectò maxima est in rebus bellicis fortunæ dominatio: multa militum adjumenta: multæ locorum, ac temporum opportunitates: harum verò virtutum tota tua laus erit. Earum præconio te etiam viventem, post te ipsa quoque ventura ætas excipiet, nullaque de te posteritas conticescet. Jam nunc nostra juventus scripta meditatur, & clarissima, quibus tuum nomen illustret, immortalitatique commendet, nisi amicos ad obtrectandum nomini tuo lacessas, eosque pro beneficio maleficiis afficias: quod quidem omne ferarum genus immanitate superabit; cùm belluas etiam cibus, consuetudo, blandimenta ita interdum mitigent, ut hominibus audiant, obsequantur, custodiant, & pro eis magistrâ in feritate naturâ discrimina subeant. Ad has autem res nihil te magis, quàm clarorum hominum acuit imitatio, quos crebris usurpare sermonibus soles. C. Cæsar, cujus in omni virtutis genere mirifica extant exempla, pharsalico prælio jam victor, semper illâ clementissimâ usus est voce: parcite civibus: parcite civibus. Tu, cujus victoria adhuc dubio pendet gradu, amicis, atque hospitibus non parces? Quin tuos ante oculos homines miseros lacerari, spoliarique permittes? Sylla crudelissimus quidem homo, cùm hostiles Athenas jam expugnatas in potestatem redegisset, nec Urbem, Civitatemque igni, ferroque pervastaret, sese veterum Philosophorum extinctorum memoriâ revocari testatus est. Tu eximia humanitate præditus, benevolos tibi Veronenses tantis afficies injuriis? Illum mortuorum memoria repressit: te supplicantium præsentia, gemitus, lacrymæ nihil inflectent? Et te, quem musis, ac literarum studiis deditum prædicant, nostrorum quoque Philosophorum, & doctissimorum Poëtarum memoria moveat, quos innumerabiles hæc olim Civitas edidit. Sed, ne tuæ benignitati diffidere videar, longiore uti oratione desinam; tua enim sponte satis incitandum arbitror: præsertim cùm acceptorum mens grata beneficiorum, illustrissimorum amicitia Venetorum, data fides, ac ipsa modestia

stia ita postulent; nec minùs propriæ utilitatis ratio, & provida futurorum cogitatio. Accedit præterea gloriæ, & laudationis expectatio, cujus omne præclarum ingenium avidissimum esse fateris, vel Spartanorum hominum sapientissimorum, fortissimorumque judicio, qui de futura in adolescentibus virtute constituebant, uti quemque laudis avidum, aut contemptorem animadverterent. Quòd eo magis amplexabere, quòd non avaritiâ, sed fortitudine, ac gloriâ bellum hoc justissimum suscepisse videris, Pyrrhi illius Regis sanè primarii, ac Imperatoris exemplo, de quo illud magnificum extat, verèque regale:

* *Nec mi aurum posco; nec mi pretium dederitis:*
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes:
Ferro, non auro vitam cernamus utrique.

Quæ si te fortasse non tangunt; at te miserorum senum, muliercularum, puerorum lachrymæ, preces, & querelæ tangant, qui sese eò inopiæ, ac mendicitatis, ob tuorum militum perfidiam, crudelitatemque redigi clamitant, ut fame perire cogantur, hoc est, te non prohibente, necentur.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
PRO ASSUMENTE INSIGNIA RECTORATUS IN GYMNASIO PATAVINO.

Quàm vellem, Patres, & Doctores amplissimi, ut judicium, quod de me hodierno die fecistis, ego aliquâ meâ virtute confirmarem, aut saltem aliquâ mediocri industriâ consequi possem? Sed cùm intelligam neque prudentiam ad agendum, neque consilium ad excogitandum mihi adesse, quantum huic magistratui accommodatum esset; vereor maximè, ne potiùs ea res temere à me assumpta, quàm constanter administrata paulò post à vobis judicetur. Majores quidem nostri, cùm hanc digni-

* Apud Ciceronem de Officiis lib. I.

dignitatem ab ipso initio statuerent, viderentque maximam amplitudinem, ac plurima ornamenta per hanc unam ad eas artes, disciplinasque accedere, quæ olim à sapientissimis hominibus inventæ, & postea celebratæ fuerunt, constituerunt; ne quis ad hunc magistratum accederet, nisi priùs magno ingenio præditus, & multis, ac magnis artibus ornatus esset. Quid enim majus decerni ab illis poterat, aut dignius, magnificentiusque, quàm in conventu peritissimorum hominum unum aliquem caput omnium, principemque præficere? Nunquam ego, ut vulgus, eos cæteris præstare honore, & gloria putavi, qui plus aliis opibus, & ingenio pollerent. Quanto illud melius, inter eos principem locum habere, qui in reliquis hominibus virtute, ac sapientiâ dominentur. Quare, Patres optimi, cùm animum ad hanc ipsam dignitatem referebam, nullum ego arbitrabar esse magistratum, qui cum hoc conferri, compararive posset. Omitto hoc loco justitiam, cui qui rectè præsunt, jure optimo ab omnibus viri boni dicuntur: non dico Rectores Universitatum, & honestissimorum studiorum gubernatores tanto cæteris in ea virtute excellere, quanto hoc genus hominum, quod ab his regitur, omnibus aliis præstat. Nec sum nunc in eo occupatus, ut illud vobis audientibus dicam, hanc unam virtutem esse, sinè qua ne illi quidem, qui scelere, & maleficio pascuntur, possint aut fœdus ullum inter se, aut societatem aliquam diu habere. * Satis enim hæc, ut multa alia, præclarè sunt à Cicerone, cùm de Officiis tractat, disputata. Illud me magis urget, Patres doctissimi, quòd ad res gerendas non satis consilii, aut animi adesse mihi sentio. Sed, postquam hoc ita mandastis, & hoc idem tota hæc nostra Universitas, priusquam frequentes in hoc sanctissimum templum convenissetis, ita suffragiis suis tulit; vestrâ magis auctoritate, quàm meo judicio hæc insignia, & publica ornamenta accipio. Ita enim omnes velle intellexi his diebus, cùm magno consensu omnium Rector designatus essem; sed maximè hoc ipso die, quo quid de me judicaretis, multis apertissimis judiciis declaratis. Ego verò,

* Hæc Oratio habita fuit Patavii anno 1412., ut ex Salamonio supra citato in Fastis Prætoriis.

rā, Patres ornatissimi, tantum studii ad ipsam dignitatem afferam, quantum vestro consilio, meoque labore excogitare, assequique potero. Una res me ad hoc munus, atque onus hortatur, quòd nunquam huic Urbi præfuerunt homines sapientiores, neque graviores, quàm hodierno die, publicæque utilitatis magis avidi. Habemus enim Prætorem optimum Fantinum Dandulum, in quo summum esse consilium, ac summam gravitatem, sæpe vos omnes judicastis. Habemus Zachariam Trivisanum Præfectum Urbis sapientissimum, qui plures magistratus cum maxima laude, & gloria gessit, quàm ferè alii petere, aut optare ausi sint. Habemus denique Caput, ac Ducem utriusque Universitatis nostræ, Petrum Marcellum reverendissimum Antistitem Patavinum, patrem singulari sapientiâ, humanitate, modestiâ præditum. In quo uno, Patres clarissimi, sæpenumerò spes nostras haud dubiè positas esse dixistis; neque unquam, eo incolumi, de restitutione studiorum nostrorum, quæ anno superiori penè amiseramus, esse desperandum. Cujus ego nunc auctoritate fretus, hujusce dignitatis, quam vos in Universitate nostra maximam esse voluistis, ornamenta assumam; testorque me omni labore, curâ, studio, perfecturum, ut hanc ipsam Universitatem, quæ temporum iniquitate multum ex pristina dignitate amisit, longè pulchriorem, quam à vobis acceperim, atque ampliorem restituam.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
PRO PETENTE INSIGNIA IN JURE CANONICO
HABITA PATAVII.

Cum multa sæpe mecum de rebus maximis ad bene, beatèque vivendum pertinentibus cogitarem, reverendi Patres, magnifici Viri, & Doctores gravissimi, & quid ad summos ho-

honores, clarissimamque majorum meorum dignitatem, atque gloriam posset accedere; constitui in ea maximè elaborandum parte, ubi minimum jus fortuna, maximam verò vim haberet virtus, & sapientia: quod cùm mihi ex institutis persuasum erat, tum multo magis ratio ipsa, ut ita sentirem, compellebat. Videbam enim, Patres clarissimi, omnia ferè ornamenta, quæ conferre posset fortuna, majore cum splendore, atque affluentia in domum meam, quàm ad aliam Italiæ gentem delata esse. Sive enim artes belli, sive studia pacis attendamus, sive potentissimorum Regum, ac maximorum Principum affinitates, sive latè effusam potentiam, ac summas opes, sive illustrissimum nomen, & rerum gestarum incredibilem quandam, ac prope singularem gloriam consideremus; nullum ego arbitror Principatum aut esse, aut multis annis in Latio fuisse, cum quo hæc mea domus omni genere laudis non certet, atque contendat. Quæ etsi tanta fuerunt, ut animos omnium in admirationem usque traherent; tamen ipsa fortunæ inconstantia facilè monebat, ut nunquam ea cum virtute, nec cum optimis artibus, disciplinisque honestissimis compararem. Hæc una deinceps ratio mihi fuit, ut me totum ab hoc splendore ad melius vivendi genus transferrem. Hæc primum mihi persuasit, ut hanc sanctissimam, cui me devovi, * religionem omnibus magistratibus anteferrem. Hæc postea tantum apud me valuit, ut omnes meas curas, labores, vigilias ad ea conferrem studia, sinè quibus non satis honestè divinum cultum tueri, nec in eo diu castè, integreque versari me posse videbam. Si enim, ut ab antiquis prudenter est definitum, sapientia est divinarum, humanarunque rerum scientia; quid est, quod sinè ea rectè vel cogitatione nostra inveniri, vel oratione expoliri, tractarique possit? Hujus autem infinitæ, immensæque rei magna quædam, & ampla pars ea visa est, quam nostri Sacros Canones vocant. In iis quidem sanctissimæ leges: in iis divina Jura, humanaque continentur: in iis omnis Juris Civilis æquitas, modestiaque consistit. Frustrà enim Mundus ipse aut præceptis Philosophiæ, aut iis arti-

* Erat hic Præpositus Generalis Ordinis Humiliatorum, ut ex MSS. Codice Mediolanen.

bus, quas mechanicas appellant, regeretur, nisi omnia his nostris legibus definita, atque composita essent. Est igitur hæc una vera, & certa vivendi scientia: quæ cùm laudatarum artium princeps esse à multis, & doctissimis quidem viris judicetur: rectissimâ ratione omne meum tempus in ea consumpsi, omnes meas cogitationes ad hanc unam sapienter retuli. Incitabat etiam me plurimùm cum ipsius rei amplitudo, ac præstantia; tum singularis, ac prope divina, ut in cæteris rebus prudenter dispiciendis, ita maximè in hac sive arte, sive doctrinâ gravissimi viri, longêque omnium nostræ ætatis in ea principis Francisci Zabarellæ & virtus, & sapientia; cui omnem in hac ipsa re non solùm studiorum meorum, sed etiam salutis, & incolumitatis meæ laudem, & gloriam in primis debeo; cum ejus optimis exhortationibus effectum sit, ut dum consilia ejus sequor, & vivam, & doctior sim; hujusce autem rei fructum maximum vestris gravissimis judiciis, Patres doctissimi, in hoc sanctissimo domicilio hodierno die consecuturus sim. Statuistis enim, ut hunc locum ornatissimum ascenderem, qui nonnisi illis unquam patuit, quos publico honore, atque hac dignitate ornandos censuistis. Et quoniam vobis ita placuit, ut maximo honestissimorum hominum conventu, ac frequentiâ insignia Doctoratus acciperem, primùm peto abs te, gravis, ac præstantissime juris utriusque interpres Francisce Zabarella librum &c.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
PRO DANIELE BIRAGO
In petitione insignium utriusque Juris

HABITA PATAVII.

CUm sæpe, ac multum de iis rebus cogitarem, Patres clarissimi, quæ maximo studio celebratæ olim à nostris majoribus fuerunt; repeteremque animo ea, quæ vel à græcis homini-

nibus, vel à nostris præclarè fuissent, sapienterque conscripta; nullam ex omnibus artibus, aut disciplinis magis necessariam ad bene vivendum intellexi, quàm eam civilis scientiæ partem, in qua omnis, & publica ratio, & privata utilitas hominum continetur. Quod, ut ita sentirem, quorundam summorum hominum auctoritas impellebat, quos videbam in hujus unius rei cognitione maximam vitæ partem consumpsisse. Occurrebat mihi Papinianus, homo in edendis legibus sapientissimus; qui tantum lumen ad hanc, de qua dico, civilem scientiam attulit, ut Aelius Spartianus, Romanæ historiæ certissimus auctor, meritò illum more suo civilis juris asylum, & doctrinæ legalis thesaurum sinè dubitatione appellarit. Cùm verò ad Scævolam, virum in juris scientia peritissimum, cùm ad Paulum, & Ulpianum homines acutissimos, animum referebam; repetebamque ab ipso usque Solone, ac Lycurgo omnes, qui vel Athenis in jure civili claruissent, vel in Lacedæmonia magni latores legum habiti fuissent; incredibile erat, quantum horum hominum studia ad amorem civilis scientiæ meum animum excitarent. Ex quo sentiebam, Patres egregii, nullam prorsus humanæ sapientiæ partem existere, quæ magis, quàm hæc nostra civilis facultas à nobis colenda esset. Quid enim est, quod dignius possit à Regibus, atque Civitatibus tractari? Quid est, quod studiis humanitatis propius accedat? Nam si rectè judicare volumus, hanc unam omnium artium non solùm dignissimam, sed etiam principem constituemus. In ea quidem omnis æquitatis origo continetur: in ea Reipublicæ robur, atque amplitudo omnis est posita: hæc una, quibus artibus Civitates ornentur, aut quibus disciplinis homines erudiantur, priùs invenit: hæc singulis propria officia pro dignitate cujusque dispensat: in hac omnis dignitas vitæ cernitur: in hujus sinu tranquillissimus & Urbium, & hominum status requiescit. Quare, si plura ad homines ab hac una, quam ex cæteris omnibus, commoda pervenerunt; si princeps Provinciarum jure optimo à sapientissimis hominibus dicitur; quis vestrum dubitabit omnem bene vivendi rationem in ea reponere? Quis non eam in primis venerabitur? Quis non maximè colet? Quòd si non magis Civita-

tes sinè juris civilis scientia regi possunt, quàm nostra corpora sinè sanguine, ac nervis constare; certè primas laudis partes huic uni scientiæ rectè tribuemus. Sed, quoniam infinita est ejus amplitudo, atque immensa, latiùs ejus fines patent, quàm olim nostri majores complecti suo ingenio potuerint. Cùm enim antea solùm ad res civiles animum applicuissent: nemo adhuc de jure Pontificum (quod vos Patres amplissimi, canonicum dicitis) leges conscripserat: & erat hæc una melior pars ejus, atque divinior prorsus ignorata; nisi à nostris hominibus multis sæculis post jus civile, partim inventa, partim illustrata, summa cum ratione fuisset. Deinceps verò tantum crevit sacrarum legum veneratio, jurisque civilis scientia; ut nemo satis possit hujus rei dignitatem admirari. Nec est quod de comparatione juris civilis, & ejus, quod jus Pontificum appello, orationem à me expectetis, utrum aliud alio præstet. Satis enim constat jus civile antiquitate excellere; hoc verò alterum, etsi originem ab eo traxisse nonnullis videatur, nihil tamen dignitate, aut honore illi cedere, quod sæpe re, atque experientia cognovi. Si quando inter legum interpretes contentio aliqua de excellentia utriusque exorta fuit, illi, qui in jure civili præstiterunt, æquo animo se quadam sanctitate, ac reverentiâ decretorum vinci patiuntur. Unum tamen, atque eundem constat utriusque juris fontem esse, ac primum initium, ex quo duo rivuli pariter deducti sunt; jamque in tanta flumina excreverunt; ut nulla sit Orbis pars, quæ aut hujus, quod civile dicitur, aut alterius juris irrigatione sit exempta. Quæ omnia, Patres lectissimi, cùm sæpe mecum attentissimè considerarem, viderem que hæc duo jura quodam vinculo inter se uniri, & quasi unum corpus efficere; omnia mea studia, omnes cogitationes non sinè causa ad utrunque eorum retuli, constituique nihil omnium, quæ sunt in vita, his studiis anteferendum, & omnia in comparatione horum posthabenda: in his majorem vitæ partem consumpsi. Nunc verò, Patres gravissimi; cùm ea de me hodierno die judicia feceritis, ut insignia in utraque juris parte doctoratus, quasi aliquam mercedem laborum meorum à vobis exigerem; vestrâ auctoritate ad hunc locum honestissimum ascendi, eaque orna-

ornamenta à vobis peto, quæ hesterno vespere, cùm privati examinis causa omnes unum in locum convenissetis, deferenda hodie ad me statuistis. Et primo à te juris utriusque Doctor, ac princeps Raphael Fulgosi, requiro librum clausum, & apertum &c.

GASPARINI BARZIZII

BERGOMATIS

ORATIO

In tradendis insignibus Juris Civilis

LUCÆ BONDELMONTI FLORENTINO

HABITA PATAVII.

SI quis fortè vestrum miratur, viri illustres, & Patres gravissimi, cur ego, qui nunquam hoc orationis genere usus fui, nunc primùm novâ quadam, atque mihi insolitâ ratione dicendi ad orandum venerim; illud non sinè causa à me fieri intelliget, si pro cujus rei laude verba facturus sum cum hoc amplissimo conventu vestro priùs cognoverit. Cùm enim sæpe antea huc loci ascenderem, Patres egregii, nulla mihi dicendi vel copia major, vel ratio suppetebat; quàm, ut gravissimis doctissimorum hominum sententiis, quantum vel ingenio, vel oratione eniti possem, eas artes, atque disciplinas, quas nostris comprehensas legibus vobiscum intelligebam, divinâ quadam laude ornarem, atque maximâ in admiratione hominum reponerem. Nunc verò cùm à me dicendum sit de singulari, & eximia laude non juris nostri, ut antea, sed hominis in eo jure peritissimi; videbam id à me non satis commodè posse fieri, nisi à vetustissimis usque, maximisque Oratoribus morem hunc repeterem. Si ergo, Patres clarissimi, minus ornatè, aut graviter, quàm vel rei dignitas, vel expectatio vestra exigit à me, peroratum fuerit; cùm id maxima ex parte ingenio meo tribueritis, nonnihil rei magnitudini assignan-

signandum judicabitis. Non enim de vulgari laude à me dicendum est, sed de egregia quadam, atque incredibili animi virtute, & sapientiæ magnitudine, tum generis, & patriæ gloria, atque splendore hujus insignis, & doctissimi viri Lucæ Florentini. Sæpe quidem memoriâ repetere soleo, quos unquam magno ingenio juvenes his ipsis studiis civilibus deditos viderim. Sæpe illos numero, quos aliqua singulari virtute inter cæteros eminere, atque excellere cognovi. Nonnunquam eos commemoro, qui claritate aliquâ, & fulgore majorum suorum rem, & nomen adepti sunt. Multos non negabo viros sanè egregios, ac præcipuos in aliquo gradu honoris me reperisse. Sed neminem habeo, ad quem hæc omnia simul vel suo quodam labore, & studio collata sint, vel ea ratione ab immortalibus Superis concessa, & donata, quàm huic, quem in hoc sanctissimo mecum templo, atque in hac ornatissima sede constitutum videtis. Si enim jure optimo P. Scipioni Cornelio, ei, qui primus Africam devicit, si Pompejo Magno divinas laudes concedimus, quod antequam per ætatem possent, summos honores adepti sint: quorum alter adhuc Romanus eques clarissimum triumphum meruit; alterum favor Populi Romani priùs ad Consulatus honorem evexit, quàm per annos liceret: quam huic laudem, quosve honores his ipsis virtutibus, ac tot bonis, quæ nuper commemoravi, ornatissimo satis convenientes decernere possumus: qui antequam à vobis ad hunc ornatissimum locum assumptus sit, ipse sibi maximo cum honore, ac doctissimorum hominum frequentiâ, ea, quæ nonnisi iis, quibus vos consenseritis, dari solent, priusquam peteret, vindicavit, & summâ cum laude, atque gloriâ aliquandiu gessit? Habetis quidem, viri eruditissimi hominem non dico tantùm æqualibus suis anteferendum, sed multis, & aliis majoribus natu comparandum. Sive enim ducitis in bono viro laudandam modestiam, sive multarum rerum prudentiam, sive juris civilis egregiam quandam facultatem, ac scientiam; sive ea, quæ fortuna homini tribuit commoda, ut patriam, genus, opes, atque in sua Republica dignitatem, ac potentiam; cum hoc ego arbitror paucos admodum homines conferendos. Et quoniam ita vo-

vobis ea nota sunt, ut mea laude non egeant, ea vos meliùs, atque uberiùs cogitatione vestra, quàm oratione mea judicabitis. Quis enim nesciat aut doctissimos viros aliquando magna cum admiratione hunc legentem, atque disputantem audivisse; aut eundem sæpe cum summis hominibus de laude virtutis, ingenii, ac sapientiæ decertasse? Quis dignitatem domus Bondelmontis, ac maximas opes, à qua hic ipse est ortus, non intellexit? Quis tam rerum imperitus est, aut potentissimarum Urbium ignarus, qui gloriam, qui triumphos ejus patriæ, florentissimæ Urbis ejus Florentiæ nesciat? Quæ ab invictis, summisque Ducibus totis sæpe Regni viribus oppugnata, validissimorum nonnunquam exercituum victrix, ac triumphatrix extitit: quæ, quantum maximæ Urbes multæ cæteris rebus, tantum hæc una consiliis, & prudentiâ semper valuit. Illud certè nemo negabit, cùm in ea plurimæ, ac pulcherrimæ artes inventæ, & administratæ fuerint; plura ex hac una in omni ferè genere sapientiæ prodiisse lumina, quibus Italia illustraretur, quàm ex alia ulla, Romana Urbe excepta, apud annales veterum legerim. Quare, si Cicero sibi laudi, & gloriæ tribuit, quod Romanus civis natus sit; quid huic literatissimo viro concedendum esse putabitis, quod, cùm non solùm civis, sed ex principibus Urbis suæ natus sit, maximum illi ornamentum redditurus est, à qua omnia ipse non solùm ornamenta, sed etiam vitam, & omnem bene vivendi spem priùs accepit? Nunquam finem dicendi, Patres optimi, facerem, si omnes vel hominis hujus, vel patriæ laudes persequi oratione mea vellem. Sed id negligentiùs fero, quia neminem in hoc pulcherrimo consessu video, qui non hæc omnia, ut dixi, plenè, atque optimè teneat. Satis ergo vobis oratione mea factum putabo; si illud, quod certe spero, vobis persuasum intellexero; neminem ad hos honores multis annis accessisse, quem magis impetrare conveniat hæc ipsa Doctoratus insignia, quæ à vobis peti solent, quàm hunc nostrum maximi ingenii, ac sapientiæ virum Lucam Bondelmontem: quem ego meâ sententiâ judico non solùm his honoribus dignissimum, sed etiam à vobis, ut eos recipiat, orandum judico. Quare à me accipe, vir doctissime, librum &c.

GA-

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
DE LAUDIBUS MEDICINÆ
HABITA PATAVII.

CUm ferè omnes, qui ante me ex hoc loco dixerunt, Patres & Doctores amplissimi, summum studium, & maximam curam adhibuerunt, ut non solùm graves, & ornati, sed etiam copiosi à vobis judicarentur; longè alia in dicendo ratio est à me excogitanda. Nam, etsi tanta est rei, de qua à me disserendum esset, amplitudo, ut deesse nemini posset oratio; tamen cùm me refero vel ad magnitudinem ejus, vel ad dignitatem vestram, nihil quamvis elaboratum ingenio, aut expolitum, posse inveniri à me puto, quod aut novum sit vobis, aut par splendori, & gloriæ ejusce rei, pro qua huc frequenter convenistis. Dicendum quidem erat à me, Patres doctissimi, si facultas, & ingenium fuisset, de laudibus Medicinæ. Quâ disciplinâ, aut arte haud scio, an alia honestior sit nobis ab immortalibus Superis concessa; utilior certè, & magis necessaria (pace aliarum artium dicam) nulla est adhuc à nostris majoribus nobis tradita. Sed hujus egregias laudes hodierno die à me præteriri negligentiùs fero, quod nec vos me egetis; & ipsa in eo genere bonorum est reposita, ut magis nostra admiratione, quàm laude sit prosequenda. Nam ita à sapientissimis hominibus, cùm adhuc adolescens essem, dici audiebam, nullam esse partem ejus Philosophiæ, quam Græci Physicam appellant, digniorem nostra cognitione, & studio, quàm eam, quæ ad Medicinam pertinet. Si enim ex antiquis nostris nonnulli magnam sibi gloriam comparaverunt, quòd subtiliorem cæteris hominibus rationem excogitaverunt de natura herbarum, de usu metallorum, de vi, ac proprietate omnium seminum, quæ ipsa terra & gignit, & producit: quanto

to à nobis præstare judicandi sunt, qui de complexionibus nostrorum corporum accuratissimè scripserunt; aut exercitatione aliquâ in ea re clari, & insignes habiti fuerunt. Hac ratione moti veteres, non dubitaverunt Apollinem, & Æsculapium primos artis medicinæ inventores, Deos appellare. Nostri verò Theologi plures ex hac una arte sanctitate insignes claruisse asserunt, quàm ex omni alia, vel disciplina, vel scientia, quæ ad humanitatis studia pertineat. Quare meritò est ipsa à nostris principibus sacratissima appellata, & qui in ea præstiterunt, jure optimo in numero Divorum habentur. Sed quid de laudibus ejus diutiùs apud vos dico, Patres lectissimi, cùm de ea re vos ipsos in conventu doctissimorum hominum copiosè, atque ornatissimè orantes, magno omnium silentio, sæpe viderim? Sinite ergo me huic rei finem facere; meliùs enim vos, atque uberiùs animis vestris de immortalibus laudibus ejus, de magnitudine, de gloria cogitabitis, quàm possitis oratione mea intelligere. Bonâ ergo veniâ vestrâ, Patres optimi, illâ re omissâ, convertam potius orationem meam ad ea, quæ medicorum princeps Hippocrates divino ingenio subtilissimè scripsit. Sit itaque hoc à me sumptum principium: vita brevis, ars verò longa, &c.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
IN INSTAURATIONE STUDIORUM MEDIOLANI HABITA.

NEminem vestrum in his astare sedibus, atque subselliis, video, Viri insignes, & eruditissimi, quem non summa cupiditas, atque expectatio teneat aliquid à me audiendi, quod vel hac ipsa re, de qua dicturus sum, vel auctore ipso dignum vobis videatur. Ego verò, etsi ita à natura comparatus sim, & postea præceptis, atque institutis majorum con-

firmatus, ut nihil omnino sit, quod hoc tempore magis desiderem, quàm oratione mea posse vel mediocriter summorum hominum studia ornare; tamen cum ad me respexi, nunquam ita gloriæ, aut laudis cupidus fui, quin melius mihi esse perspicerem ab his abstinere, in quibus non satis à me unquam fieri posset, quàm ineptias meas in publicum efferre. Nescio, quam in partem accepturi sitis ea, quæ à me dicentur; sed (cum bona venia dicam) vester iste conspectus, etsi mihi semper fuerit jucundissimus, tamen vereor, ne plus mihi mali, quam boni afferat: quid enim à me hodierno die dici potest, quod aut vestræ par sit expectationi, aut ipsis rebus dignum? Cùm enim sæpe nonnullos vestrum in judicando acerrimos intellexerim; si quando aliquid à nostris Oratoribus fluxit, quod non satis expolitum, atque elaboratum esset; fecistis, ut nullam in me tam exploratam dicendi facultatem sentire possim, cui non, vobis audientibus, diffidam. Monet me præterea non parum ipsa rerum magnitudo, de qua silere ego modestius esse judico, quàm non satis ornatè, atque copiosè dicere. Audiebam olim, cùm adhuc adolescens essem, ab hominibus sapientissimis; & idem post hæc legi in libris, qui extant de Officiis inscripti; omnia, quæ ab antiquis fuissent accuratè, & subtiliter de ratione Officiorum conscripta, ex ipsa media philosophia sumpta esse; neque aliud magnificentius, aut utilius ad bene, beatêque vivendum, quàm unamquamque rem ex suo officio perpendere. Nisi enim fallor, hinc omnis fons publici, privatique juris oritur; neque ulla pars est vitæ, quæ aut rectè institui, aut satis ornari, ac perfici possit sinè officio. Videte ergo, cujus tanta sit vis ingenii, aut dicendi copia, quæ hujus rei magnitudinem attingere, nedum expolire, atque ornare possit. Si verò ad Auctores respiciam, homines in scribendo graves, & ornatos; non minus negotii mihi instare video. Sive enim incipiam usque ab illo hujuscemodi Philosophiæ principe, ac fonte Panætio: quem Publius Scipio, is qui Africanus superior appellatus est, nunquam nisi attentissimè audiebat; sive à Possidonio Panætii discipulo, sive ab ullo Philosophorum suæ ætatis principe: quis non videt hos nunquam satis dignâ oratione

ne

ne à priscis Oratoribus esse exceptos. Nostri verò homines tantùm in hac re Ciceroni debent, ut jam non dico laudare, sed nec satis eum admirari possint. Quare, Viri literatissimi, cavete quemquam aut ex his græcis, quos nuper dixi, aut ex nostris huic homini præferatis; nam cæteris in rebus, quas semel ad scribendum sibi desumpsit, longè omnes alios vel gravitate, vel ornatu antecessit: in hoc verò libro, quem de mediis officiis appellari voluit, superare etiam se ipsum mihi visus est. Cùm enim ex Stoicorum fontibus quantum voluit, hausisset, addidissetque plurima his, quæ ab illis inventa fuerant, adjumenta; tam vehemens in exornando fuit aut ea, quæ ab aliis excogitata fuerant, aut à se inventa, ut nemo sit, qui non prorsus illum divinum quendam hominem in ea re fuisse judicet. Sinite ergo me, & de rebus ipsis, quantæ sint, & de laudibus eorum, qui principes in hoc genere habiti sunt, silentium agere, nisi fortè vultis de Cicerone à me vobis ea referri, quæ ex Plutarcho homine doctissimo nuper legi: melius enim ex ipso cognoscetis, quantus in omni genere doctrinæ, ac vitæ fuerit, quàm ex aliquo nostrorum latinorum. Et quò id uberiùs à me vobis exponatur, non gravabor ab ipsis usque incunabulis, atque primis exordiis initium suum repetere. Cognoscetis profectò, nihil ad consummatam laudem hominis desiderari, quod non totum gloriæ ejus, quam clarissimam in sua Republica consecutus fuit, atque honestissimis disciplinis, in quibus facilè princeps extitit, non consonet, atque respondeat. Sed dum hoc à me fiet, non tam ipsa Plutarchi verba, quàm sententias à me expectabitis; permittetisque eo dicendi genere me uti, quo solent hi, qui vel ex tempore dicunt, vel non satis ornatè, neque artificiosè proferunt. Narrat ergo Plutarchus, Ciceronis matrem nomine Elinam, locupletem fœminam fuisse, & splendidam egisse vitam: de patre certum nihil proditum est; sunt, qui dicant eum in taberna quadam fullonaria genitum, & ibidem ad virilem usque ætatem educatum: alii genus suum referunt ad Tullium Appium clarum Volscorum Regem, qui primus gentis hujus Cicero dictus est, à quo Cicerones cognominati sunt.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
AD SUMMUM PONTIFICEM
MARTINUM QUINTUM.
HABITA MEDIOLANI.

QUod à Deo optimo, maximoque attentissimâ dudum oratione precati sumus, Antistes gloriosissime, nunc ejus clementiâ perfectum intuemur: illa enim nobis dies illuxit, cujus siti ardentissimâ diutissimè flagravimus. Eo nunc munere fungimur, pro quo immensas preces, piissimaque vota quotidie fundere solebamus, ut Ecclesia Dei, multo jam tempore quassa, & penè evulsa, sedes priscas repetens, diuturnâ pace sub mitissimo Pastore acquiescèret. Oh felix nimiùm ætas! ohque fausta dies, quæ tanta nobis insperantibus, vel potiùs de ruina Orbis hæsitantibus, cùm nullum sæviendi locum in nos fortuna reliquisset, gaudia attulisti! Populi universi, cunctæ Gentes, extremaque maria laudes, quanquam suis meritis impares, celebrent: qui cùm insidiis diaboli obsessi teneremur, respirare, ac respicere incœperimus. Huic rei sacratissimum Concilium non modicum adjecisse studium opinamur, quod neque laboribus indulsit, neque sumptibus pepercit; quo minùs ea consequeremur, quæ ad bene, beatèque vivendum cunctos dudum afflictos erigeret. Cùm enim plerique ex his, qui ad Ecclesiæ gubernacula designati essent, partim armis detrusi, partim sceleratorum hominum aspectum abhorrentes, vitam otiosam degerent; nunc Sedem Apostolicam consilio,

atque

Hanc Orationem Mediolani habuit Barzizius ad Martinum V. mense Septembri anno 1418. nomine Philippi Mariæ Vicecomitis, ac totius Populi Mediolanensis, ubi Summus Pontifex perbenignè, ac splendidè susceptus est, postquam Constantia recessisset. Raynald. ad annum Christi 1418. ex Contelor., idemque refert Platin. in Vit. Martini V.

atque sapientiâ hujus sapientissimi Concilii usque adeò munitam videmus, ut in ea, veluti arce tutissima, cunctis acquiescere fas sit. Et quanquam eo salus nostra redacta esset, ut omnes de interitu cogitarent; tamen in plerisque tanta valuit fides, perpetuitas, atque sapientia, ut nunquam defervescere statuissent, nisi aliquod nobis signum ad bene de toto Clero sperandum attulissent. Oh sapientia immensa! oh excubiæ salutares, quæ cùm schisma pestiferum, quod ingentes dudum radices foverat, penitùs evulserint, salutarem libertatem non solùm corporum, sed animarum pepererint! Themistoclem clari viri, ac eloquentiâ præditi mirâ cum laude memoriæ, ac literarum monumentis mandavere, qui pro patriæ incolumitate, proque civium suorum fortunis nullum vitæ discrimen magnifecit. Catonem ipsum, qui cognomento sapiens appellatus est, summis ad coelum laudibus efferimus, qui præstanti constantiâ, fide, integritate, innocentiâ libertatem Romanam labefactari ab improbis, opprimi à seditiosis non est passus. Quibus nunc laudibus illos efferemus, qua in eos affecti benevolentiâ, vel perpetuo potius beneficio obnoxii esse debemus: qui non unicam Provinciam, sed terrarum Orbem tutati, omnibus Gentibus, innumerisque Nationibus spem, incolumitatem, lucem ex tenebris, libertatem ex servitute, ex moerore gaudium attulerint? Quem tranquillum antea diem aspeximus? Quæ lux non magno permixta luctu refulsit, cùm Herculis verbum veriùs in nos, quam in ipsum caderet: *Finis unius mali gradus* * *erat futuri*? Quamobrem, ut olim propemodum infelicissimi habebamur, collisi omnibus scopulis, navi fractâ hinc inde fluctuabamus; ita nunc beatissimi nuncupari possimus, qui omnes procellas, atque æstus Dei clementiâ, hocque sapientissimo Concilio, nedum placatas, sed in levem zephyrum versas conspicimus. Cæterum, quis ullum in tanto schismatis incendio otium sperasset, cùm omnes ad bene de salute hujus sacri domicilii sperandum aditus interclusi essent, quibus ad Ecclesiæ compositionem ascensus videretur? Quid nos diu misellos egisse, Pater Sanctissime, existimas, qui amisso

pa-

* Apud Senecam in Hercul. Furent. Act. 2. Scen. 1. *Finis alterius mali gradus est futuri.*

Pastore, inter lupos velut oves peragravimus: quot lacrymas, quot questus, quotque singultus nos orbati pro amissione libertatis, pro eversione sacri Templi, effudisse arbitraris? Itaque haud tibi cognitu difficile erit cogitare, quantâ simus lætitiâ affecti: qui uno tempore Pastorem maximum, cunctaque ornamenta integerrimi Concilii prudentiâ, virtute assecuti sumus. Atque, tametsi maxima doctissimorum hominum celebritas illi sacro Collegio adesset, qui hoc digni honore fuissent: tamen pari consensu, cunctis assentientibus, ei diadema præferre decreverunt, qui cæteris religione, innocentiâ, fide, justitiâ, integritate præstaret. Itaque cùm præclaras tuorum imagines, cùmque res à tuis feliciter bello, paceque gestas, cùm denique divinam omnibus in rebus modestiam tuam suspicerent; par cunctis visum fuit tibi uni genus humanum, salutesque nostras committere; neque id injuriâ, cùm omnibus exploratissimum esset, quòd innocentissimus ab ipsis (ut ita dicam) incunabulis vitam egisti: qui etsi eâ esses ætate, quæ infirma consilio esse consuevit; tamen non minùs coelibem vitam duxisti, ac si maturos annos jamdudum attigisses. Eos namque viros, qui cum moribus, tum optimis institutis pollebant, sic probasti, ut nunquam ab eorum latere abesses. Crescentibus mox annis, cùm partim lucro deditos, partim ambitione, nonnullos desidiâ perfusos aspiceres, te totum ad Dei immortalis cultum, religionem, pietatem, cæremonias contulisti: omnia quippe bona non in fortuna fedifraga, quæ, velut frondes, levissimo flatu huc, atque illuc impellitur; sed in te ipso quæque pretiosa statuisti. Nec ignorabas, Vir sanctissime, quæ vulgo bona dicerentur, cùm inania prorsùs, ac viscata sint, neque animum alere, neque afflictum erigere, sed variis potiùs iniquitatum angustiis officere; vitam postremo sic cum annis coluisti, ut cum majoribus æquandus, vel anteponendus meritò videaris. Quæ tanta est ingenii copia, quod incredibile orationis genus, quæ sententiarum gravitas tanta ulla fuit, quæ parem tuis laudibus orationem, non dico efformare, sed ne quidem cogitare possit? Taceo sapientiam, nihil de liberalitate, humanitate, munificentiâ dico: illud prætereo, quod ad splendo-

dorem, ad decus tuæ faustæ domus attinet, quæ tot est victoriis, ac triumphis illustrata, ut neque meâ, neque cujusque oratione indigeat. Ut enim nullum gravius, ac deterius hoc schismate in terris monstrum aspeximus, ita maximum nobis miseris præsidium allatum est; tu scilicet, qui fortissimâ columnâ tuâ Ecclesiam Dei diu ruinam minantem sustentes. Ita te admiramur, teque basim generis humani statuimus, ad te unum confugimus, tibi non solùm corpora, verùm immortales animas tuæ dedicavimus fidei. Neque ignoramus, Pater humanissime, cuncta, quæ homini felicissimo contingunt, tibi adesse, Patriam scilicet adhuc Orbis Imperium, domum clarissimam, opes, dignitates, eloquentiam, quæ omnia ad salutem tuorum contulisti. Quis ignorat eundem tibi animum & fuisse, & esse, viros scilicet optimos, ac honestis artibus, pulcherrimisque disciplinis eruditos abs te, ut antea, cohonestandos fore? Tu justitiæ Præsul, tu pauperum solamen, tu emersis portus, tu bonorum amplificator, tu maleficiorum oppugnator continuò fuisti. Quæ omnia cùm ita sint, Pater Sanctissime, gratias in primis Deo immortales ex abraso schismate agimus: te ab eodem missum oramus, numenque tuum imploramus, obtestamúrque, ut nos diuturnâ calamitate attritos sanctissimâ oratione tuâ reficias: te Pastorem totius Orbis, te vexillum doctorum hominum, te denique parentem nostrum obsecramus, ut sub umbra sanctissima pedum tuorum nos afflictos delitescere patiaris. Omnes Civitates, atque oræ, cuncti populi, ipse denique Mundus te oratum cupit; ut sedato schismate, qua fide lacrymis tuos sanctissimos pedes amplectimur, eâdem divinâ clementiâ tua nos diu perculsos conservatos velis, ut cum Apostolica benedictione æternam possimus gloriam ascendere.

GA-

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
AD SUMMUM PONTIFICEM
MARTINUM QUINTUM.
AB ORATORIBUS PAPIENSIS GYMNASII PRONUNCIATA.

CUm tua, Pater Beatissime, divina clementia tanta sit, ut novo semper aliquo immortalium beneficiorum suorum genere admirabiliorem se in dies præbeat; non dubitavit tua illa devotissima filia Universitas Studii Papiensis nos ad tuæ Sanctæ Majestatis pedes legatos mittere, submissè, atque humiliter supplicans, ne se tuâ indignam gratiâ, ac tuis beneficiis esse judices. Si enim semper apud tuam Sanctitatem justa supplicandi causa plurimum valuit, si fides, si spes, si supplicantium devotio; non videmus, quam Universitatem jure huic tuæ filiæ Papiensi anteponas. Quæ enim honestior causa esse potest, quam ut ejus Urbis: qua nulla penè in tota Italia, vel divino cultu, vel rerum gestarum magnificentiâ antiquior est: dignitatem novis honoribus augeas, immortalibusque tuæ Sanctitatis beneficiis exornes? Fide verò in te quantâ sit, facilè tua Sanctitas, cùm in eandem Urbem appulisti, multis cognoscere signis potuit. Quid de summa in tua Celsitudine posita spe dicam? cùm ab ipsa studiorum ejus Universitatis origine, atque bonarum artium doctrina, quibus nunc Universitas illa floret, nunquam rem tantam sub aliis Pontificibus non dico attentare, sed ne quidem animo præsumere ausa sit. Devotione verò, Pater piissime, tantâ, atque tam incredibili in tuam Sanctitatem semper extitit, ut nulli neque finitimæ, neque exteræ Universitati, aut Ordini ullâ in re cesserit. Quantum verò gaudium, lætitiamque ex mirifica, ac prorsus divina illa tua, maxime Pontifex, creatione conceperit, testis tota illa Civitas, testes omnes gravissimi non solùm ejus Universitatis,

tatis, sed finitimarum etiam Urbium cives, ac sapientissimi viri existunt. Videbant enim, quod nemini ignotum erat, te unum esse, quem post tot annorum cursum, post frequentissima unius summi, ac veri Pontificis creandi comitia, dignissimum Deus ex omnibus delegisset, qui pestifero illi, inveteratoque schismati finem faceres. Ab illo tempore tanta deinceps in te devotio, tanta hujusce filiæ tuæ charitas fuit, ut omni tuo successu, omnibus rebus secundis, tantam animo alacritatem perceperit, quantam vix quidem capere animus posset. Orat igitur te illa, Pater Beatissime, filia tua per hujus divini Pontificatus tui memoriam, per fidem, quæ summa in te est, per singularem, atque præcipuam, quam diximus, devotionem; ut honoris, ut dignitatis suæ memineris, ut privilegia, gratias, beneficia, quæ in Albo contenta sunt, eidem benignè largiaris. Quid enim majus tua in se potest Majestas habere, quàm te misericordem, ac pium supplicibus exhibere? aut quid est, quod te illi summo Deo, cujus in terris vicem geris, simillimum possit magis reddere; quàm, si nullos gratiæ tuæ tum in omnes, tum in eos ipsos præcipuè, quos virtutis, ac sapientiæ cupidos esse vides, fines, terminosque constituas? Nulla profectò, Pater clementissime, res esse potest, quæ magis ad immortalitatem sanctissimi nominis tui accedat, quàm si aliquorum, singulari privilegio, tua Sanctitas ingeniis faverit. Multos quidem è summis Pontificibus legimus, quorum alii finibus tuendis Urbium, quæ potestati, atque ditioni suæ obediebant, intenti fuerunt: alii divinis templis adornandis, cæteroque cultui religionis singularem operam, ac summum studium adhibuerunt: alii alio in genere rerum gerendarum occupati extiterunt: sed (pace omnium dixerim) nulla res magnificentior, nulla præclarior excogitari potest eâ, quæ in ornandis optimarum artium studiis, atque augendis est posita. Quid enim sapientiâ divinius reperiri potest? quid excelsius? cùm reliqua, hac excepta, fluxa, atque incerta sint omnia, cum ipso homine pariter interitura. Quare, Pater Beatissime, si hanc tuæ Sanctitati filiam deditissimam exaudieris; si tuis beneficiis, quæ à tua Sanctitate in præsentia petit, adjuveris, auxeris, exornaveris;

veris; nulla unquam dies erit, quæ hujus tuæ Sanctitatis gratiam ex eorum animis, qui nunc existunt, quive futuri sunt, delere possit. Nec deerunt, Pater Sanctissime, qui tanti beneficii memoriam æternis literarum monumentis immortalitati consecrent.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
AD SUMMUM PONTIFICEM
MARTINUM QUINTUM.
AB ORATORIBUS PATAVINI GYMNASII PRONUNCIATA.

TAndem, Pater Beatissime, quod Superos omnes, Deumque optimum, atque maximum sæpe animis precati sumus; illa nobis dies, atque illud tempus illuxit, quo sanctissimam Ecclesiam Dei, quæ annis ferè quadraginta sub Pastoribus incerta fluctuavit, eò perductam vidimus, ut jam consistere, & ad unum certissimum Caput redactam esse conspiciamus. Quæ res, cùm divino potius, quam humano consilio sit perfecta; dubitare debet nemo, quin ea deinceps fundamenta jacta sint, quæ sempiterna fore, atque immortalia jure optimo speretur. Nam quæ alia vis, aut ratio omnes Nationes Christianas congregare, atque in unum locum perducere potuerit: perductas in tanta diversitate animorum inter se conciliare, nisi illa, immortalis, ac divina summi Dei providentia conspirasset, non intelligimus? Cùm enim in seipsam divisa esset Ecclesia Dei, & tria in uno corpore Capita videremus, jamque loco monstri cœptam haberi; dolebamus quidem, Pater Sanctissime, atque animis vehementer angebamur, potuisse hoc tantum malum, ac publicam pestem tamdiu inveterari; nec reperiri, qui ad eam rem corrigendam vel consilio posset, vel auctoritate, aut potentiâ vellet accedere. Sed, cùm vel fato quodam, vel erro-

re

te potiùs nostro adeò hominum patientia obdurata esset, ut morbus, qui perniciosus, ac pestifer prorsus erat, consuetudine, ut fit, diuturnâ non sentiretur; mirum non erat, si ad hanc communem animorum pestem discutiendam, sanandamque adhuc nemo accesserat. Illa igitur, illa, Pater Beatissime, incredibilis vis Divina, cujus nulli sunt fines, nulli termini, aliquando ad nos conversa unum hominem, qui tantum negotium susciperet, excitavit. Huic uni animum, mentem, consiliumque ad hanc rem omnium maximam adoriendam, tractandamque dedit, infudit, inspiravit; ac ne quis mortalium rem tantam suis consiliis, suo studio, suis denique vigiliis, ac laboribus transactam putaret, toto triennio ita agitari omnia, ac perturbari penitùs propter diversarum partium studia audiebamus; ut nemo non exitum hunc ipsum, quem nunc videmus, desperare jam omnino, diffidereque cœpisset. Quo tempore quasi lux quædam in media aliqua tempestate subitò exorta, super omnes Patres sacri Concilii statim refulsit; quæ effecit, ut quo magis spes omnium Optimatum languere cœperat, atque exarescere, eo fortius consurgere, ac revirescere inciperet; perductaque res eò est, ut illi ipsi quidem hujusce tantæ rei auctores, atque principes, qua id ratione factum sit, nondum satis intelligant. Quare, Pater Beatissime, eo majorem ex hac tua divina creatione lætitiam, voluptatemque percepimus, quo minus illam humano consilio, aut potestate hominum secutam esse intelligimus. Cùm itaque unus ille sis, quem Divini Spiritus afflatu Patres Conscripti verum, atque indubitatum Pastorem Ecclesiæ Dei post tot annos constituerunt; rectè nostræ Reipublicæ gratulamur: gratulamur omnibus Regibus, Populis, Nationibus, quæ eodem cultu divino, atque eadem religione nobiscum utuntur. Gratulamur Populo Romano, atque Urbi tuæ, quam olim caput Gentium, Orbisque terrarum arcem, nunc christianæ fidei sedem, atque religionis domicilium factam videmus. Gratulamurque denique Sanctitati tuæ, quem Deus nasci voluit, ut humanum genus per te sibi reconciliaretur: à quo pax ad omnes perveniret: per quem religio vera, omnisque prisca majorum nostrorum sanctimonia, quæ lapsa

erat, restitueretur: sub quo avaritia illa, infinitaque Curiæ Romanæ cupiditas, quæ omnia olim venalia habuit, non solùm sublata penitùs, sed prorsus etiam sepulta esset: in quem Deus, cum virtutes omnes, quæ Summo in Pontifice requiruntur, contulit, tum maximè charitate in omnes, clementiâ in calamitosos, pietate in eos, qui sæpe inopiâ, ac paupertate, quominus se meliores faciant, impediuntur, singulariter præditum esse voluit. Et quoniam tuam Sanctitatem non ignoramus in tanta omnium hominum lætitia ad has tuas virtutes, maximo in omnes studio, accedere; tum illud nobis persuasimus, eos, qui omne suum tempus, omnem ætatem in studiis bonarum artium aut consumpserunt, aut consumpturi sunt: quique suas cupiditates à voluptatibus corporis ad honestissimas disciplinas transtulerunt; omnes hos primas apud tuam clementiam in delectu beneficiorum partes tenere. Licèt te omnes, Pater clementissime deprecentur, ut se commendatos habeas; in primis tamen hæc nostra Patavina Universitas tuam Sanctitatem exorat, & obsecrat, ne in beneficiis, honoribusque conferendis sua ratio posthabeatur his, à quibus neque vetustate studiorum, neque optimarum artium laude, ac gloriâ vincitur. Sunt quidem, Pater Beatissime, Universitates nonnullæ, apud quas hi, qui aliquo beneficio ecclesiastico sunt adjuti, nulla lege obstante, possunt ex privilegio superiorum Pontificum juri civili operam dare; nec in retinendis beneficiis alia illorum est ratio, quàm eorum, qui in suis Ecclesiis resident. Hæc si jure, si auctoritate propria quibusdam Universitatibus sunt à Superioribus tuis concessa; speramus, Pater Beatissime, ea à te nos tanto magis impetraturos, quanto & cæteris clementior, & nos in tuam Sanctitatem pleniores, atque obsequentiores sumus. Non dubitamus enim, cùm justissimus omnium sis, æquitatem illam maximam apud te vim habere, quæ paribus in causis (ut ajunt) paria jura desiderat. Si verò ad clementiam animos referre voluerimus, qua proximè ad Deum accedis; nihil tam difficile est, tamque arduum, quod non facilè à tua Sanctitate & impetrare, & obtinere confidamus. Elegimus autem ex omni numero omnium Ordinum nostrorum quosdam viros ingenio, do-

ctri-

ctrinâ, studioque præstantes, quos nominatim in Album nostrum retulimus: quibus propter eorum inopiam, cùm facultates ad sumptus necessarios desint, nihil nostro judicio, nihil tua pietate dignius fieri potest, quàm si eos tuo beneficio adjuveris, atque exornaveris. De quo plura, nisi tua natura, consuetudoque sanctissima nobis omnibus optime cognita, perspectaque esset. Meliùs itaque, Pater Beatissime, de iis rebus ipse cogitabis, quam vel à nobis dici, vel intelligi possit. Has enim, ut aliquando concludam, omnes cogitationes nostras, atque omnem nostram spem in tua potissimum clementia, & nusquam aliò reponemus.

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
ORATIO
AD PETRUM MARCELLUM
Episcopum Patavinum.

IN MORTE HIERONYMI MARCELLI.

ETsi verendum sit, Pater reverendissime, ne parente viro clarissimo nuper orbatus, nunc ad subitum nuncium de obitu Hieronymi fratris amantissimi animo deficias; tamen, cùm me ad incredibilem, ac prope divinam animi tui modestiam retuli, nullum arbitratus sum malum post tantum incumbere, quod non sapientiâ tuâ aut moderetur, aut prorsus vincatur. Hoc te cæteris in casibus fecisse cum maxima laude tua sæpenumero vidimus. Idem in hoc recenti mœrore facturum te eò magis confidunt omnes, quo te sæpius exercitatum in illis, & attritum jam vident. In quo tibi quantum attribuam, Pater sapientissime, potes ex hoc intelligere, quòd non habeo quem tibi hac nostra ætate præferam, sive tuas res secundas, sive adversas considerem. Quis enim te unquam aut in illis, animo elato, aut in his vel abjecto, vel fracto vidit: cùm omnes tibi eam humanitatem concedant, ut quibus dignitate, & honoribus longè præ-

præstas, eisdem facultate animi, & mansuetudine parem te, ac penè submissiorem geras. Mortem verò tuorum quo animo tuleris, cùm partim ipse testis sim, partim ex hominibus tibi familiaribus audiverim, sæpe ego mecum tuam hanc virtutem cogitans admiror. Cùm enim intrà paucorum annorum spatium sorores duas fœminas primarias, ac primoribus Civitatis nuptas; cùm uxorem fratris, quam non minus, quàm sororem propter singularem innocentiam suam amabas; cùm infantem illum divinæ indolis Valerii nostri filium; cùm Laurentium fratrem alterum amiseris; cùm denique tot liberorum communem patrem, qui tibi animâ tuâ charior erat, mors abstulit; quis non tot malis victus, confectusque fuisset? Quæ omnia sapienter ferendo, ita moderatus es, ut dubitare homines cogeris, majoresne tibi constantiæ laudes, au pietatis attribuerint. Nam, cùm tuæ illæ in funere tuorum lacrymæ testes essent, quantum, cùm adhuc viverent, amares illos; tum multò magis illud cuncti admirabantur, quòd summæ pietati summa continentia conjuncta esse videbatur. Hanc ergo sive sapientiam quandam, sive moderationem, qua usus es, omnes nunc à te in hoc tam acerbo casu, vel exigere, vel potiùs expectare puta. Ego verò non illud audeo petere, ut nihil doleas; illud audeo, ut modestè doleas: quorum alterum, ut à tua humanitate alienum est, ità alterum sapientiæ tuæ esse judico. Licèt enim amiseris fratrem civem egregium, virum sapientem, charissimum patriæ, & necessarium, suis omnibus desideratissimum; necesse tamen est, ut te ad pristinos mores componas, memineris que in ea te dignitate constitutum, ut omnes omnium civium tuorum oculos putes in te unum esse conjectos. Quanquam enim recenti hujus funeris accessione cumulus ipse tot malorum gravior tibi factus videatur; plus virtuti adjectum tuæ, quàm fortunæ detractum sentio: & haud scio non sapienti magis cursus ille vitæ inoffensus, quàm ærumnosus forti animo adversùs omnia dura, atque aspera desiderandus sit. Nam, si gesta majorum, vetustissimosque annales repetere memoriâ volueris; nullam, aut perexiguam rebus, vel pacis propagandæ, aut Urbium, aut hominum gloriam comperiemus: cùm interim eosdem majores

jores nostros summis videamus laboribus, ac periculis, immortalitatem quandam sui nominis consecutos. Sed fit, nescio quomodo, ut quorum pericula, & labores in nobis horremus, eorum laudi, ac gloriæ invideamus: tanta est virtutis existimatio, & verum judicium. In te verò, Pater optime, nihil tale suspicandum reor, vel quod nullum unquam tempus à labore animi, atque perturbationibus liberum tibi fuit; vel quòd ista semper contempsisti, quæ sola admirantur alii, atque præseferunt. Erigere itaque hoc tuo sive modestiæ, sive fortitudinis, sive constantiæ bono; & quoties aliquis casus incidet, qui te malè habeat; tum oblatam tibi occasionem aliquam putabis, qua te posteris tuis reddere admiratiorem possis. Hæc ad te, Pater dignissime, neque cohortandi, neque admonendi, sed per literas colloquendi tecum causâ scripsi; & cùm de minuendo luctu scribere ad te constituissem, non me gravi oratione tibi ipsi præponerem: quem sciebam crebris funeribus tuorum agitatum semper te sapienter, moderatèque gessisse. Illud reliquum est, ut qua in te consolando gravitate, & sapientiâ fuisti, nunc potissimùm in tuos utaris, & verbis tuis, quantum potes, eos consoleris, præcipuè matrem illam miserabilem, atque calamitosam: quam non solùm per hujusce filii mortem confici dolore, ac lacrymis scio, verùm etiam omnes luctus illos renovare, qui jam sopiti in patre videbantur: non quod ulla ratione levari mœrorem tantum sperem; sed quòd tua adhortatione saltèm, ut velit in vita manere, posse te consiliis tuis assequi non diffido. Idem erit tuum in uxorem fratris, in omnes tuos officium: quod non tibi difficile erit, si te idem priùs intelligent fecisse, nec ea te consolatione, qua in alios usus sis, egere. Nam si te fortiter hunc communem casum videbunt ferre, maturius statuent suum etiam mœrorem deponere. Vides, Pater humanissime, totam domum in te unum spectare, in te solo spem habere. Tu verò omnes tuos, quo plus præsidii, atque ornamenti amisisse morte suorum intelligis, eo magis illos omni studio, ac benevolentiâ complectêris.

GA-

GASPARINI BARZIZII
BERGOMATIS
PHILIPPO MARIÆ
Vicecomiti Mediolani Duci.
SUPPLEX LIBELLUS.

NOn possum, Illustrissime Princeps, ac Excellentissime Domine, non & conqueri, & dolere, quod nuper in Universitate artistarum, & medicorum vestri felicis Studii Papiensis ea consilia agitata sint, quibus Guinifortum filium meum artium Doctorem, & nunc juri civili studentem Doctores Collegii in suum ordinem non assumant; propterea quod legibus eorum (ut ajunt) cavetur, ne quis annis viginti minor in suum Collegium recipiatur. Non putabam, Princeps Serenissime, ut vel Universitas illa, cui summo affectus eram amore, vel Doctorum Collegium, quorum in hunc meum filium beneficiis sempiternâ memoriâ devinctum me nunquam negabo, eum, cujus paulò ante laudibus, atque ingenio mirificè faverant, nunc repentino quodam motu vel exclusum vellent, aut sive metu, sive gratiâ æmulationi alienæ consentirent. Cum præsertim illud intelligere omnes possent; non obstante, quòd Patavii studuerat, & magna erat omnium expectatio, ut ibi suorum studiorum ornamenta caperet, ubi omnes suas curas, labores, vigilias consumpserat; maluisse me hanc laudem ad hujus vestri Papiensis Studii, atque Urbis, apud quam natus fuerat, gloriam, si qua erat, transferre; meminissentque eos se in adolescentulum hunc pari studio, consensuque omnium honores contulisse, ut nullum ei deinceps negare honorem possint. Quare clementissime Princeps, ac Dux invicte; si ego nullum vel periculum vitæ, vel fortunarum mearum jacturam, ut vestris parerem mandatis, fugi; si omnem meam spem, fidem reverentiam, charitatem in vestra Celsitudine collocavi, ac defixi; si, ut cæteros filios, ita hunc in primis vestræ Majestati genui, eumque ut patriæ or-

ornamento, & decori Principatus vestri esset, literis non modò Latinis, sed Græcis etiam, partimque Hebraicis erudiendum curavi; non patiatur quæso vestra clementia, patre deprecante, adolescentem hunc, quanquam minor natu sit, eo carere honore, quem omnes ejus Studii Ordines dignum illis honoribus judicarunt, quibus majores natu indigni nonnunquam judicati sunt: non enim annorum numero, sed aut virtuti, aut doctrinæ dignitates, honoresque conferendi sunt. Et haud scio, an huic ætati eo magis favendum sit, quo majus cæteris exemplum relinquitur; ne se ab his anteiri virtutibus, ac sapientiâ sinant, quos iidem illi spatio temporis antecedunt. Dignetur itaque, Princeps optime, justitia, ac pietas vestra Doctoribus Collegii medicorum, & artistarum vestri Studii Papiensis edicere, atque mandare, ut, si per leges, & instituta non licet (quod omnes civile jus illic docentes affirmant) Guinifortum meum in suum ordinem assumant. Quod si minus hoc eorum leges patiuntur; novum jus in re nova more majorum per vestram Serenitatem constituatur, quo decernatur, jubeaturque, ut nullis legibus in contrarium obstantibus, in eorum Collegium recipiatur, non aliter quàm cæteri, quorum auctoritas in sententiis ferendis, cùm sunt assumpti, approbatur. Spero equidem, auctore Deo, vestræque clementiæ suffragio, hunc juvenem aliquando eò perventurum, ut non solùm sibi, ac suis, sed multo magis vestræ Celsitudini eum natum esse omnes intelligant.

GASPARINI BARZIZII

BERGOMATIS

EPISTOLÆ FAMILIARES.



GASPARINUS BARZIZIUS
JOANNI, ET LAZARINO RESTIS
S. P. D.



Edditæ sunt mihi literæ vestræ, insignes, & optimi Viri, quæ an plus mœroris, quàm gaudii attulerint, non facilè dixerim. Renovarunt enim summam animi mei ægritudinem, & permagnas molestias, quas ego, plusquam credi possit, conceperam de morte sanctissimi Patris, & clementissimi Domini nostri Summi Pontificis * Alexandri V. Perturbat enim me plurimùm publica Romanæ Ecclesiæ jactura: quæ,ut ipso incolumi, renasci quotidie, & in primas sedes restitui, ita morte ejus in veterem ruinam recidere planè mihi videbatur. Movebat me respectus bonorum hominum, quos excitari ad optimam spem, quin etiam clara voce ad pulcherrima vocari præmia gaudebam. Sed nihil omnium postea magis mihi dolebat, quàm quod statum utriusque vestrum: quem prope maximum intuebar, & in dies augeri ab his intelligebam, qui à vobis ad me veniebant: debilitari multum, ac remitti discessu Beatissimi hujus Patris nostri necessariò cognoscebam. Cùm enim utrunque vestrum ex animo tam diligerem, ut paucissimos hominum pluris, quàm vos facerem, aut quibus meliùs optarem; judi-

* Obiit Alexander V. die tertia Maji 1410. Spondan. ad hunc annum.

judicare poteris præsertim tu Lazarine; qui & naturam meam, & consuetudinem meliùs noscere potes, propter familiaritatem nostram: quo sim animo, cùm hanc fortunæ subitam mutationem in vobis judico, aut video. Hæc enim erant, quæ me supra modum cruciabant, quoties animum ad ea ipsa advertebam. Sed vel temporis diuturnitas, vel domestica negotia, quibus maximè sum implicitus, hanc molestiam, etsi non ex animo penitùs deleverant, tamen magna parte ita obliteraverant, ut solito minus ea me res affligeret. Sed, postquam perlegi literas vestras, & fortunarum vestrarum simul, ac publicorum incommodorum monitus fui; recidi in veteres jam dolores meos, itaut multo fortiùs recrudescerent, quàm si nullo tempore cessassent. Nec his certè, ut arbitror, finem ullum fecissem, nisi quem longum tempus ex communi hominum more, ac naturâ induxisset; si illa vestrarum literarum particula, in qua ad me scribis de optimo adolescente fratre vestro, non fuisset. Nam cùm plurimum optarem ipsum apud me esse, refrixissetque jam ea spes propter ea, quæ vobis tam adversa acciderant; ea re tantum solatium recepi, ut fortiùs, ac meliùs molestias meas ferrem. Habeo itaque vobis magnas gratias, qui fecistis, ut vulneri præstò esset (ut ajunt) medicamentum. Et ut ad cæteras epistolæ vestræ partes veniam; nihil aliud habeo, quod vobis respondeam, quàm ut singularem animi vestri modestiam laudem, & summè diligam; qui tam submissè apud hominem infra dignitatem, & virtutem vestram positum excusatis moram rescribendi, cùm ego vestras optimè occupationes sciam. Neque vobis, quibus irasci non magis possem, quàm deberem, in hac re succensebo; sed potius fortunæ, quæ hanc tam ingratam causam, & permolestam attulit. Verùm hoc satis. Cupio, ut ad me scripsistis jam dudum, in manus meas Jonam vestrum dari: de quo plura ad vos scriberem, nisi sentirem in ea re honestiùs verba rebus, quàm literis probari. Illud intelligetis, neque studium, neque humanitatem meam sibi usquam deesse. Valete, & magno, ut soletis, animo fortunas vestras feratis. Patavii quarto Calendas Junias 1410.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS
LAZARINO RESTÆ
S. P. D.

QUamvis tardè mihi redditæ fuerint literæ super morte Catharinæ sororis tuæ fœminæ optimæ; tamen hoc à te celeriùs mihi renunciatum fuit, quàm vellem. Fecisti enim amando me, ut nihil tibi adversi possit accidere, quod non in partem meam ducam. Utar tamen consilio tuo, quo me alteris literis mones, ut, si mihi videtur, nihil adhuc de hac re dicam Jonæ nostro. Neque hunc vestrum casum priùs nunciabo illi, quàm idem à me sinè ullo ejus periculo dici poterit. Tunc verò illum certiorem faciam de his, quæ ad me scripsisti, & hortabor etiam ad fortiter ferendum ægritudinem istam; suadeboque, ut se inter pium fratrem, & modestum virum partiatur. Tuum autem erit, ne prudentior sis in consolando tuos, quàm fortior in ferendo mœrorem tuum. Quanquam, ut spero, jam satis induratus es ad omnia aspera; & sæpe sustinendo adversa, didicisti illa vincere, quod olim aliis literis ad te scripsisse memini. Plura ergo de hac re non scribam, ne parum tibi fidere videar. Jonas bene se habet: tres tantùm parotysmos habuit, qui si plures passus fuisset, id tibi non abscondissem. Sed factum est summâ diligentiâ medici, ut citò convaluerit. Nunc verò non committam, ut in consimili re possis negligentiam meam accusare. Vellem meliora habere, quæ tibi nota facerem. Morbus hic incipit, nec longè ab ædibus nostris, quamvis initium hujus mali ex Urbe, in qua es, in hanc Civitatem fluxit. Utinam longiùs non serpat. Volui hoc te non ignorare, ut si tuæ prudentiæ visum fuerit, provideas, qualiter huic periculo occurri à te possit. Vale, & sanitatem tuam cura. Patavii quinto Calend. Julias 1410.

GA.

GASPARINUS BARZIZIUS

ELISABETHÆ ROMANORUM REGINÆ

FILIÆ BURGRAVII NORIMBERGENSIS

In morte RUPERTI Romanorum Regis

S. P. D.

SErenissima, & illustris Regina. Sæpe mecum institui aliquid vestræ Celsitudini scribere, quo maximos dolores vestros lenirem, & hunc mœrorem, quo nihil vobis, & toti Regno acerbiûs potuisset accidere, aliqua ratione mitigarem. Sed cùm ego ipse, quum hoc defungi officio in tanta animi vestri ægritudine oportebat, maximè consolatione egeam; postquam id facere non possum, quod fidem meam decebat; saltem illud pietati meæ permittam, ut quantum affectus meus, & ratio publica exigit, tantum lacrymis, & dolori meo indulgeam. Sublatus enim est ex oculis nostris * Rex ille Romanorum Serenissimus, Princeps nostri amantissimus, totius Regni pater, vir sanctissimus: qui, ut studiis pacis, & belli, ac rerum gestarum gloriâ maximis Regibus par fuit, ita singulari quadam, & incredibili in Deum religione, in homines verò clementiâ, & pietate, super omnes hujus nostræ ætatis felix, & illustris fuit. Heu miserandam patriam, & hujus nostri Regni fortunam nunquam satis deploratam! Heu Rempublicam nostram tanto Principe orbatam! Heu sortem nostram hujus unius morte nimis infelicem, & desolatam! Amisimus enim parentem nostrum, tutorem, Ducem, Regem, atque Imperatorem optimum. Amisimus eum, pro quo non dubitassent omnes ferme Orbis Arctoi Principes, Populi, atque Nationes se ipsos, ac fortunas impigre omnibus casibus, ac periculis offerre. Sed quid publicas ærumnas commemoro; cùm ipse sim in tanto dolore constitutus, ut nunquam aliàs ullum dolorem huic similem sim expertus; neque,

* Elisabeth fuit uxor Ruperti Romanorum Regis, qui obiit Calend. Jun. Anno 1410. Joannes Cuspinianus de Cæsar., atque Imperat. in Ruperti vita.

que, ut spero, in posterum parem huic timere possim? Sentio qualem dominum, & protectorem meum amiserim: in quo uno omnium fortunarum mearum, & studiorum meorum spes erat posita: quo incolumi, nunquam rebus meis diffidebam. In hunc unum omnes cogitationes, omnes curas meas conjeceram. Ad hunc omnes labores meos, & omnia studia referebam; sperabamque aliquando me illum futurum, quo fidelissimo, & suæ Regiæ Majestatis amantissimo Rex optimus, benefactor, & dominus meus, quantum vellet, uteretur, mandaret; & quidquid ratio sui publici status exposceret, commodissimè juberet. Sed has cogitationes meas, atque consilia mors ejus inexpectata perfregit, atque subvertit. Habetis itaque, illustrissima Regina, cum innumerabiles populos, & Principes hujus nostri dolores socios, atque comites, tùm singulariter me vestrum parvum, & fidelem servum lacrymarum vestrarum participem. Sed quid facio homo nimium fragilis, & mollis animi; cùm intelligam summam animi vestri constantiam, quantum modò pietas vestra perferre potest, modestissimè hunc vestrum casum ferre? Quanto igitur melius esset ea perquirere, quæ magnitudinem animi vestri confirmarent, & mentem meam jacentem, ac prostratam erigerent. Persuadeamus itaque nobis ipsis, Regina clarissima, nihil omnium potuisse huic optimo Regi melius accidere, quàm, ut ad eum locum ascenderet, unde huc nobis à Deo missus fuerat: ubi inter electissimos Heroes, & Principes Cœli ipse se ornatum innumeris virtutibus videt; gaudetque se hunc miserabilem humanæ potentiæ statum in æternum, & immortale Regnum commutasse. Quantam verò animo vestro lætitiam Princeps ille justissimus, & Regnis sponsus vester afferret, si illo in tanto splendore, ac divino lumine positus, posset his vestris mortalibus oculis aspici? Quid si in excelso solio cum cæteris sanctissimis Regibus sedentem intueri, ac cernere possetis? Profectò omnes illæ, quæ nunc assiduè fluunt ab oculis vestris, lacrymæ penitùs cessarent, & in summam animi vestri voluptatem converterentur. Quare cùm non sit dubitandum à nobis omnibus, qui tantum ipsum lugemus, ac desideramus, hunc felicissimum Principem nostrum cum antiquis pa-

patribus suis divino conspectu frui; non possumus non facere, si ipsum plusquam nos amavimus, quin mœrori nostro non solum finem faciamus, sed etiam agamus Deo gratias, quòd talem Principem assumpsit: ut his, quos, dum adhuc esset apud nos, summè dilexit, majori posset auxilio esse; & hoc Regnum suum, quod nos putabamus morte sua destitutum, perfectiùs, atque tutiùs gubernare. His enim rationibus, atque remediis ego me consolor, Serenissima Regina: quæ, cùm huic recenti dolori meo, quem communem vobiscum habeo, efficacissima experiar, eisdem acquiescere virtutem vestram humiliter, & devotè supplico; non quia meo vos egere consilio putem, sed ut fidei, & pietati meæ morem geram. Vos antiqua virtute vestra fortiter in hoc acerbo casu utemini, prout omnes optimi viri expectant; & me vestrum minimum servum acceptum, & commendatum habeatis. Patavii 1410.

GASPARINUS BARZIZIUS
JOANNI ALLIARDO
S. P. D.

MArcus * noster, Pater optime, nuper Patavium applicuit. Multa ab eode tuo statu percunctatus fui, qui mihi retulit, omnia tibi esse extrema, & te ad inopiam redactum. Indolui maximè, & visus mihi sum denique miserior, quàm primo fuissem; incœpique multis verbis accusare fortunam meam, quæ fecit, quòd neque mihi, neque aliis auxiliari possim. Cùm enim his annis superioribus illa cœpisset mitiori vultu res meas aspicere, & jam aliqua spes melioris status mihi esset injecta; statim à latere exorta fuit tempestas, quæ labores multorum dierum uno momento evertit, & ferè omnem spem bene vivendi abstulit. Quatefecit enim tantum omnia fundamenta, quæ priùs magno studio jeceram, ut nova ratio vitæ sit mihi, velut jam nuper nascenti, ineunda. Omnia tamen aliquo modo perferrem, si res, & fortunæ meorum in tuto essent. Nihil aliud ergo

* *Merus* legitur in MSS. Codicibus Mediolanensi, & Vaticano.

ergo reservatum est mihi, pater charissime, quod præter lacrymas, & communem dolorem, possim tibi conferre. Si causam tantorum malorum à sua origine repetere voluero, altiùs erit mihi dolor meus excitandus. Jacet enim patria nostra olim florentissima, cujus desolatio, ac ruina secum traxit omnia privata bona, & publica. Hinc innumeræ cædes, & tot exilia bonorum civium secuta sunt: hinc tot prædæ, incendia, ruinæ, adulteria sunt passim per totam Urbem agitata. Neque iis malis adhuc finis, sed magis, ac magis, ut dicitur, quotidie recrudescit hoc malum, & semper latiùs pestis ista per omnes partes Urbis spargitur. Alius enim illam priùs dolo captam, postea domino potenti auro vendidit: alius cives, & totam Urbem prodidit: alius incendit, diripuit, & sanguinem suorum civium impiè fudit. Quid ergo sceleris, aut impietatis intactum illis fuit? cui templo pepercerunt? à quibus altaribus scelestas manus abstinuerunt? Nihil sanctum, nihil inconcessum illis extitit, nisi quod armis alicujus potentioris defensum fuit. O nefarios homines, & aversos ab omni humanitate, ac modestiâ, qui patriam suam, in qua nati sunt, & postea nutriti, à qua leges, & omnia ornamenta receperunt, potuerunt omni scelere expugnare, capere, & ad postremum funditus evertere, ac lacerare. Sed necesse est, ut, qui tot flagitiis, ac sceleribus, quamdiu voluerunt, grassati sunt, tales aliquando pœnas luant, quibus etiam inimici eorum misereantur. Nos tamen interim multa adjumenta, atque ornamenta vitæ nostræ amisimus, & maxima incommoda propter eorum scelera patimur. Sed omnia sunt homini sapienti fortiter ferenda, præsertim ea, quæ nostro mœrore neque tolli, neque leniri possunt. Quare modum aliquem, ac remedium in tantis malis video nobis potius ab animo nostro, quam à fortuna mutuandum; & id agendum est, ut illa, quæ cæteros solent miseros facere, nobis sint materia virtutis, & majoris boni causa: quæ sæpe à te cogitari, & animo repeti scio, propter singularem, & egregiam sapientiam tuam. Finem faciam, si illud subjecero, me nullam aliam rem magis desiderare, quàm ut intelligam, quàm magno animo omnes tuos casus feras. Ero enim exemplo tuo in omnibus, quæ mihi ad-

versè cesserunt, aliquanto major, ac constantior; si me tuis literis de tuo priùs animo certiorem feceris. Vale Patavii septimo Calend. Septemb. 1410.

GASPARINUS BARZIZIUS
JOANNI BARZIZIO
S. P. D.

Consolarer te per literas meas, fili, nisi hoc nostro lugubri, & acerbissimo casu in tanto mœrore essem, ut jam neque ulla Philosphorum præcepta, neque literæ, aut amici satis consolari me possent. Excessit enim à nobis his proximis diebus pater tuus, vir omnium, quos ego noverim, optimus. Mortuus est enim civis ille, quo neminem honestiorem, aut meliorem nostra Civitas habuit; cui non in patria, de qua meritus optimè erat, aut mori, aut humari posse contigit; sed procul è finibus ejus in valle Camonica * extra oculos suorum clausit diem extremum. Quid enim adversi non perpessus est? aut quid illi fortuna remisit de numero illorum malorum, quæ possunt homini in hac vita accidere? Vidit patriam suam manibus, & scelere nefandorum civium funditus eversam: ædes suas, & agros ferro, & igne depopulari: cives autem ferè omnes, qui boni viri haberentur, aut trucidatos gladio improborum civium, aut in exilium vi expulsos: se verò ipsum in summa inopia cum octo liberis, quorum tu major es ætate, & cum uxore profugum. Tandem, cùm vix invenisset, ubi consisteret, & aliqua sibi alendorum filiorum spes injecta esset; adversa valetudine correptus, jam magis, ut credo, rebus adversis, quàm morbo fatigatus, decessit ex ea vita, quæ sibi tot molestias, ac dolores attulerat: quod ego illi inter mala sua optatissimum fuisse dicerem, nisi in tanta inopia tot liberos superstites post se dimisisset. Quid enim aget tanta turba tam inops, ac infirma, cùm te excepto, nullus postea sit, qui vix annos infantiæ adhuc expleverit. Sed hæc una res potuit animum ejus consola-

* In Agro Brixiensi.

solari, quod me fratrem ejus amantissimum, & te filium annis jam, & prudentia adultum moriens vivos relinquebat: quibus merito sperare poterat potiùs vitam defuturam, quàm consilium, & auxilium cæteris filiis, quos ea ætate dimittebat. Hæc enim puto, extrema illius morientis verba fuisse: Commendo hos parvulos meos fidei, ac naturæ tuæ, frater optime: commendo tibi, fili charissime, ut eorum infantiam producatis, instituatis eos bonis artibus: postquam fortuna in nos conjuravit, facite, ut cùm cæterarum rerum sint omnino inopes, saltem earum artium, quæ vobis à parentibus nostris, & à magistris traditæ fuerunt, non sint inanes, & vacui. Ego verò, etsi tanto dolore morte ejus affectus sim, fili optime, ut nunquam pari, neque, ut spero, majori in posterum possim affici; tamen constitui moderari animum meum, & fortiter agere cum hoc mœrore; idem censeo tibi faciendum, quo melius uterque nostrum possit his pueris adesse: qui si à nobis derelicti fuerint, non sunt habituri, ubi spem aliquam, aut præsidium inveniant. Te verò, Joannes mi, ita amabo, ut neque consilio, neque auxilio usquam tibi desim; tanto enim charior factus mihi es, quanto video te majori patris tui, hominis optimi, auxilio destitutum esse. Tu fac tamen intelligam te eodem animo in tuos futurum, quo ego ipse in te ero. Si enim animus tuus satis à me perspectus est, non solùm dolorem istum, qui maximus est, fortissimè vinces; sed aliquanto major, & erectior ad omnia bona studia insurges. Vale Patavii pridie Calend. Septemb. 1410.

GASPARINUS BARZIZIUS

JOANNI ALLIARDO, ET ZEBEDÆO DE PONTE

S. P. D.

Lugubres, & acerbissimas literas à vobis recepi, honorandi Patres, & amici charissimi, quibus mihi significatis de morte sapientissimi, & optimi viri Jacobi fratris mei. Vellem po-

potuissetis meliora hoc tempore mihi nunciare; nec post labores, & angustias ejus illud accidisset, ut etiam mihi audiendum esset de morte sua. Quid enim fortuna intactum dimisit, aut cui parti bonorum suorum pepercit? Vidit enim patriam, in qua satis diu cum laude, & gloria vixerat, manibus sceleratorum civium primò diripi, deinde inflammari, & tandem funditus dirui: vidit ædes suas, & agros depopulari, & ab ipso usque fundo penitùs everti: vidit tandem, se ex illa patria, & Civitate expelli, de qua ipse toties bene meritus fuerat; cùm interim sibi in summa inopia tot filii post se trahendi essent, & per alienas terras mendicandum. Hæc ita mihi gravia, cùm illa audirem, videbantur, ut vix rectis humeris sub tanto pondere malorum suorum possem stare: omnia tamen utcumque ferebam, illo vivo, atque incolumi. Sperabam enim, rebus compositis, illum viam facilè inventurum ad suas antiquas, & honestissimas artes, quibus sibi, ac suis necessaria parare, & meliorem spem excitare potuisset. Nunc verò morte sua omnes cogitationes meas inanes esse video: omnia consilia, quæ pro illo susceperam, incassum à me assumpta. Sed quia talis naturæ nostræ conditio est, ut sæpius mala nostra sint à nobis quàm bona audienda; vos officio amicorum functi estis, ut omnia scirem tempestivè, quæ aliquando necessariò auditurus eram. Nec dubito, omnia ab homine docto, & sapiente, magno, & infracto animo ferenda esse, & contra dura animum fortiter armandum. Sed hoc vulnus magis altè hodierno die mihi adauctum est, quàm illud possim æquo animo ferre. Amisi enim fratrem, quo non puto meliorem hominem inter suos cives vixisse, aut cui tantum patria deberet: amisi eo tempore, quo tot meis, ac suis malis fractus, ac penè victus, unicam spem in consiliis ejus, ac in salute posueram, pro quo magis eram, quam de me ipso solicitus. Non potuit fortuna majus malum rebus meis infligere; video enim in perpetuo luctu, & in nigra veste mihi senescendum esse. Una autem res me consolatur, quod non diu mihi carendum est illo; sequar enim citò ipsum, nec amplius aliqua vis fortunæ, aut lex naturæ poterit illum ex meo complexu auferre. Pro me jam nihil diutius, illo absum-

ſumpto, deſidero in vita manere. Tantum filii ſui, ac mei faciunt me vivendi cupidum, donec illos eò uſque ætatis perduxero, quòd ſe juvare poſſint: aliud non eſt, quod in vita iſta me delectet. Si quid interim erit, quod ad levandum mœrorem meum, & ad luctum minuendum, à philoſophia, aut à literis mutuari poſſim, omnia faciam, quæ vos, & cæteri amici noſtri à me expectatis. Si quid autem vobis, amici, & neceſſarii mei, qui viventem illum dilexiſtis, à me fieri poterit, quod ad gratiam veſtram accedat, bono animo omnia pro vobis ſuſcipiam, nec prætermittam ullum officium, quod à me deſiderari poſſit. Unum à vobis opto, ut, qua benevolentia fratrem meum, cùm adhuc viveret, proſecuti fuiſtis; eâdem uxorem ejus, ac liberos fidei veſtræ commiſſos habeatis. Veniſſem ad vos, & per me ipſum gratias vobis egiſſem, niſi pericula omnes aditus viarum occupaſſent. Vos autem pro veteri amicitia, & neceſſitudine veſtra in me, ac filios fratris mei, dabitis operam, quod ubi itinera aperta ſint, omnes ejus liberi incolumes ad me perducantur; quidquid enim à vobis illis collatum fuerit, ita recognoſcam, ut neque boni fratris, neque amici partes ullas neglectas eſſe à me diſcatis. Valete Patavii 1410.

GASPARINUS BARZIZIUS FRANCISCO ZABARELLÆ

Epiſcopo Florentino

S. P. D.

QUòd nullas adhuc literas meas ad te dederim, Pater ampliſſime, neque negligentia fuit, neque oblivio tui. Expectabam enim quotidie nuncium, qui aliquid de his honoribus nobis referret, quos maximos omnes tibi olim divinabamus: eramque ego in primis ad eam ipſam rem totus, rerum novarum expectatione, intentus. Hæc res fecit, Pater optime, ut omnia, de quibus ad te ſcribere conſtitueram, eò uſque differrentur, donec cumulatiſſimè tuæ felicitati gratularer. Quod ſi

si nondum tempus tulerit, tamen probè exploratum habent omnes, qui nostri Pontificis consilia, & tuam sapientiam noverunt, hos honores non posse à te longè abesse; aliter opinio, quæ de servanda, atque augenda Romana Ecclesia jam dudum in animis hominum invaluit, non solùm in hoc nostro Beatissimo Patre omnino desineret, sed etiam omnem spem in futurum auferret. Nemo enim est, qui non sentiat, aut dicat, hoc unum ei propositum esse, eos velle homines maximis his honoribus ornare, quos virtute, & sapientia primos aliorum intellexerit; qua laude nescio, an alia in summo Pontifice major possit esse, aut hoc tempore magis necessaria. Nam si nulla unquam Civitas potuit esse diuturna, nisi quam sapientissimi homines vel consilio suo prudenter, vel facto constanter rexerint; dubitandum non est in hac ipsa re, quin Roma Imperii caput semper fuerit, quando omnia Ecclesiæ Dei præsidia in sapientia, atque in moderatione sint posita. Sentiebam quidem ego ipse, multosque sentire intelligebam; cùm esses à summo Pontifice vocatus; nunquam majus exemplum virtuti datum ad bene de honore, aut de gloria sperandum, quàm illo ipso die, quo divulgatum fuit, non ad eam dignitatem, quæ tunc tibi constituta erat, sed ad multo majores curas te ab eo esse destinatum. Laudabant præterea omnes, & summè extollebant inter hæc ipsa initia sanctitatem, ac divinam sapientiam ejus. Sed nescio quomodo hæc opinio remitti, ac frigescere cœpit. Putant enim aut rem simulatam fuisse, aut immutatum illud esse sanctissimum consilium, quod de sapientibus viris ornandis, atque promovendis priùs ab eo agitatum fuerat; quorum utrunque iis, qui hac in sententia erant, falsum esse ostendi; docuique nullo tempore eam rem, aut sibi majori curæ fuisse, aut magis necessariam, quàm hodierno die: quod postremum cùm ipsi facilè concederent, nullum tamen se indicium habere prioris partis dicebant. Sed cùm ego illud dicerem, non solere magna diu duratura momento nasci, & hoc esse optima ratione, & natura comparatum; cogebam eos de sua decidere, & in ea manere opinione, in qua priùs fuissent. Verùm, quid de hoc ad te diutius, Pater modestissime, quasi vel tu hujusmodi sermones nun-

nunquam audias, vel hujus dignitatis aliquando avidus fueris? Quoties ex te ipso, cùm adessem, audivi, & item multi alii, qui, cùm sapientiam tuam admirarentur, frequenter ad te audiendum conveniebant, te nullum genus vitæ, nullam studio literarum dignitatem anteferre; nullamque, aut solam esse inter omnes libertatem illam, quæ ex liberalibus disciplinis, & honestis artibus prodiret. Sed nullum te periculum, nullum pro publicis commodis defugere laborem dicebas; & idem postea in quadam tua gravissima oratione habita in Senatu coram Sanctissimo Patre nostro nuper legi: quæ cùm toties à te ex animo audivissem, vel legissem, nunquam deinceps putavi te ulla majori dignitate insigniri, quàm eâ, quam tibi in præsentia gratulor; ut minimam partem laudis fortunæ, & maximam sapientiæ tuæ concedam: quod cùm optimè sciam, hoc ad te scribere volui, quo certior fieres de his sermonibus, qui de te nuper apud me sunt cum amicis tuis habiti; ut scias, me nihil libentiùs facere, quàm de rebus ad te pertinentibus sæpe mecum cogitare, nonnunquam cum eis conferre; haberesque judicium hominum neque ignobilium, neque insipientium; & quod ego de expectatione tuæ dignitatis sentirem. * Si te pluribus verbis affeci, quàm tuæ dignitati conveniret, aut paucioribus, quam meus in te amor, fidesque persuadeat; illud tuæ, hoc verò maximis occupationibus meis attribuas. Tu me commendatum habebis; ego te in primis colam. Patavii quarto Calend. Septembris 1410.

* Anno 1410. hanc epistolam scripsit Barzizius Francisco Zabarellæ, qui fuerat à Summo Pontifice Joanne XXIII. in Episcopum Florentinum designatus: quod contigit die 15. Augusti hujus anni, ut ex Ughellio tom.3. Italiæ Sacræ.

GASPARINUS BARZIZIUS
JOANNI BARZIZIO
S. P. D.

QUid moriens pater tuus vobis reliquerit, mihi incertum est. Puto meliùs omnia tibi nota esse. Catharina mater tua scribit nihil omnino superesse. Fac me de omnibus certiorem, ut possim advigilare & tibi, & cæteris parvulis: aliud non scribo, nisi quod prudenter, & fortiter dolorem tuum vincas; est enim opus alio animo, & aliâ virtute, quàm olim. Nusquam tibi, & tuis deero, si volueris tibi adesse. Vale Patavii 1410.

GASPARINUS BARZIZIUS
ANTONIO CERMISONO
S. P. D.

QUid de Hectore nostro constituas, aut quid de eo facturus sis, facies me, si tibi videbitur, per tuas literas certiorem; & quanquam neque admonitione, neque consilio cujusquam egeas, tamen memorandi causa magis, quam consulendi, laudo; quod, *si non potest fieri, quod vis*, ut est apud * Terentium, *saltem velis, quod possis*; is enim filius est, & (ut aliàs ex te audivi) non minorem partem habet natura in eo, quam si legitimus esset. Juvenis est, & ætatem suam sequitur fortasse magis, quàm tu, & ego optemus. Nullum tamen desperationis signum adhuc in eo cognosco; & spero, quòd tempus alios mores afferet. Multa in eo remedia tentasti, multa dixisti, ac fecisti, quæ modò lenia, modò aspera verbis fuerunt. Non dico hoc loco, more tuo, & aliorum Physicorum, quod postquam consueta remedia non proficiunt, tentes contraria: nihil enim à te omissum est; sed quia, ut solet à tuis dici prudentissimè, continuata vigent, intercisa pereunt; non tantum à te novanda sunt remedia,

* In Andria Act.2. Scen. 1.

dia, quantum repetenda. Non in totum sequerer juvenile consilium ejus, sive impetum, neque omnino inhiberem: modò aliquam bonorum studiorum particulam misceret. Ita etiam à te olim dici memini, cùm simul de hac re commentaremur; sed in hoc differebamus, quòd tu hoc ex præsenti spectandum dicebas, ego verò etiam paulo differendum, donec paulatim ad id perveniamus, quod volumus; quòd si nec tempus, nec præceptorum diligentia quidquam juvabit, tunc si placet, de salute ejus desperes: habeto illum tunc pro derelicto. Sed, ut puto, hoc non potest, te vivo, illi accidere. Sæpe animum ejus tentavi, & maximè his diebus: semper modestissimè respondit; est enim hæc ejus virtus, etsi non bene vivat, tamen bene loqui. Dicit, se maximè optare, ut sibi concedas eum studere dialecticæ: promisit multa, & affirmat, si hoc illi permiseris. Video, quid hoc loco à me quæras; vis enim scire, utrum satis profecerit. Non est dubium, quod si diutius inhæsisset fundamentis grammaticæ, melius se haberet; scis enim, quanta soleant adjumenta ab hac una ad omnes alias artes venire. Sed certum est, quod cæteris consideratis, qui se tradunt illi arti, quam nunc iste affectat, possent egregiè se ad illam transferre. Vides ætatem ejus fastidientem in his fundamentis diutius morari. Ego etiam rebus majoribus ita occupatus sum, quod ipsi volenti me sequi, parum prodessem. Ætas ejus non patitur correctiones; admonitionibus verò non satis in hac re movetur. Non est expectandum, quod sit par tibi, aut aliis summis viris, nisi suo proprio igne incendatur. Si non potest ad summum venire, veniat ad medium. Quid scimus? fortè voluntas aliquando comitabitur ingenium ejus, quod ego certè magnum esse, ac nobile, pluribus signis cognovi. Hoc illi non potest meo judicio deesse, quin inter mediocres mediocris is sit futurus. Hæc sunt, quæ more meo, quo utor cum amicis familiaribus, non scripsi, sed tecum ratiocinatus fui. Scio tibi neque consilium, neque prudentiam, ut idem sæpius dicam, aliqua ex parte deesse; sed benevolentiam, & amorem meum in te, & filium tuum secutus fui. Vale Pater, & Magister egregie, & ad me scribas, quam partem secuturus sis. Patavii 4. nonas Septemb. 1410.

GASPARINUS BARZIZIUS

FRANCISCO ZABARELLÆ

Episcopo Florentino

S. P. D.

Quid ad te scribam, Pater modestissime, nescio: ita me animus destituit; & malis, quæ quotidie majora fiunt, animo frangor, ac debilitor. Sperabam tot assiduis malis, quibus superioribus temporibus nimis sum exercitus, fortunam jam satiatam esse; sed, ut video, malum increvit, & ipsa fortuna, quasi nulla mihi adversa influxerit, de integro adversùm me sævit. Multa literis, quas ad te olim dedi, conquestus fui. Scripsi de communi temporum perturbatione, de eversione patriæ, de exilio fratris, de fortunis imminutis. Quid aliud timendum videbatur, nisi quod unicum vulnus restabat; ut fratrem amantissimum, fratrem optimum, fratrem, quem plus quàm me ipsum diligebam, mors à me, à liberis suis, atque à meis auferret; nec pateretur, si non felici, at saltem misero fratre frui. Quod enim aliud vulnus acerbius inferre potuit? quàm calamitatem majorem, quàm ut primo eum carere patria viderem, de qua meritus optimè esset: dehinc cum uxore, & liberis in summa inopia, & rerum omnium egestate, ne civilia bella videret, per alienas terras exulantem: postremò verò apud homines ignotos, procul à conspectu, & amplexu suorum, tot rebus adversis jam fractum, ac defatigatum, vitam relinquere; & nos omnes, & suos liberos, quos multos reliquit, desolatos morte sua dimittere, quo tempore vel de restitutione patriæ, vel de vita cogitabam? Videbam quidem non posse diu virum talem, & certè omnibus humanitatis artibus ornatum his honoribus carere, quos virtus magis, quàm fortuna hominibus præstat. Amisi itaque illum eo tempore, quo suis rebus meliùs sperare cœperam: amisi, cùm jam fortuna victa virtute sua videbatur. Quò me ergo vertam, Pater humanissime? ad quem confugiam? Mala, ut dixi, jam multo majora facta sunt, quàm

ut

ut possim illa perferre. Eo certè perveni, ut nisi me natura, & literæ Philosophorum cohiberent, potiùs optarem, si ad hanc miseriam perveniendum erat, vel patrem meum sinè liberis decessisse, vel nunquam me, & hunc fratrem meum filios genuisse: postquam tantus filiorum numerus erat futurus, ut nullis facultatibus meis jam eos possem alere; aut si hæc tantùm eventura erant, mallem fato priùs me esse absumptum, quàm tot adversa, atque indigna videre. Sed nec majorum instituta, nec leges naturæ optare mihi ista permittunt. Ad te verò unum quoties animum converto, quoties de tuo in me summo amore cogito, ipse me consolor; & quantum natura mea patitur, me ipsum adhortor, si non fortiter, at saltem moderatè hunc meum casum ferre. Nemo enim est, qui vel consolando, vel juvando magis quàm tu, possit dolores meos levare: qui, si fortunas meas neglexeris, tuam virtutem, naturam, consuetudinemque neglexeris. Nam cùm jam id consecutus sis, ut ego tuus sim, non possum à te præteriri, nisi te ipsum præterire volueris. Necesse ergo est, ut, qui ultro mihi in patris locum successeras, nunc tua pietate in fratris locum venias, tibi molestum non sit, aut te indignum: qui nullum unquam naturæ, aut virtutis officium infra te esse duxisti. Si ergo tempus, aut occasio aliqua dabitur, ut possis res meas jacentes erigere, non solùm quo soles in me animo eris, sed eo majori, quo gravioribus malis vides me conflictari; cogitabisque nullam rem esse, quæ Deo sit gratior, quàm spem, consilium, auxiliumque his præbendo, qui nullo vitio suo ad inopiam sunt redacti. Vale, nec patiaris hominem tui amantissimum, te felice, esse miserum. Patavii octavo Calendas Novembris 1410.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS
DANIELI VICTURIO
S. P. D.

LAzarinus Resta valde me diligit; est enim homo egregiè literatus; &, quod prope summum in bono viro puto, modestissimus est, & in faciendis amicis maximè exercitatus. Is cùm apud me quamplures dies fuisset, & sæpe de te sermonem honoratum apud illum habuissem, rogavit me, quod te sibi amicum facerem; nam ipse tibi jam plurimum afficiebatur. Ego verò hoc illi statim sinè dubitatione pollicitus fui, & affirmavi nihil me illi facilius perfecturum. Sciebam enim, quantum illius mores tuis congruerent, & quàm avidè bonos viros in societatem, & amicitiam tuam assumas. Ipse ad te veniet, nec dubito bene de ipso ex aspectu hujus, & ex verbis judicabis. Complectêris ergo eum animo tuo, & illum tibi charissimum habebis. Jam idem de te fecit, & priùs te charum, quàm notum habuit. Sed, ne gratis hanc amicitiam inter nos contraxerim, scito, me id ab eo impetrasse, ut digitis suis ipse mihi transcribat M. A. Gellium de noctibus Atticis; abundat enim otio, & est plures menses in tua * Civitate moram facturus. A te verò nihil est, quod mihi deberi putem, cui jam pridem plura debeo, quam sim solvendo. Nihil tamen mihi negabis, si morem antiquum retines; & quo alacrior sim ad persolvendum, non dubitabis hoc alio maximo beneficio tuo me tibi adhuc obligare; scis enim, quòd res ista, quam cum eo stipulatus fui, non potest sinè te expediri. Perficias ergo hoc mihi, ut Aulum Gellium, quem à Petro Emiliano Pontifice Vicentino mutuò habueras, ei concedas; hoc enim ita gratum erit, ut hoc sim inter tua maxima beneficia numeraturus. Vale Patavii decimo Calend. Decemb. 1410.

GA-

* Venetiis.

GASPARINUS BARZIZIUS
LAZARINO RESTÆ
S. P. D.

QUo sis cautior in adeundo Danielem Victurium, mitto ad te literas, quas ad illum dedi. Finxi multa, ut faciliùs ab eo obtineas, quod uterque nostrum maximè intendit. Si quid tibi corrigendum videbitur, tuo consilio uteris: ubi verò probes ea persequi, quæ ad illum scribo; rem mihi gratissimam facies, si operam dederis, quod animo perficias, quæ ego verbis finxi. Plura ad te non potui scribere, cùm jam ad multam noctem vigilassem, & multa adhuc mihi ex studiis meis restarent. Vale, & me commenda Georgio nostro medico egregio, & amico suavissimo. Non omittas obsignare literas, quas tibi mitto, Danieli nostro reddendas. Vale Patavii decimo Calend. Decemb. 1410.

GASPARINUS BARZIZIUS
LAZARINO RESTÆ
S. P. D.

GRatulor tibi, quod bene amicitia Danielis nostri usus fueris, & maximè ingenium tuum laudo: qui, ut in jactu tesserarum dicitur, scivisti quod malè ceciderat, arte corrigere. Feci autem quod tuis literis me admonuisti. Egi quidem gratias Danieli nostro, & Andreæ Juliano, & spero perpetuam inter nos benevolentiam futuram. Sed vide, ut tu præsens sæpe me illis commendes. Idem etiam per literas meas de te faciam. Quod autem scribis, te semper aliquid ab eis audire, quod honorificè sit de me dictum; hoc magis faciunt, quòd ita assueti sunt, quàm aliquo merito meo. Est enim utrique eorum non solùm usitatum, sed etiam quotidianum, bene de amicis suis & sentire, & loqui. Curabis ergo, ut cùm te illis amicum fecerim, tu etiam ipsos in amicitia mea confirmes; nec me permittas ab ani-

animo eorum excidere: quod tibi facile erit, si ad illos sæpe de mea summa benevolentia, & amore in eos aliquid referes. Vale Patavii octavo Calend. Januarias 1410.

GASPARINUS BARZIZIUS ANDREÆ JULIANO S. P. D.

QUòd omnes rectè valeatis, bene est; nihil enim libentius, quàm de vestra salute audio. Nec est, quòd aliter de me judices, quàm olim, cùm frequentes ad te literas dabam. Amo quidem te, Andrea, & valde diligo; neque intermisi unquam hoc officium ad te scribendi, nisi quòd aut tempus non affuit; aut quòd summus dolor, quem ex morte fratris mei viri optimi concepi, non permisit me huic tuo desiderio satisfacere. Nihil ergo est, quòd aliquam molestiam animo capias, si nihil ad te literarum mearum his superioribus temporibus dedi; nam aut occupationes assiduæ, & rerum novarum motus otium scribendi mihi negabant; aut mœror domesticus magis afficiebat, quàm vel per me ipsum, vel Philosophorum præceptis consolari me possem, & consuetudinem scribendi ad te repetere. Quòd verò multa in te officia mea commemoras; facis hoc pro tuo in me summo amore, qui majorem habes beneficiorum, quæ accepisti, rationem, quàm eorum, quæ dedisti. Sed de his omnibus meliùs inter nos, ut spero, his diebus commentabimur, cùm præsens apud te, & Danielem nostrum ero. Lazarinum Restam assumptum esse à te ultro in amicitiam tuam, maximè gaudeo; est enim homo dignus, qui à te valde ametur, & vehementer diligit me. Fecisti autem rem eo gratiorem, quòd non expectasti, ut illum per literas meas tibi commendarem. Nuper ad me scripsit, quo animo tu, & Daniel meus eum exceperitis. Hoc certè ita gratum habui, ut nihil magis. Si quid est, quod à me velis fieri, facies me certiorem, & videbis, quantum amori meo in te, ac benevolentiæ nostræ accesserit. Vale Patavii undecimo Calend. Januarias 1410.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS
DANIELI VICTURIO
S. P. D.

NUper Lazarinus noster egit mihi per suas literas ingentes gratias, quòd meâ causâ, ut ipse ait, facilè consecutus est amicitiam tuam. Idem scribit sibi ultro obtigisse apud Andream nostrum. Habeo itaque maximas & tibi, & illi gratias, quia valde meos amatis. Sed vix dici posset, quantum amicitiæ nostræ addideris, cùm intellexi te illi concessisse A. Gellium tuum, ut illum manibus suis transcriptum habeam. Facis quidem semper omnia magno studio, quæ me velle intelligis, nec de tuo in me summo amore quicquam adhuc remisisti. Ingratus certè essem, nisi jam te magis amarem, quàm me ipsum. Nunquam deteriore loco res meæ steterunt, quàm hodierno die; morte enim fratris mei ita omnia perturbata sunt, ut res mea familiaris non possit tot filiis suis, & meis sufficere; sed tamen quo minus per fortunas meas licet mihi gratificari tibi, eo magis in te ardentiori animo sum, ac majori ad persolvendum. Amabis ergo me toto animo, ut facis: & quæ tua humanitas est, quo minus fortunatum me videris, eo me tibi acceptiorem, & magis charum habebis. Vale Patavii undecimo Calend. Januarias 1410.

GASPARINUS BARZIZIUS
LAZARINO RESTÆ
S. P. D.

NIsi tuus discessus est nimis celer, spero iter ad te facere, ut de rebus meis tecum deliberationem, & consilium capiam. Tunc de omnibus inter nos commentabimur, & quid mihi placeat super facto Ligustici à te agi; & quomodo meliùs omnia ad me pertinentia possint hoc tempore, vel alio transigi. Interim curabo, quæ curanda erunt. Tibi verò maximas habeo gratias, qui rebus tuis adversis non dubitas te, & fratres tuos

communibus commodis spoliare, ut utilitati meæ inservias. Franciscus Donati Casentini est venditor Valerii Maximi, & habitat Ferrariæ: liber autem est penes Hieronymum Anzelerium, hominem physicum. Spero, quòd si ad Franciscum aliquid scribes, aut per amicum res ista procurabitur, negotium tuum conficies. Pretium libri erat ab eo constitutum, meo consilio, ducatis septem, sed quidam alii libelli non vulgares secum erant. Nescio, an consilium mutaverit, sed puto, quòd plus credet mihi, quàm alteri; de qua re, si placet, eidem scribam. Nolui autem hoc facere tuo injussu, ne credat me negotium meum agere. Epistolas Ciceronis nondum habui, sed liber paratus erit, si habebo, cui possim hanc rem tutè committere. Adjuvabis autem me etiam ad hoc factum, si cupis librum illum transcribere. Quod verò nondum Spartianum habueris, ægrefero, præsertim cùm res ista in longum protrahatur. Nisi citò eo potiaris, instabo, ut potiùs incorrectum habeas, quàm nunquam correctum. Jonas noster bene se habet, nec magnâ adhortatione, meo judicio, indiget; satis enim accensus videtur ad bona studia. Proderit tamen interdum stimulos currenti subjicere, quod tu aliquando literis, & ego sæpe admonitionibus meis præsens faciam. Vale. Patavii 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS
LUDOVICO BONIFACIO
S. P. D.

Insignis, & egregie major frater honorabilis. Quia onus familiæ mihi majus est, quàm possim in Civitate Paduæ alere, mitto ferè totam familiam meam Ferrariam, ubi intellexi longè in viliori pretio esse annonam, quàm in hac Civitate. Et vide, Ludovice mi nobilissime, quantam spem in te habeo: vide quantum te amo. Cùm dividerem cogitationes meas in multas partes, & essent talia loca, quæ me invitarent, ut potiùs aliò familiam meam mitterem; tamen summa benevolentia tua in me vicit deliberationem meam, & effecit, ut portus ille placidior mihi, & tranquillior omni alio portu videretur, donec fortuna

coe-

cœperit meliore vultu res meas aspicere. Juvabis ergo familiam meam consilio tuo, ac etiam auxilio, & venies in locum patris tot liberis meis, & fratris filiis. Spero brevi ad te venire, & satisfacere desiderio utriusque; nam quò magis expectatus fuerit conspectus tuus, eò mihi jucundior, & gratior erit. Idem spero, si bene animum tuum novi, etiam tibi de me accidere. Sed de hoc satis, donec in rem præsentem veniam. Nicolaus filius meus tecum loquetur de omnibus ad me pertinentibus: scio charum illum amore meo habebis, & omnia facies, quæ ad amicitiam tuam pertinebunt: ego tibi maximas gratias habebo. Vale Patavii 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS
FRATRI PROSDOCIMO
S. P. D.

SI nihil ad te his diebus scripsi, non tamen putabis minus à me amari. Scis quàm olim occupatissimus essem, cùm adhuc apud me esses; nunc verò etiam accesserunt curæ meæ, quæ ita malè me habent, ut vix ullo tempore in majori molestia fuerim. Quid enim potest me delectare, cùm sim à meis distractus, & quotidie minus bene de me sperem. Vides in quanta caritudine annonæ simus, & in quàm magno timore malorum, non dico mediocrium, sed certè jam extremorum. Onus familiæ majus est, quàm hoc tempore possim sustinere: pecuniæ, quæ mihi ab Ærario numerabantur, non respondent ad terminum; majora enim quotidie instant; nec video aliquem bonum exitum mihi in tot malis: unum restat, quod à nautis periclitantibus aliquando fieri intellexi; ii enim, cùm omnia desperata vident, nec jam esse ullam artem, quæ aliquid proficiat contra tempestatem, tunc omnes vota faciunt. Nemo est tam inimicus Deo, quem metus mortis non reddat supplicem, & bene de Deo sentientem. Possem & ego aliquid simile nautis facere, nisi etiam putarem Deum esse à precibus meis aversum. Vide, quò perductus sum; necesse enim habeo confiteri, nautas homine literato aliquanto meliores esse, quamvis & ipsi hanc suam

in extremis rebus sapientiam à natura sine ullis literis, & doctoribus didicerint. Sed fortè ego illud nimis video, quod illi calamitosissimo tempore magis ignorant. Mihi ipsi conscius sum errati mei: & propterea Deum avertisse & aures, & animum à precibus meis non injustè timeo. Tu verò, ut soles, oratione tua illi me reconciliabis, & in gratiam restitues; magis enim operâ tuâ egeo, quàm dum aliàs in re minori attentissimè id à te exposcebam. Sperò non tuis literis, sed animo intellecturum, quantum preces tuæ mihi profuturæ sint. Vale Patavii 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS
FACINO VENTRARIÆ
S. P. D.

POstquam Ferrariâ discessi, nihil de statu meorum intellexi; & quia iter terrestre obsessum est magis nostrorum militum, quàm hostium custodiis, non video, qualiter de salute eorum certior possim fieri, nisi Joannes Cornelius morem cum amicis suis habeat transmittendi literas meas ex urbe Venetiarum Ferrariam. Curabis ergo, ut eam rem mihi perficiat, & ego sibi, quas debeo, gratias habebo. Vale, & Federicum * nostrum puerum optimæ indolis bene procures. Patavii 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS
NICOLAO BARZIZIO
S. P. D.

QUòd omnia perfeceris, de quibus discedens à vobis multis verbis te admonueram, tuo officio perfunctus in hac re fuisti. Sed nimis tardus es in scribendo ad me de omnibus rebus nostris, & facis, ut sæpe tibi absenti irascar. Nemo deberet, ut sæpius ad te scripsi, à portu vestro navem dissolvere, qui vel ad Urbem Venetam, vel ad nos iter haberet, quin eidem literas ad me dares: vix fieri posset, quod ex tot li-

* Cornelium.

literis saltem una ad me non perferretur. Non dubito aliquas ex meis ad te delatas esse, quibus & tuum desideravi officium; & sæpe te accusavi, quòd in scribendo nimis esses negligens. In cæteris laudo non minus studia, quæ sumpsisti in Officiis Ciceronis, quàm diligentiam tuam, qua usus es in librorum nostrorum lectione. Habeo gratias Ludovico * nostro homini nobilissimo, qui me tantum diligit; cùm enim multa sibi pro summa ejus in me benevolentia debeam, incredibile est, quanto beneficio ei devinctus sim, quod Bartholomæus Mela, homo in maximis rebus dispiciendis prudentissimus, valde me amat, ac diligit; semper enim amicitiam ejus propter suas egregias virtutes concupivi. Sed cùm ipse in rebus magnis versaretur, & plurima suo consilio transigerentur, quæ ad publicum statum Principis ** sui pertinerent; nondum fortuna nostra permiserat, me in notitiam suam venire. Tantum his diebus, quibus ad vos accessi, eum conveni: vix duo, aut tria verba potui propter summas ejus occupationes cum eo habere; sed visus mihi fuit homo, à quo nulla virtus abesset, & qui esset à me toto animo colendus. Scribam autem ad eum, cùm otium mihi erit, & ita scribam, quòd intelligat, me nullius hominis amicitiam majoris facere, quàm suam. Quod autem mihi significas, Ugutionem charissimum habere me inter suos, & omnia agere, quæ ad res nostras pertineant; is quidem, ut cætera, ita & hoc magnificè agit. Sed de ipso aliàs ad te uberiùs scribam; multa enim sunt, quæ maximè in illo homine admiror. Epistolam verò, quam olim scripseram ad Ludovicum nostrum de morte filii, mecum deferam, cùm proximis diebus accedam ad vos; quanquam non video, quid illi opus sit mea admonitione. Nunquam vidi hominem sapientius ferre casum suum, quàm is tulit obitum Bonifacii nostri; cùm præsertim ea esset in illo adolescentulo indoles, ut pater omnia de eo sibi, & promittere, & sperare meritò posset. Cætera, de quibus ad me scribis, propediem perficiam. Tu fac te attentissimum præbeas in philosophia; nec tan-

* Bonifacio.
** Nicolai Estensis Ferrariæ Marchionis.

tantum studium in oratoria arte consumas, ut majora studia à te negligantur. Vale, & multâ salute pro me impertias Lucretiam matrem tuam, ac omnes nostros. Patavii quinto Idus Febr. 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS LUDOVICO BONIFACIO S. P. D.

QUo die redditæ sunt mihi literæ tuæ de morte Bonifacii nostri; multa mihi perincommodè acciderunt. Sed nescio, an aliud magis, quàm quòd inter domesticum mœrorem tuum, & motus rerum novarum, qui maximi in his nostris partibus oriuntur, meos ad te misi; & forte eo tempore, quo filii tui funus maximè à te agebatur. Doleo, quòd ego, qui tibi debebam alicui solatio esse, cæteris molestiis tuis, quæ summæ sunt, etiam hanc aliam, me inscio, atque ignaro, adjecerim. Sed ita mea fortuna tulit. Casus verò tuus incredibilem animo meo perturbationem attulit. Nam cum pro singulari benevolentia nostra non alio in mœrore essem, quàm tu ipse, qui illum ex te genueras; tu etiam renovasti mihi luctus meos, in quibus diu fui pro morte Jacobi fratris mei: quem etsi ut bonum fratrem amarem, tamen cùm & sapientiâ, & natu major esset, nunquam aliter eum, quàm optimum parentem excolueram. Sed de hoc aliàs scribam ad te prolixius, ut intelligas, quanto ego etiam in luctu, ac perturbatione positus sim. Venio ad dolorem tuum, qui, quo recentior, eo tibi fortassis major, atque acerbior videtur. Nunquam negabo parentes oportere maximè angi animo, cum filios amittunt; & maximè ea ætate, in qua is tuus adolescentulus erat. Nam ferè hoc semper accidere videmus, filios, cum nondum in matura ætate sunt, tum maximam spem parentibus afferre; propterea solemus ferme omnes minus æquo animo ferre, cùm aliquis ex nostris in primo flore extinctus est, quàm dum ad maturitatem pervenit. Tu, Ludovice mi, puerum istum amisisti indolis optimæ, & egregiæ formæ, quo tempore, ut nihil molestiæ,

lestiæ, ita plurimum voluptatis ex eo capiebas. Sperabas omnia ex hoc puero consequi, quæ ab optimis filiis parentes boni expectant; sed tua omnis spes in medio abrupta est. Fefellerunt te cogitationes tuæ: multa signa in hoc tuo filio videbas, quæ tibi suadebant illum aliquando inter suos præclarum, ac insignem futurum. Idem sæpe etiam ego perspexi; cum forte is Patavii apud aviam suam fœminam honestissimam adhuc educaretur. Hæc sunt, quæ quoties tibi in mentem veniunt, faces dolorum animo tuo subjiciunt. Non dicam hoc loco tibi, quod à multis philosophis in re simili persæpe dictum fuit: nunquam, aut raro fortunam spei respondere; multosque fuisse adolescentes maximæ indolis, qui postea neque utiles patriæ, neque frugi suis fuerunt. Huic nostro nihil tale, judicio meo, te vivo, poterat accidere, cum ei formando, atque effingendo maximo studio incumberes. Sed quæso, cum sis egregie doctus, & sæpe historias antiquorum legas, quem mihi ex summis viris dabis, qui non se potius optaverit in primis annis adolescentiæ extinctum, quàm tot adversos casus, tot labores, ac molestias perpeti, quot etiam iis, qui felicissimi habentur, continuè accidunt. Quod si Cicero noster, cum in Tusculano suo apud amicos de morte disputat, scribit melius Priamo Regi fuisse, item & Pompejo homini diu in sua Republica potentissimo, tunc è vita excessisse, cum eorum salus à pluribus expectabatur, quàm diuturnitate vitæ omnes contumelias fortunæ experiri; quanto melius vir sapiens judicabit, antequam ingrediamur hæc magnifica munera, quæ cæteri admirantur, potius ex rebus humanis cedere, quàm semper stare sub assiduo ictu, ac perpetuo timore adversæ fortunæ: quod Bonifacio nostro obtigisse, si illum amasti, quantum certè scio, nec dolere debes, nec invidere. Non enim ulla est tanta commoditas, quàm ex vita ejus vel sperare, vel consequi potueris; quin pluris facere debeas, ipsum esse ex tot malis, ac periculis vitæ exemptum. Cogita præterea illum simul omnia ornamenta consecutum, quæ sæpe illi, cum adhuc viveret, deprecatus fueras: cupiebas eum inter suos æquales, virtute, ac literis præstare; nunc ipsos etiam magistros, qui illum

eru-

erudiebant, longè anteceſſit: deſiderabas eum in his artibus eſſe eruditum, quæ ad ſtudia humanitatis pertinerent; nunc omnes artes humanas, ac divinas ſimul didicit. Admiramur homines philoſophos, qui vim elementorum, ac naturam omnium rerum, quæ gignuntur, ſapienter perſpexerunt; is tuus adoleſcentulus nunc ea intelligit, quæ nunquam à philoſophis cognita fuerunt. Multi curſum Planetarum, celeritatem Orbium, ſignorum ortus, atque occaſus contemplantur; quanto meliùs, ac perfectiùs putas animum ejus, qui modò in ipſis Aſtris eſt, omnem excellentiam, ac pulchritudinem Cœlorum judicare. Nunc cum tuis majoribus locatus eſt, qui ab ipſis uſque Regibus magnum initium ſuæ nobilitatis, ut ſæpe audivi, olim acceperunt, & æterno illorum conſpectu fruitur. Deum etiam ipſum intuetur, ac rerum divinarum cognitione inſtruitur. Iſta, ut ſcio, non ſinebat te mœror tuus perſpicere, & conſolari animum tuum, qui nunc in tanta triſtitia eſt. Hæc ad te non ſcribo, quia te putem ea ignorare; ſed ut te commonefacerem tuæ virtutis, & hortarer animum tuum ad repetendum ea, quæ viri ſapientiſſimi nobis de luctu minuendo reliquerunt. Propediem, ut ſpero, apud te ero: ſi quid his literis in te conſolando omiſſum fuerit; ſi id minus ratione; ſaltem dolendo tecum id perficiam, ut tu hoc tuo caſu non tantum doleas. Fortè etiam, cùm de communibus noſtris luctibus inter nos commentabimur, aliquid inveniemus, quod aut penitùs noſtram ægritudinem levet, aut magna ex parte minuat. Vale Patavii 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS CHRISTOPHORO, ET NICOLAO BARZIZIIS S. P. D.

SI me tantum amaretis, quantum utrunque veſtrum diligo, multas à vobis literas accepiſſem, quibus de valetudine Pauli mei, & de profectu Guiniforti certior factus eſſem. Sed

Sed videte quæso, ne cæteris molestiis meis, quæ sunt certè hoc tempore maximæ, etiam vestra negligentia accedat; vix enim dici posset, quanta in solicitudine pro vobis omnibus sim. Multa sunt, quæ pro vobis timeam, sed nihil magis, quàm ne * aër ille malè vobis eveniat. Scribite, quo in statu omnes sitis; & quid de libris illis actum sit. Sum hîc non sinè aliqua solicitudine. Omnes Doctores, qui Patavii legebant ante hos motus ** bellorum, qui nunc agitantur, non procul à nostris finibus adhuc manent. Si propiùs accedent pericula, providebo mihi tempestivè, etiam si cæteri essent negligentes. Sed res nostræ, ut spero, meliorem habebunt exitum, quàm multi suspicentur. Quoties mihi scripturi estis, curate, ut literæ tradantur in manus Joannis Cornelii, qui per certum tabellarium illas ad me transmittet. Valete. Patavii 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS
JOANNI VISSO
S. P. D.

JOannes Tussanus nuper ad me accessit, & multa narravit mihi de tua in me summa benevolentia. Ait enim te maximam curam, ac studium adhibuisse, ut Bononiam matrem optimarum artium vocarer, primasque partes hujus laudis tibi attribuit. Amabam te priùs cum propter vicinitatem patriæ: quæ certè magis, quàm vicinitas agrorum debebat esse in propinqua parte amicitiæ: tum multo magis propter similitudinem artium, atque studiorum, in quibus bonam, ac magnam partem ætatis nostræ consumpsimus. Sed talia hodierno die majoris amicitiæ fundamenta jecisti, ut mihi necesse sit te charissimum habere, & multis anteferre, quos tamen vehementer & colo, & diligo. Vide, si quid à me potest fieri, quod usui tuo accedat; senties enim, nullum me laborem, neque molestiam fugere, si quicquam

* Urbis Ferrariæ.
** Inter Sigismundum Imperat. & Venetos.

à me fieri poterit, quod ad tuam dignitatem attineat. Vale Patavii 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS
BALDO, ET JOANNI SVARDIS
S. P. D.

SPerabam post vestrum reditum in patriam vos daturos operam, quod mihi ad plenum satisfieret, & totum illud argentum numeraretur, quod in vestro discessu mihi debebatis. Sed, ut video, aut ex mente vestrâ omnia beneficia mea exciderunt; aut nullam ex bonis vestris pecuniam habetis. Quare, si de rebus vestris, quæ apud me sunt, aliud faciam, magis negligentiæ vestræ, quàm voluntati meæ imputabitis. Potuistis sæpe numero hoc anno cognoscere, quibus incommodis, aut in quanta necessitate fuerim. Habebitis ergo me excusatum, & fortunam meam feretis, si liberis meis potiùs, quàm vobis consulam. Valete Patavii 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS
*FRANCISCO ZABARELLÆ
Cardinali Florentino
S. P. D.

ETsi nullum adhuc satis certum auctorem haberemus, Pater clarissime, qui de tua amplissima dignitate nobis referret; tamen adeò velox fama ad nos pervenerat, quod his ipsis honoribus auctus eras, quos ego jam pridem tibi divinaveram; ut sua celeritate non solùm omnes nostras literas anteiret, sed etiam multo ante, quàm hoc tanto splendore, ac dignitate ornatus esses, in Provinciam nostram advolaret. Sed, postquam res ista non modo sermone hominum, qui frequens erat, sed

* Anno 1411. die 6. Junii Franciscus Zabarella Cardinalis renunciatus est à Joanne XXIII. Ciaccon. tom. 2. hist. Pontific. Roman., & S. R. E. Card. col. 804.

ſed etiam literis multorum patefacta fuit, tanta voluptate affectus ſum, quantam certè ſumma erga te fides, & benevolentia mea afferre potuit. Conveni itaque ſtatim amicos, & neceſſarios tuos, quibus avidè congratulatus fui; feciſſemque hoc idem apud te multò libentiùs, ſi id mihi, te præſente, facere licuiſſet. Spero multum addidiſſes veteri amori tuo in me, nec minus antiquæ gratiæ; ſi ex ipſo vultu meo, ſi ex voce, & ex ipſis denique oculis animum meum in te, & in omnes fortunas tuas percepiſſes. Nunc verò, unde ad te initium ſcribendi ſumam, aut ubi deſinam, non invenio: tantam enim animo meo jucunditatem, ac ſpem attulit hæc recens dignitatis, & honoris tui amplitudo, ut nihil huic officio meó nunc magis obſit, quàm quod nimiis affectibus ad ſcribendum impedior. Scis, Pater optime, quantum te diligo, & ſæpe hoc multis ſignis cognoſcere potuiſti. Quoties ergo de te ornando, atque excolendo aliquid audio, ita effuſus in gaudium ſum, ut non mihi ſatis conſtem; neque ingenium meum, ſi ullum in me eſt, ſatis in poteſtate habeam. Conſtitueram itaque hoc tempore nihil literarum ad te dare, donec aliquam huic gaudio meo conſuetudinem feciſſem: collegiſſemque ita me, &, quod ſæpe aliàs feciſſe memini, non te ex honoribus tuis, ſed honores tuos ex te ſpectarem; manebamque in eo conſilio, niſi Lazarinus Reſta ad me acceſſiſſet, homo & tuæ Paternitatis obſervantiſſimus, & mihi ſummus amicus: qui cùm ad vos iret, ultroque me hortatus eſſet, ut ſibi aliquid committerem, quanquam in motu eſſet, & quaſi in curſu; tamen viſum eſt mihi indignum, talem hominem ſinè meis literis dimittere; non quod parati quicquam, aut ſatis cogitati haberem, ſed æquiori animo ferendum arbitrabar, orationem meam, quam amicitiam à te accuſari. Has igitur breves ad te literas dedi, non quod hodie ſcribendo, morem, ut oportebat, animo meo geſturus ſim; ſed ut tacendo illud à te impetrem, quod illum, neſcio quem, pictorem ajunt ab arte ſuâ obtinuiſſe. Cùm enim affectus quoſdam ſummo ſtudio pingendos reputaſſet, neque haberet amplius quicquam, ubi aliquid novi effingeret; egregiâ ratione excogitavit, qualiter ſinè arte plus aliquantò proficeret, quàm priùs aliquo artificio feciſſet. Nam

cùm vultus penè vivos, & gestus proprios in Sacrificio Iphigeniæ Menelao, cæterisque dedisset; caput Agamemnonis involvendo, longè majorem ægritudinis partem non exprimendo, tacitis cogitationibus hominum contemplandam reliquit, quàm superioribus imaginibus, totâ illa sua arte, visendam oculis repræsentaverat. Tu verò illud mihi pro tua singulari humanitate, ac modestiâ præstabis, quod ille ab ingenio suo mutuatus fuit: eo quidem magis tuæ me felicitati gratificari putabis, quo minus verbis idipsum expressero; & quod ille infinito patris mœrori concessit, tu ingenti, atque immenso gaudio meo imputabis. Habes, Pater amplissime, non à me literas, quibus, cùm sis literatissimus, minimè indiges; sed totum animum ejus hominis, qui sapientiam tuam in primis admiratur, ac summè diligit. Vale Patavii decimosexto Calend. Julii 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS ANDREÆ BARBATIÆ

S. P. D.

NEmo à nobis ad vos accedit, cui non aliquid literarum meatum ad te committam; novi enim afferuntur huc quotidie rumores de his motibus bellorum; quos jam erupisse penè omnes asserunt. Non possum non solicitus mihi esse; cùm videam aut cum summo periculo esse ad vos navigandum, aut desiderium meum remorandum, & vestram spem, atque expectationem esse in aliud tempus differendam. Sed quomodocumque res erit, constitui omnia potiùs experiri, quàm rem tamdiu agitatam non perficere. Spero post paucos dies cum uxore, liberis, ac totâ familiâ ad vos navigare. Si contigerit posse ex tot periculis, ac difficultatibus evadere, bene erit: si verò casus aliquis consilia mea interceperit, & aliqua fortunæ contumelia erit ferenda; omnia, quæ acciderint, æquiori animo toleranda putabo, quàm quòd tua * Civitas jure possit se à me destitutam queri. Dabis ergo operam, mi Andrea, ut sicut per-

* Bononia.

per alias literas ad te scripsi, domus conducatur, & ut alia, quæ mihi advenienti erunt necessaria, non desint. Nam nisi aliqua vis manifesta mihi afferetur, citra proximas calendas octobris cum tota familia me ad vos conferam. Vale, & de mea voluntate omnes certiores facias, qui rerum inter nos gestarum auctores fuerunt. Huc usque aliquas ad te, & ad alios dedi literas, in quibus, quia nondum me confirmaveram, satis videbar dubitare, quid inter tot rumores, & pericula essem acturus. Sed posteaquam me recepi, factus sum certior veniendi; quòd si nihil obstiterit; non restat, nisi ut vel cum licentia Dominationis, vel quâ aliâ viâ me ex his sedibus, & locis extricem. Patavii octavo Calendas Septembris 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS

ANDREÆ BARBATIÆ

S. P. D.

QUoties habeo, cui possim literas meas committere, nunquam prætermitto, quin aliquid ad te scribam. Heri unas ad te literas dedi: hodie cùm occurrisset, cui possem has alias dare, nolui occasionem hanc negligere; ut intelligas, me nihil omnium libentiùs facere, quàm sæpissime, quo animo in cives tuos sim, literis meis testari. Compono sarcinulas, ut si à Dominatione Venetorum, salvâ gratiâ eorum, quibus illa Respublica se commisit, potero discedere; honestè id potiùs, quàm necessariò faciam. Si verò id mihi minus per eos licebit, viam aliquam, etsi non optimam, saltem quam casus dederit, ipse mihi aperiam: Tu verò interim domum conduces, & quæ necessaria sunt ad victum, ne cùm applicuero, nihil parati inveniam, sed omnia per te comparabis; uteris autem operâ Joannis Vissi, & Antonii Bergomensis: qui omnia, quæ tuo consilio perspecta fuerint, ipsi industriâ, & solicitudine sua perficiant. Et quia ista non possunt sinè pecunia expediri, convenies Matthæum Manianum, ut faciat numerari illos ducatos quinquaginta, qui nomine mutui fuerunt promissi. Maturabis autem omnia, quàm citiùs poteris; spero enim videbis me propediem

cum

cum uxore, liberis, & cæteris necessariis meis, nisi fortuna omnia consilia mea evertat. Vale Patavii septimo Calendas Septembris 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS
ANDREÆ BARBATIÆ
S. P. D.

QUarta die, posteaquam à te discessi, in Senatum Venetorum perveni, ubi magnam resistentiam habui, illis Patribus maximè contendentibus, ne à Studio Patavino discederem. Multa utrinque dicta, & pensa fuerunt. Tandem nihil in Senatu actum est. Discessi itaque negotio infecto, & navigavi Patavium. Cùm expeditus ero, constitui quacumque via ad studia vestra accedere. Spero, cum Dominatio Veneta constantiam meam videbit, nullam vim facturam mihi; est enim justissima, nec quicquam in Senatu suo contra leges, & æquitatem decerni patitur; quanquam difficilior interdum videatur, antequàm omnia penitùs inspecta sint. Scribo ad Matthæum Manianum de his rebus, quæ ad rem meam familiarem pertinent. Cura, ut omnia quàm rectissimè fiant, nec in postremis ponas, quod ad promissionem ducatorum quinquaginta pertinet. Multi sumptus incumbunt mihi in veniendo cum familia tanta Bononiam; & quia scio, te negotia tua per procuratores agere, nolo contra commoda tua meis implicari. Utêris auxilio Joannis Vissi, & Antonii Bergomensis, qui me summè diligunt, ad quos jam superioribus diebus literas dedi, quid in re mea esset agendum ab eis. Vale, & si quid innovatum est in facto meo, celeriter ad me scribas. Patavii 1411.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS

JACOBO ISOLANO

S. P. D.

TArdiùs quàm putarem, literæ à vestris Reformatoribus absolutæ fuerunt: quæ res, etsi non satis per se indicaret ipsos de me conducendo remissos esse: tamen capitula, quæ ad me suis literis conclusa miserunt, demonstrant, eos non magnam curam de hac re agere. Cùm enim nihil ab ipsis postulassem, quod aut præter necessitates meas esset, aut contra honestatem; tamen multa petitionibus meis detraxerunt: sed nè diutius negotium istud protrahamus, scripsi ad Joannem Vissum, quid ad extremum velim; quod, si in bonum vestræ Civitatis, & rerum mearum venturum est, Deus hoc perficiat; sin autem aliter, fata sibi aliam viam inveniant. Quemcunque autem eventum res habeant, immortales vobis gratias habeo; nihil enim à vobis prætermissum est, quod ab optimo cive pro patria, aut quod à summo amico agi pro me posset. Si res ista exitum invenerit, quem optamus, nullum finem sum facturus studiis meis cum in omnes adolescentes Civitatis vestræ, tum maximè in filios vestros, quibus omnia pro vestra in me singulari benevolentia debere fateor. Si verò nostras cogitationes casus aliquis fefellerit, valuerintque plus consilia hominum illiteratorum, quàm doctorum, ego vicem vestram dolebo, & eâ fortunâ utar, in qua tamdiu assuevi. Reliqua cives vestri viderint. Valete, & me diligatis Patavii 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS
REFORMATORIBUS STUDII
BONONIENSIS
S. P. D.

Cum ad septimum idus Junii redditæ mihi essent literæ vestræ, non priùs placuit in Senatum Venetorum ire, causâ discessus impetrandi, quàm omnia inter nos convenissent. Legi quidem vestra de me decreta, & quid statueretis inter nos ex fide bona agi oportere; sed quia aliud mihi, aliud vobis in hac re visum est, scribo ad Joannem Vissum, qui pleniùs de mea voluntate ad vos referet. Quidquid enim consecutum fuerit, ego in bonam partem accipiam. Tantum autem habeo, ad quod pro mea in vestram Rempublicam benevolentia hortari vos possum, ut hujus rei deliberationem inter vestras res maximas reponatis. Neque nunc de meis commodis agere puteris; utrum enim egeritis, mea parum refert. Sed cùm vestro in me amore id apud me consecuti sitis, ut omnia commoda vestra maximi faciam; illud vobis suadeo, ne aliquâ ratione prætermittatis, quin vestris adolescentibus accersatis in Urbem aliquem bonum, & eruditum virum, qui suo studio, atque industriâ possit eosdem meliores, ac doctiores facere. Si enim ulla sunt præcipua in Republica fundamenta, quæ certè sunt plurima; ego illa in primis judico in his artibus posita, quæ adolescentiam bene instituant, & in illis disciplinis expoliant, quibus possint aut ad Rempublicam ornatiores, aut ad alias superiores artes postea faciliùs accedere. Sed quia non dubito vos hæc omnia pro vestra singulari sapientia vobiscum melius cogitare, quàm à me commemorari possint, finem faciam: illud à vobis optans, ut maturè de his, quæ sunt inter nos agenda, consilium habeatis, & quàm citiùs à vobis fieri poterit, faciatis me de omnibus rebus certiorem. Timeo quidem, quod si ista res, ut his proximis diebus, longius dilata fuerit, ne aliquo incommodo, vel factum vestrum, vel fortunas meas implicet. Valete Patavii 1411.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS
JOANNI BARZIZIO
S. P. D.

DUm animum tuum potiùs, quàm sententiam meam sequeris, penè & patrem tuum subvertisti; nihil enim accidit tibi, quod non longè ante divinaverim. Sed bene se habet, quòd fortuna in te mitior fuit, quàm ipse tibi fueris; de qua re non solùm plura ad te scriberem, sed etiam palàm te objurgarem, si res ista in integrum posset restitui. Verùm omnia sic fuerint, & ut sunt transacta, ita habeantur. Quod instat, majori prudentia à te curetur. Nunc autem illud videas, ne ullam aliam rem agas studiosiùs, quàm ut citò valeas. Si tibi opus est pecuniâ, scribe, & sinè mora per me omnia opportuna consequêris. Interim mittes ad Joannem Cornelium, qui tibi non deerit, si quid expediens erit; est enim summus amicus noster, & qui libero animo est in omnes meos. Non habeo hoc tempore quem in amicitia majoris faciam. Si quid autem mutuò sumpseris ab eo, cura, ut id statim sciam, ne me ignorante, negligens, aut ingratus in talem amicum videar. Aliud non est, quod ad te scribam, nisi quod Facinum per literas meas accusavi, quia nihil de tua ægritudine ad me scripsit. Neque adhuc de tuo casu quicquam percepissem, nisi Petrus Thomasius homo doctissimus, & amantissimus omnium nostrum de tua valetudine, & suo in te officio mihi retulisset. Quare neque tu, neque Facinus posthac simili negligentia, si charus vobis sum, utemini. Fac valeas Patavii.

* Hanc, & alias duas subsequentes epistolas nullo apposito anno scriptas invenimus: eas tamen scripsisse Gasparinum ante annum 1411. citra dubium est; in illis quippe fit mentio Jacobi Gasparini fratris, qui ex hac vita excessit anno 1410.

GASPARINUS BARZIZIUS
FACINO VENTRARIÆ
S. P. D.

SI me tantum amares, quantum ex meo in te officio, & amore oporteret, certè aliquid ad me de periculo, ac valetudine Joannis nostri scripsisses; potuit enim adolescens ille (quem non minùs, quàm ex me natum diligo) multis rebus necessariis egere, & laborasse magis inopiâ, cùm nec præstò essent, qui remedia illi ministrarent, nec fortè pecunias haberet, quibus ipse sibi auxiliari posset. Quòd si fortuna illum ex rebus humanis absumpsisset, quid patri illius respondissem, aut quo loco res meæ fuissent? ille enim filium, quem genuerat, ut aliquando esset cæteris liberis auxilio, non sinè magna suspicione amisisset, quòd aut avaritiâ meâ, aut negligentiâ passus essem illum esse desertum. Ego verò non tantùm hominis mihi charissimi, sed etiam rerum mearum non parvam fecissem in illo jacturam. Quæ omnia incommoda tuâ culpâ, atque errore accidissent; sed bene res se habuit, quòd non tantum fortuna rebus meis nocuit, quantum illi in me permiseras. Quare etiam, atque etiam vide, ne de cætero in hujusmodi rebus, in quibus aut de mea fama, aut de salute agitur, aliquid prætermittas, quod à te possum ex officio nostræ amicitiæ expectare; turpissimum enim esset tibi in re mea frigere, quando semper in tua maximè calui: aliter cogeres me & benevolentiæ, & consuetudinis meæ in te oblivisci. Sed ut spero, non committes deinceps, quòd tibi possim pro simili causa irasci. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
JOANNI BARZIZIO
S. P. D.

EGi gratias Petro Thomasio, qui omni officio & boni amici, & experti medici in te usus fuit. Laudo, quòd nactus sis ancillam, quæ ministret omnia ad tuam salutem; sed non placet mihi

mihi ætas ejus, ne quod remedio morbi tui quæsitum à te fuit, ad perniciem accedat. Prudens es, & satis debes callere, quæ laudes soleant, & quæ infamiam, ac paupertatem hominibus afferre. Nolo tamen ullam ex his verbis molestiam percipias, cùm omnia inter nos aperta esse debeant propter illam rerum omnium societatem; quæ, ut à natura ducta est, ita postea honestis studiis, & bonâ consuetudine firmata. Facino Ventrariæ homini impigro ages pro me gratias ingentes, quòd valde in me gratus est, & maximè officiosus. Plura illi non dices; hæc enim pauca sufficiunt. Tu verò nihil majori studio curabis, quàm ut citò valeas, & quàm sæpe, quo in statu sis, tuis literis me certiorem facias. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
FRANCISCO ZABARELLÆ
Cardinali Florentino

S. P. D.

QUòd meæ literæ, Pater humanissime, paulò tardiùs, quàm oportebat, à me absolutæ sunt; non tantùm meæ negligentiæ fuit, quàm quòd, quibus eas darem, non habebam. Nam etsi nullus ferè à nobis ad te iret, quem statim non convenirem, multaque de maximis rebus tuis interrogarem; tamen nescio quomodo, si fortè idem, aut alii Romanam Curiam peterent, nunquam de suo discessu antea monitus fiebam: de qua re cùm apud Valerium Marcellum, hominem ut optimarum artium, ita tuæ dignitatis amantissimum, questus essem, non minùs quàm ego ipse, in hac re mihi solicitus fuit; perfecit enim, ut Petro Florentino, homini tibi familiarissimo, & in primis honesto literas meas committerem. Sed nescio quomodo, hac mihi tam bona occasione oblata, verba mihi ad scribendum deesse intellexi. Nihil certè erat, quòd minùs primò timerem; quid enim erat, quod in tam læta materia, & tanta rerum copia dubitandum arbitrarer, ne vel literis tuis, quantum voluissem, responderem, vel tuæ felicitati abundè gratularer? Sed cùm rei ma-

gnitudinem intuerer, & me ad ornatè dicendum de summis laudibus tuis minimè aptum viderem, nullum prorsus in me studium comparebat, quo idipsum vel mediocriter facerem. Illud etiam me non modicum movebat, quòd nunc alia ad te oratione, quàm olim, utendum erat. Judicabam itaque aliquanto honestius esse nihil omnino scribere, quàm jejunâ, & exili oratione virtutes illas attingere, quibus facilè gradum tibi ad illos summos honores tuos fecisti. Cùm ergo planè me in sententia mea confirmarem, & certus essem locum istum potiùs non attingere, quàm impeditum relinquere; memini antiquæ humanitatis tuæ. Succurrebat etiam, quod ab his audiebam, qui à te huc veniebant, nunquam præbuisse te ipsum humaniorem, magisque affabilem omnibus, qui à te aliquid optassent, aut tuum aliter conspectum petere voluissent, quàm hoc tempore. Dicebant enim te nihil ex antiqua consuetudine remisisse: addebant etiam tuas virtutes cum dignitate pariter crevisse. Ego verò cùm hæc attentissimè de te audivissem, conferremque nunc de his mecum; animum adverti ad quædam alia, in quibus, etsi non summa, tamen maxima laus tua continetur, promisique mihi bonam veniam, si de certis rebus privatis ad te scripsissem; ita enim afficior tuo merito, Pater optime, ut neminem hodie vivere contendam, qui aut sæpius de tuis immortalibus virtutibus cogitet, aut qui magis omnia suspiciat, quæ à te illo in sanctissimo Senatu vestro vel sapienter dicta, vel graviter facta referuntur. Quid verò dicam de illa summa, & incredibili benevolentia tua, quam sæpe aliàs, sed maximè his diebus multis signis confirmasti; cùm enim constituisses ea, quæ tibi prosperè successissent (mutuor enim libenter aliquid ex tua eloquentia) per tuas literas his omnibus significare, quos aliquando tibi conjunctos, vel aliquâ studiorum societate, vel necessitudine habuisses; voluisti me inter illos summos viros, & tibi amicissimos numerare. Cùm autem iisdem ferè verbis, ut vetus mos est, cùm de eadem re ad multos uno tempore scribimus, utereris; visus es quibusdam locis plus mihi attribuere, quàm ego de me vel cognoscerem, vel expectarem, præsertim à te, quem nostrorum hominum sapientissimum omnes facilè concedunt.

Quare,

Quare, etsi nunquam à me dubitatum sit, quin à te maximè amarer, & tibi charissimus essem; tamen hodierno die perfecisti, ut nunquam id ipsum magis verum esse intelligerem. Tantum enim tibi uni attribuo, ut omnia à te dici sapienter, & amicè credam. Neque unquam dubitavi plura de me ipso in utranque partem sapientiæ tuæ, quàm mihi ipsi concedere. Vides igitur, Pater Reverendissime, quantum huic tuæ privatæ laudi tribuam. Vellem ea mihi scribendi facultas esset vel naturâ, vel studio comparata, ut te pro tuis meritis satis dignè ornare possem: illud certè à me tanto studio fieret, ut majori cura nihil unquam à me susceptum fuerit. Sed cùm neque otio, aut doctrinâ satis ad tuas maximas res laudandas abundem, nec exercitatione dicendi; tu id mihi onus facilè remittes. * Multum enim virtus tua per se ad gloriam valet, nec tu hujusmodi orationis ullo tempore cupidus fuisti. Vale Patavii 1411.

GASPARINUS BARZIZIUS
LAZARINO RESTÆ
S. P. D.

Nisi in tanto cursu fuissem his diebus, quibus Bononiâ rediens vidi te Venetiis, commentatus multa fuissem tecum de Jona nostro. Sed cùm de maximis rebus meis deliberandum esset, (quanquam haud scio, an res ullæ magis debeant meæ dici, quam, quæ tuæ sunt) nullum mihi tempus superfuit, quo in tanta celeritate possem tecum, ut constitueram, de illo verba facere. Nescio, quid acturus sis, cùm tempus, quo hinc discedam, esse brevissimum scias. Si de sententia animi tui certiorem me feceris, nihil prætermittam, quod meo consilio, aut operâ à me vel excogitari, vel fieri possit pro hoc nostro adolescente continendo in his studiis, quibus operam dare incœpit. Vale Patavii 1411.

GA-

* In Cod. Vaticano leguntur hæc verba, quæ in aliis Codicibus desiderantur.

GASPARINUS BARZIZIUS
ANTONIO FANTAXELLO
S. P. D.

HAbui nuper à te literas, quibus mihi significas, Henricum grammaticum habere quoddam opus morale; quare monitum me facis, si usui meo, aut meorum conveniret, ad te scribam sententiam meam. Ego verò habeo tibi maximas in primis gratias, qui non es de numero eorum, quos Cicero inquit, cùm acutissimos habeant oculos, aures tamen hebetiores habere, aut memoriam, si quando suorum commoda sunt agenda. Sed tamen, quia nihil in hoc novi de te percipio, magnitudinem amoris tui potiùs apud me cogitabo, quàm verbis studeam gratias tibi agere. Placet, si per te fieri potest, ubi opus illud, & pretium à te laudetur, convenias secum, & ad me rem totam scribas. Quid autem de carminibus tuis dicam, quæ dedisti ad sapientissimum virum, & eloquentissimum Jacobum Foroliviensem? Puto magis nostræ amicitiæ convenire, ut apud doctos homines, cum quibus quotidie sum, quàm apud te laudem: qui cùm hominum, qui te cognoscunt, judicio, & in primis meo, habearis ferè omnium, quos ego noverim, in eo genere dicendi ornatissimus: nullius eges laude, cùm te ipsum studia tua maximè extollant. Unam ex illis versibus tuis & gravibus, & ornatis molestiam concepi, quod te intellexi adversâ valetudine teneri. Quare, si me diligis Antoni mi, cura ut valeas; nec aliud attentius agas, quàm ut conserves te nobis, & incolumem reddas. Optamus enim vehementer omnes, qui hîc sumus amici tui, ut te præsentem, & sospitem intueamur. Sustines certè non parvam expectationem omnium, quos vel adjutores tuorum studiorum, vel socios habeas. Speramus tamen optimè de tua valetudine, quòd & tuâ prudentiâ uteris, & consilio medicorum principis Jacobi Foroliviensis. Plura ad te scriberem, nisi occupationes meæ inde me retraherent: unum est, de quo te majorem in modum oratum volo, ut cures, qualiter in præsentia possim habere summam, quam conscripsi in epistolas Senecæ ad Paulum, quam à Da-

Damiano Polano habuisti; de qua re ipse etiam ad te scripsit. Non possum enim sustinere amicorum meorum querelas, quibus persuadere non possum, hanc esse fortunæ, non meam culpam. Maximè autem instat amplissimus vir, & sapientissimus Martinus Garanelo novissimè electus in Procuratorem sancti Marci: cui cum virtute, & nobilitate sua plurima debeam, tamen aliquanto majora me sibi debere fateor, quod valde me diligit, & maximè studiosus est eorum, quæ aliquando, licet non satis emendatè, à me conscribuntur. Scio te posse ad hanc rem celerem modum adhibere, si clavem capsæ miseris alicui tuo, cujus fidem perspectam habes. Insto maximè, ut hoc facias; & ita quidem, ut nihil sit, quod ad præsens majorem in modum apud te contendam. Fac, ut valeas mi Antoni. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS ANTONIO FANTAXELLO S. P. D.

Nimis te amo, Antoni, quia illum antiquum amorem tuum in diligendo me retines. Venit ad me adolescens quidam à te missus, qui plurimam salutem nomine tuo mihi attulit; & ait, te sibi mandata dedisse, ut me admoneret, quòd Henrico grammatico scriberem pro illis commentariis Officiorum Ciceronis: quam rem facilè ab homine docto, & utriusque nostrum amantissimo obtineri dicebat, si ad eum literas dedissem. Fecisti, Antoni mi, rem tuâ consuetudine, & naturâ dignam, cùm de studiis meis majorem curam geris, quàm ego, cui tota res agitur. Sed occupationes meas nosti, qui, ut amicis meis satisfaciam, rarò rebus meis vaco: habeo itaque tibi ingentes gratias, utinam etiam referre possem. Cognosceres profectò paucos homines vivere, qui pro meritis suis majori gratia à me ornati essent; sed ut me tuo juves ad hanc rem transigendam auxilio; sicut nuper adjuvisti consilio; ita te rogo, ut vix pro ulla re magis quemquam rogare possim. Ego enim, quod ad tuum consilium, & ad meam rem attinebat, scripsi amico nostro: quas literas cupio te priùs legere, ut si forte perturbaretur Ro-

Romano more scribendi, quo utor; tu ipse more vulgi transcribas, & ei pro me blandiaris. Nihil tamen hujusce suspicionis apud hominem eruditum subesse puto. Habui commentariolos Damiani nostri à me editos in epistolas Senecæ ad Paulum. Librum verò tuum dedi Victorino Feltrensi, qui jussu tuo illum à me requisivit. Quod autem valetudinem tuam bene curaveris, maximè gaudeo; sed si te videre contigerit tua repetentem studia, major certè gaudio meo cumulus accedet. Vale Patavii decimo Calend. Aprilis.

GASPARINUS BARZIZIUS
HENRICO VERONENSI
S. P. D.

INtellexi & sermone, & literis multorum, qui tibi familiares sunt, apud te esse quosdam veteres commentarios in officia Ciceronis; quæ si vera sunt, majorem in modum rogo, ne graveris illos tradere Antonio nostro Fantaxello, homini ut literatissimo, ita certè optimo, & utrique nostrûm amicissimo. Sum enim hoc tempore in cursu perficiendi quosdam in eandem rem commentariolos, quos jam dudum à me incœptos novissimè repetii: qui labor nunquam intermissus esset, nisi ut in cæteris, ita & in literis, & artibus quædam immoderata cupiditas animum eorum, qui apud me proficiebant, traxisset. Cùm enim fortè vix illis Officiorum commentariolis incœptis, assumpsissem mihi sententias epistolarum Senecæ in publicum exponendas; compulsus sum voluntate amicorum intermittere, quas statim dixi Officiorum expositiones, & easdem epistolas commentari; tenuitque me opus illud ferè ad hunc usque diem occupatum. Qua re utcunque perfecta, converti me ad priora exercitia. Habes Pater optime, rationem meæ petitionis. Hæc autem res maximè fecit me hujus tui libri avidum, quod vellem industriâ meâ supplere, quidquid tempori detractum est. Sed non vidi, qua ratione ea res à me fieri meliùs possit, quàm si recognoscerem, quæ à veteribus nobis relicta sunt. Fortunatum itaque arbitror me esse, qui te nactus sum, quem scio tua virtute omnia mecum habere com-

communia, & maximè quæcumque ad studia utriusque pertinent. Dabis ergo quidquid id sit, aut veterum opus, aut recentiorum Antonio nostro, qui citò illud ad me mittet; scieſque rem omnium mihi gratissimam, & pernecessariam facturum; pro qua ego ipse ad te venturus eram, nisi & ibi Antonium habuissem, & talem animum tuum, quali in me jamdiu fuisti, liberalem scilicet, & amantem mei. Quare cùm satis pro me orare literas meas confidam, facilè ab hoc itinere abstinui. Vale, & si quid apud me est, quod usui tuo sit, pro tuo jure, quantum vis, utere. Patavii decimo Calend. Aprilis.

GASPARINUS BARZIZIUS
FRANCISCO ZABARELLÆ
Cardinali Florentino
S. P. D.

CUm jam superiores ad te obsignassem literas, Pater optime, cogitavi non satis officio meo fecisse, quod nullam omnino mentionem habuissem de his, quæ à te mihi renunciata fuerant per Baptistam nostrum, juvenem tui observantissimum. Venit namque ad me his diebus: detulit mihi à te plurimam salutem, ac jussit me optimè de tua gratia sperare, si quid esset, quod à te in re mea fieri posset. Ego verò, etsi nil novi de te perciperem, tamen summa tenebar voluptate, cùm velut renovari gratiam tuam intelligebam. Sed cùm de hac re constituissem ad te scribere, nescio quomodo in rationem dignitatis tuæ meus sermo incidit, qui apud nos frequens de te habetur. Ingentes itaque habeo tibi gratias, qui me tantum amas, ac diligis: nam prævenisti me, Pater humanissime, nec permisisti, quod te orarem, ut memor mei esses, cùm etiam ultro invites, ut liberè tuâ operâ utar. Si quid ergo erit, quod à te mihi possit fieri, non parcam vel labori, vel occupationibus tuis; & ego me tibi in solutum dabo. Quòd occupatus sim, indicio sunt literæ meæ non rescriptæ. Vale Patavii quarto Calendas Aprilis.

GASPARINUS BARZIZIUS
ANTONIO FANTAXELLO
S. P. D.

Mitto ad te Facinum Bergomensem, cui fidem habebis non aliter, quàm si ego adessem. Nam & civis meus est, & juvenis certè cum modestus, tum etiam egregiè literatus. Committes autem ipsi commentarios illos toties à me petitos, nisi fortè vis finem facere tot officiis, quot his annis inter nos fuerunt. Quod si feceris, coges me immutare judicium, quod de tua in me fide, ac benevolentiâ sæpè, multis audientibus, feci. Sed non possum adduci, ut credam te vel amicitiam nostram, vel famam tuam ita parvi facere, quod eam velis commutare cum re minima; non enim solet hæc tua natura esse, neque olim talis fuit consuetudo, cùm sæpius tua mihi ultro obtuleris; & ut amici solent, bono animo, irasceris mihi, quia nihil à te velim, propter illum ipsum egregium animum tuum, & honestissimam communium studiorum conjunctionem. Quid autem causæ sit, cur alio in me sis animo, satis miror; patieris ergo te amicè admoneri, & quæ tua modestia solet esse, non malè me audies, si tibi justè irascor. Si verò & tibi vis idem in me concedi: qui forsan id, quod tu fortunæ dices esse, ego animo tuo non jure attribuo: nihil impedio, modò à te impetrem hos libellos, quos maximè desidero aliquando ad me deferri. Spero enim, si morem mihi in hac re gesseris, nos post has molestias aliquanto ardentiùs consuetudinem nostræ amicitiæ repetituros, quàm si nullæ unquam inter nos amoris intermissiones fuissent. Vale, & me ama. Patavii sexto Idus Aprilis.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS
ANTONIO FANTAXELLO
S. P. D.

DAmianus noster hodie mihi reddidit literas tuas. Mitto pecunias, quas ille noster, ut tu appellare soles, Tiresias vult sibi numerari pro illis veteribus commentariolis suis, quos certè neglexissem, nisi ut scis, mirator antiquitatis essem. Tanto enim studio veterum semper ductus fui, ut non tantùm laudem quæ ab illis bene dicta sunt; sed etiam, si quem illorum de recta via deviare contigerit, errores modestè feram. Neque solùm hoc eis attribuo, quibus, meo judicio, & auctoritas, & rerum multarum scientia fuit; sed & quandoque nostris senibus, quamvis deliris, amplius honoris defero, quàm vel ipsi digni sint, aut ultra fortasse, quàm illi expectent. Sæpe etiam eos ita pertuli, ut neque eorum maledictis moverer, neque contumeliis. Nam ita, cùm adhuc puer essem, audiebam à Sapientibus dici, senes esse communes adolescentium patres: quos etsi nulla alia res facit nobis reverendos, satis est, quòd majores natu sunt. Postea semper illos in honore habere mihi constitui, & eos modestiâ vincere, quoties ab illis, non ut volebam, exceptus essem. Et ut ad senem nostrum veniam; nulla res mihi ab eo gravis venire poterat: sive tantum pro illis commentariis impenderit, sive minus, ego pretium non minus æquo animo fero, quàm his diebus literas ejus, quibus in me paulò magis invectus fuit, quàm vel ætas sua, vel ratio amicitiæ nostræ posceret. Sed hæc ad illum non referes, ne ipsum adhuc molestum mihi reddas. Visus enim est animum suum mihi restituisse, postquam sibi lectæ fuerunt literæ meæ, quibus non aliter quam aquâ incendium illud, quòd incœptum erat, extinxi. Curabis ergo, ut illo deinceps meliori amico utar: & cùm habueris, cui possis illos commentarios committere, non prætermittes occasionem illam, quo maturius ipsis uti possim. Vale Patavii septimo Idus Decembris.

GASPARINUS BARZIZIUS
FRANCISCO ZABARELLÆ
Cardinali Florentino
S. P. D.

A die, qua superiores literas jam absolveram, Pater optime, multos menses postea intellexi illas semper in portu stetisse, tanta est enim hominum negligentia. Nam quibus in rebus sæpe maxima negotia continentur, ita facilè patiuntur ea neglecta esse, ut nulla nec humanitas, neque fides inesse eis videatur: quibus si per modestiam nostram irasci liceret, non mediocriter illis succensendum esset. Quod enim genus hominum hoc est? Qui sæpe, cùm aut ultro hoc sibi officium deposcant, aut precibus inducti polliceantur se his satisfacturos, à quibus literas, seu mandata accipiunt, nullam omnino vel nostræ voluntatis, vel officii sui rationem habent. Quod vitium nisi ita usitatum viderem, ut jam in consuetudinem receptum esset, plura de hac re verba facerem. Sed cùm alia sint graviora, quæ non hominum negligentiâ, aut incuriâ (ut dicitur) sed odio, atque invidiâ suscipiuntur; vix hæc minora commemorare mihi vacat. Non dubito fortè idem etiam tibi accidere, quanquam tua dignitas non sæpe id experiatur propter tabellarios publicos, quibus non impunè esset, si literas eis commissas non redderent. Nos verò in longè alia fortuna sumus, cùm sit necesse aliquando his hominibus literas dare, cum quibus nulla nobis familiaritas est, neque amicitia: quo nonnunquam evenit, ut quæ tabellariorum culpa est, nostra esse videatur. Sed vestrum est, qui dignitate, & potentiâ præstatis, non imputare amicis, si literæ suæ ad vos non deferuntur, aut si tardius quàm oportet, redduntur; & cogitare, dum aliquid à vestris scribendum est, literas committi, sed ab eis, quibus commissæ sunt, non reddi. Hoc itaque vestræ humanitatis, ac sapientiæ proprium est, omnia in amicorum officio, potius fortunæ, quàm consilio imputare. Vale Patavii.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS DANIELI VICTURIO, ET VALERIO MARCELLO S. P. D.

ETsi paulo ante, quàm à vobis discederem, satis quid essem facturus utrunque vestrum admonuissem; tamen quia omnia incerta erant, totam rem meam ut satis impeditam reliqui: nec in meo discessu vos, quod maximè optabam, allocutus fui. Cùm enim in portu fortè navem expeditam invenissem, & essem rebus, quas agitabam, vehementer occupatus animo; navem conscendi, nemine meorum salutato, & iter Patavium feci: in quo etsi nulla gravia, tamen multa impedimenta perpessus fui. Postea verò quàm in eam Urbem me contuli, quædam melior spes rei bene gerendæ mihi oblata fuit. Magno enim desiderio meorum exceptus fui: qui, quo minus de meo reditu sperabant, eo magis gratulati mihi sunt. Timuerant enim, ne Urbis vestræ magnificentia me detineret, aut ne vestræ illæ opes amplissimæ plus apud me valerent, quàm consuetudo, & memoria studiorum suorum. Et fortassis duo illa me tenuissent, nisi multa vestram opinionem, & ferè omnia meam decepissent: quem locum non prosequar ulterius, ne ingratus videar adversùs Civitatem de me optimè meritam. Rejiciebam igitur hanc omnem culpam honestiùs in tempora, quàm ut dicerem vestros homines ad omnia meliùs, quàm ad literas & natos esse, & exercitatos; præsertim, cùm etsi non multos, tamen aliquos Romano ingenio, & antiqua virtute egregiè instructos olim audiverim, & hodierno die plures cognoscam. Modum itaque huic rei faciam, & utar modestiâ, quam sæpe in utroque vestrum, ut multas alias virtutes cognovi, & laudavi. Redeo ad Urbem Patavinam altricem bonarum artium. Cùm ergo in eam appulissem, visus mihi sum quasi domum rediisse, & advenisse tanquam ex aliqua peregrinatione in patriam mihi exoptatam. Ubi etsi multos ex meis desiderarem homines certè eruditissimos, nulla tamen res auge-

bat

bat animum meum, quàm quia hominem hic Danielem, aut Valerium habebam, cum quibus de communibus studiis, & cæteris rebus conferrem. Sed postquam ita res nostra tulit, ut unà esse non possimus, constitui bene uti rebus præsentibus. Nam aut nulla mihi videtur in rebus humanis prudentia; aut in eo maximè consistit, quo se homines bene ad præsentia accommodant. Est enim Euripidis Græci hominis quædam in tragœdia sententia, postea à quodam nostro Latino (nam incertum est, quis auctor fuerit) in latinas literas versa: *tempori aptari decere*. Nec satis probo quosdam Philosophos, qui prudentiam volunt esse virtutem ex præteritis futura divinantem: quam si ad divina referant, ego illis etiam sine præteritorum memoria facilè consentiam, omnia non aliter, quàm præsentia, quamvis procul posita, illam intueri. Si verò ad humana, quid de futuris possunt homines cognoscere, cum rerum præsentium scientiam illam, si Academiæ credimus, aut admodum parvam habeant. Sapientes itaque illi sibi ipsis fuerunt. Meus enim sapiens satis mihi instructus videbitur, & ornatus ea virtute, si omnia æquo animo, ut nunc sunt, perspiciet; in cæteris verò illud tantum dicet ex rebus ipsis oportere in consilium venire. Ea res fecit, ut maximè hoc tempore illa cogitarem, ac facerem, quæ in præsentia conducere mihi videbantur. Ex quo etsi multa incommoda mihi acciderint, ego tamen consilium meum non accuso. Neque tibi Daniel assentior, quamvis sis prudentissimus, illud, quod sæpe, cum adhuc absens essem, pueris meis, deinde præsenti mihi objecisti: omnia à me temere facta; ego verò dicam minus feliciter, sed non stultè: nondum hoc de me cognosco. Nisi fortè eam stultitiam appellas, in qua tot sapientissimos homines, & multos egregios cives tuos, & Magistratus socios habui. Quare non possum adduci, ut qui in rebus cæteris tibi sæpe multum credidi, hoc unum à te satis consideratè dictum sapientiæ tuæ concedam. Gaudeo tamen, quod eventum illum, quem ferè omnes timebamus, vestra bona fortuna fefellerit. Sed ubi ea, quæ magnam ruinam minabantur, processissent, eò tunc sapientissimus judicio tuo fuissem; sed bene se habet, quòd tu potius me sapientior visus sis, quàm ut ea evenerint, quæ tunc vestræ Reipublicæ im-

impendere videbantur. Quicquid sit, ego, ut ajunt, boni consulo: nam omnia à te amicè dicta, cùm multa etiam feceris, haud dubito. Illud autem consecutum esse maximè lætor, quod ad naturam, & consuetudinem meam restitutus esse videor. Si verò non dabitur studiis meis cum dignitate frui, & in frequentia, atque conspectu multorum hominum doctorum, ut quondam, in illis versari; ero tamen his paucis contentus, qui virtute, & pulcherrimarum rerum scientiâ id assecuti sunt, ut non possim eorum societatem, & præsentiam nisi magnifacere: putaboque satis magnam adesse gloriam, si hoc tempore illud intelligam mihi esse cum illis commune, qui majori sapientiâ sunt, & in maxima fama vixerunt. Habebo has reliquias honorum, ac fortunarum mearum eò chariores, quò solæ rebus aliis destitutum illæ me non deseruerunt. Id etiam patres in filiis observant, qui quò pluribus orbati sunt, eò superstites ardentiùs amant, & sibi gratiores habent. Arbitrabor autem non tantum ad rem pertinere, quòd magnis rebus abundem, quantum quò animo illis utar. Sed jam finem facio: intelligo enim me epistolæ modum excessisse. Scio nihil minus amicis, cùm de rebus agendis scribunt literas inter se, convenire, quam gravitate censoris uti. Sed quia non dubitabam vos pro vestra in me benevolentia omnia velle, quæ ad me pertinerent, cognoscere; non solùm ea scripsi, quæ à me scribenda essent, verùm etiam quò me tulit impetus, ex his, quæ inter nos gesta essent, eò prosecutus fui. Feretis autem me, ut sæpe aliàs tulistis, si in scribendo ad homines prudentissimos, magis animo meo, quàm vestris occupationibus indulsi. Valete, & me sæpe de his, quæ apud vos geruntur, ac de omnibus studiis vestris certiorem facite. Patavii septimo Calendas Martias 1412.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS

MARCO LIPPOMANO

S. P. D.

CUm pridie me conveniſſes, & item alii quidam nobiliſſimi adoleſcentes unà tecum affuiſſent, ut de communibus ſtudiis noſtris commentaremus, ita à vobis diſceſſi, ut paucis diebus interpoſitis, maturum ad vos reditum pollicitus fuerim. Sed longè aliter ac ſperabam, res mihi ſucceſſit. Vix enim Patavium applicueram, quòd omnia mutata in melius ferè omnium ſermone intellexi. Cùm verò me in forum contuliſſem ad porticum, quæ jacet ad dexteram Vicarii Ducalis Curiæ, multos ibi obvios habui, qui tantam moram ultro accuſarent; impellerentque me, ut Magiſtratus veſtros adirem, ac me illis purgarem. Ego verò, etſi maximè gauderem, quia videbam magnam ſpem mihi oriri ad eam dignitatem ſtudiorum, quibus diu aſſueveram; tamen reſpectus veſtrum omnium, & ſumma in me benevolentia tua faciebant, ut nil magis, quàm ad vos redire optarem. Sed poſtquam id mihi edicto Magiſtratuum exceptum vidi, cogitavi; *ſi id non poteram aſſequi, quod volebam, id ſaltem velle, quod poteram*; nam hanc etiam ex veteri comœdia ſumptam eſſe à * Terentio ſententiam memineram, quam ſæpe multi ſapientes ſecuti eſſent. Si ergo vobis morem, ut oportebat, non gero, tu id mihi vertes; & hanc pro me veniam ab his, qui convenerant tecum, impetrabis. Spero vos mihi non futuros difficiles; præſertim cùm tu ipſe videris multos ita refrixiſſe, ut nullam omnino horum ſtudiorum curam agerent: quod ego te ægerrimè pati, & vicem meam vehementer dolere intellexi. Meritò itaque maximas habeo tibi gratias; & ſi quando caſus tulerit, etiam referam; cogitaboque hoc mecum ſæpe, quomodo tibi ſatis gratus videar, qui nihil hoc tempore omiſiſti, quod aut famæ, aut rebus meis accedere intelligeres. Vale Patavii ſexto Calend. Martias 1412.

GA-

* In Andria Act.2. Scen.1.

GASPARINUS BARZIZIUS
VALERIO MARCELLO
S. P. D.

CUm jam absolvissem literas, quas ad te, & Danielem nostrum dederam, Hieronymus tuus me convenit, & ultro mihi pollicitus est operam suam apud Quæstores nostros pro pecunia mihi numeranda. Vix duo, aut tria verba mecum fecit. Sequenti die, cùm jam sol ortus esset, me ad unum ex Quæstoribus duxit. Quid egerit ibi pro me, & qua celeritate negotium meum confecerit, ex hoc potes cognoscere; quòd omnibus posthabitis, non argentum, sed aurum statim mihi usque ad summam, quam expetebam, numeratum fuit. Vides Marcelle mi, quo animo apud fratrem tuum exceptus sum, & quantis molestiis ipse me liberaverit. Discussit enim hoc suo in me officio omnem agitationem animi, in qua eram; & omnia consilia mea, quæ nondum satis certa erant, confirmavit. Tales mihi amicos Valeri comparasti; hæc sunt opera tua: hæ artes, quibus uteris. Non solùm enim quos tibi semel amare constituis, charissimos habes; sed etiam efficis, ut non minus à tuis, quàm à te ipso diligantur. Non habeo, quas tibi possim gratias agere, cùm vix queam verbis dicere. Sed unam inter tot merita tua molestiam sentio, qua tuâ præsentiâ careo. Scis quàm sæpe omnes apud te solebam curas deponere; & de omnibus, quæ ad me pertinerent, conferre tecum, & tuo maximè consilio uti. Nunc hoc solatio privatus sum: quod ego, nisi te prope diem expectarem, vix possem perferre; sed ut spero, in tempore aderis, & te, quantum volam, utar. Interim sæpe de me cogitabis, nec prætermittes ullam occasionem ad me scribendi, quoties dabitur tibi, cui literas possis committere; nam etiam ego idem facturus sum. Sic enim ego tuam absentiam, & tu meam æquiori animo feremus. Vale, & me sæpe tuis paribus commenda. Patavii sexto Calendas Martias 1412.

GASPARINUS BARZIZIUS
FRANCISCO BARBARO
S. P. D.

CUm pridie quàm à te discederem, satis de omnibus ad me pertinentibus, quid essem facturus, certiorem te fecissem; navigavi, ut scis, postridie Patavium. Quo animo ibi ab omnibus meis exceptus fuerim, puto te optimè ex Daniele nostro intellexisse. Unum autem est, quod hoc tempore à te vehementer expecto: cura, si me diligis, ut Christophoro * nepoti meo dentur illa argumenta, quæ Antonius Luscus edidit in orationes Ciceronis. Maximè etiam ego Plutarcho meo; quem si ab amico non poteris repetere, nihil omittes, ut saltem uno possim uti: est enim utraque res mihi pernecessaria, si volo satis à me factum esse expectationi eorum, qui me non solùm amant, sed etiam magno studio colunt. Videbis ergo, qua ratione id mihi perficias, & ego maximas tibi gratias habebo. Vale Patavii quinto nonas Martii 1412.

GASPARINUS BARZIZIUS
PETRO BARBARO
S. P. D.

QUòd Antonius amicus meus, & modò etiam tuus à te exceptus perhumanè fuerit, priùs literis ejus, quàm tuis, certior factus sum. Scripsit enim ad me, te sibi ad omnia, quæ ex te optavit, officiosissimum fuisse. Quare magnas habeo tibi, & dico gratias, qui illis, qui mei sunt, tam liberaliter te ipsum præbes. Numeravi ducatos octo Francisco nostro, quamprimum ab amico mihi renunciatum fuit, se illos abs te suscepisse. Curabis, ut egregio viro Joanni Lauredano charus sit; nec eum tantum ex habitu, quantum ex animo judicet. Vale Patavii.

GA-

* Nempe Jacobi fratris filio.

GASPARINUS BARZIZIUS
LUCHINÆ EX MARCHIONIBUS MALASPINIS

S. P. D.

SI ex bona causa, & tuo consilio liberos tuos, qui apud me profitebantur, ad te reducis, gaudeo plurimum, & tuum factum laudo: nam & me curâ magnâ relevasti, præsertim hoc tempore, in quo nihil certi video, nec satis scio ubi consistam; & si ex re tua erat, bene tuis consuluisti. Si verò aliquâ animi perturbatione, aut impulsu alterius hæc à te sunt deliberata, doleo magis tuâ, quàm meâ causâ: cùm illud tibi acciderit, quod illi agricolæ, qui omnes labores, ac totius anni impensas uno die consumit, cùm falcem mittit in segetem nondum maturam. Sed puto omnia à te prudenter fieri, nec aliquid te agere sinè causa. Tradidi ergo, ut voluisti, hos tuos adolescentes illis, quos ad me, ut ita facerem, misisti. Utinam illos tam incolumes ad te deducant, quàm in hodiernum usque diem conservavi; & quàm sospites manibus eorum, ac fidei commisi. Hortor, ac moneo, ut summam curam circa illos adhibeas, ne tuâ negligentiâ tempus amittant. Quod ad me pertinuit, fideliter gessi me circa salutem, ac disciplinam eorum. Non potui, cum fortunæ mihi nunc iniquitate bellorum sint tenuissimæ, commodiùs eos alere his opibus, quas non habebam: quæ res, ut multis signis percepi, fuit tibi, & Joanni Suardo molesta. Sed cùm bene cogitaveris, judicabis nihil fuisse mihi in ea re succensendum; si pecuniis meis, quæ nullæ erant, liberos vestros alere non poteram: quos vos omnes, cùm opulentissimi essetis, & tota res ad vos spectaret, tamen egere vestrâ negligentiâ patiebamini. Hæc tam libero animo ad te non scriberem, nisi tuam modestiam cognoscerem, & omnia bene audire, quæ verè dicuntur. Ego enim, ut semper amicus fui, ita liberos tuos, quantum in me erit, bono animo & colam, & amabo. Vale Patavii sexto Calendas Septembris 1412.

GASPARINUS BARZIZIUS
FRANCISCO ZABARELLÆ
Cardinali Florentino

S. P. D.

NUllum prætermisisti officium, Pater clementissime, quod ad levandum mœrorem meum pertineret; ostendisti enim, quantum me hoc tempore amares, cùm & literas meas non potuisti sinè lacrymis legere, & tamen non desiisti me per tuas consolari, ac tua gravi oratione adhortari, ne rebus meis diffiderem. Postea enim quàm tuas literas legi, sensi fortiori me esse animo, ac majori ad sustinendum meas res adversas. Utar ergo consilio tuo, Pater optime; nam nemo est, qui magis apud me vel auctoritate, vel benevolentia valere debeat. Omnes itaque cogitationes meas ad Deum referam; & quantum mihi per humanitatem meam licebit, subtrahabam me non solùm à præsenti molestia, sed etiam à timore, in quem causâ rei familiaris incideram. Si autem majora visus sum tibi sperare, quàm pati ante ista tempora, in quibus sumus, imputabis dolori meo, qui non sinebat me in tanta calamitate perspicere, quid in re esset. Non dubito omnia apud vos adhuc jacere, & vulnera Ecclesiæ propter vetustatem majora esse, quàm tam brevi tempore curari penitus, aut sanari omnino possint. Sed illud mihi in tanta ægritudine animi accidit, quòd plerisque ægris: qui si fortè nacti sunt aliquem insignem medicum, etiamsi incurabili morbo laborent, tamen putant, se non posse juvari nisi ab eo, in quo summam spem habent. Tu verò, Pater prudentissime, non tibi animum deesse ostendisti, sed facultatem, & fortunam. Quod tuæ sapientiæ erat, juvisti me consiliis tuis; nec minus hoc remedio profuisti mihi, quàm cæteri auxiliando potuissent. Nescio quomodo omnia cœperunt postea faciliora mihi esse; sensi enim mihi summum amicum esse Fantinum Dandulum, hominem, ut nosti, sapientissimum, & apud suos loco illustri natum, quo nunc optimo Prætore utitur Civitas tua. Is cum de casu meo certior factus

esset; ut est ferè omnium animo facillimo ad pietatem, adjecit ducatos quadraginta illi summæ, quam priùs ex publico Ærario à Quæstoribus nostris percipiebam: non quod eæ, & superiores pecuniæ sufficiant ad impensam dimidii anni, sed minus ad summam restat. Unam verò familiam Marcellorum meorum ita effusam ad omnia officia inveni, ut jam nihil non commune mecum habeant; & ut alios summos viros, & gravissimos in ea domo prætercam, unum præcipuè nactus sum Valerium Marcellum, cum quo omnes curas meas partiri soleo: hunc & consiliorum meorum participem, & socium studiorum multis annis habui: idem multum literas tuas adjuvit, effecitque, ut maturiùs vellem omnem dolorem meum deponere. Hæc ad te libenter scribo, Pater humanissime, ut & minuas illam molestiam, quam maximam ex malis meis conceperas, & aliquid addas ad veterem benevolentiam in hanc tam illustrem familiam: quæ, ut te maximè colit, ita & me, quem tuum esse novit, jam in Marcellis suis habet. Tu me, ut facis, valde amabis: ego animo meo, quem olim tibi dedi, & liberis meis, qui tui sunt, addo etiam fratris filios; iis omnibus pro tuo jure uteris. Si quid aliud à me vis, quod majus sit, tuæ virtutes, quæ sunt maximæ, cautiorem me facient; & si opus erit, etiam defendent. Vale Pater amplissime. * Patavii septimo Idus Decembris 1412.

GASPARINUS BARZIZIUS
NICOLAO BARZIZIO
S. P. D.

Mitto ad te orationem, quam nuper edidi pro novo Rectore exornando: nam cum tantum designandus esset Rector consensu illorum, qui solent ferre suffragia ad hujuscemodi Magistratus creandos; placuit novum jus constitui, cum ex tempore, tum etiam ex persona. Admissi enim fuerunt cives, qui, ut nosti, nunquam aliàs recepti sunt in hujusmodi suffragiis conferen-

* Anno 1412. scriptam fuisse à Barzizio hanc epistolam citra dubium est; in ea namque mentio fit Fantini Danduli qui erat illius anni Prætor, ut ex Jacobo Salomon. inscript. Patavin. in Fastis Prætoriis.

ferendis, Quare novam orandi orationem à me habendam esse intellexi, in qua plura à me dicerentur pro tempore, in quo sumus, quàm pro re. Nemo enim ferè est, qui non sentiat justitiam in Magistratibus colendam esse, & multa ornamenta ad hanc unam dignitatem à latoribus legum esse delata. Habemus etiam * hominem egregiè doctum, & de quo nos omnes bene speramus, ut hanc Universitatem, quæ ad paucos redacta est, suo consilio velit, ac possit augere, & industriâ meliorem facere: qui à me, si prolixius orandi spatium ex more concedi soleret, pluribus certè verbis ornatus esset. Sed hæc hactenus. Venio ad Philippum Tarvisinum, hominem, ut scis, magis acutum in disputando, quàm exercitatum in dicendo. Is cùm vellet die statuto à suo Rectoratu discedere, eam orationem pronunciavit in conventu hominum sapientissimorum utriusque ordinis: cùm etiam adesset vir magnificus ** Obizo Princeps Ravennas, vellem fortunatior in ea conditione fuisset; nam privata dissensione, quòd sibi paucis ante diebus fuerat cum Jacobo Foroliviensi summo philosopho, ac nostrorum medicorum principe, ita affectus ad orandum venit, ut non magnam in Comitio gratiam haberet. Sed hæc, ut puto, non sunt tibi nova; qui cùm adhuc operam philosophiæ, & cæteris artibus dares, quotidie videbas in hujusmodi Magistratibus aut creandis, aut dimittendis magnas seditiones oriri, ac multa fieri à literatis hominibus, quæ vix ferenda essent, si ab indoctis, & vulgaribus fierent. Cùm hæc ad te scriberem, supervenerunt literæ tuæ, quibus mihi significas te in lectione Terentii perseverare, ac brevi incœpturum Valerium Maximum: deinde à me requiris commentarios in tragœdias Senecæ, ac ipsas tragœdias; ais enim te solicitari à quibusdam, ut sententias illarum eis exponas. Non probo consilium tuum, fili. Satis est, si feriatis diebus vacas Terentio; non feriatis verò Valerio: qui liber propter brevitatem historiarum, & singulares locos philosophiæ semper mihi visus est perdifficilis. Scis etiam in qua ætate es, qui vix dum ingressus

* Fantinum Dandulum Prætorem.
** Erat hic ex nobili Polentanorum familia.

sus es annos pubertatis; sed, ut video, nova quædam ratio honoris, & dulcedo gloriæ te ad hanc rem impellit. Ego verò nunquam tibi dissuadebo, quin in hac ætate omnia facias, quibus omnes bene de te existiment. Sed monebo, ut ad hæc studia ita accedas, quod homines, ut ingenium, ita & modestiam tuam laudent. Habebis tamen à me quicquid optaveris; sed moneo, ut si tragœdias lecturus es, Romanam historiam, ac externam differas. Vale Patavii 1412.

GASPARINUS BARZIZIUS
PHILIPPO MARIÆ III.
Duci Mediolani
S. P. D.

GAudeo plurimum, illustrissime Dux, ac Princeps optime, omnia tibi auspiciis paternis feliciter cessisse. Video quidem publicæ pacis, ac otii talia per te jacta esse fundamenta, ut multis annis melius sperare nobis non licuerit. Cùm enim ferè omnia periisse crederemus, ac omnes in maximo essemus timore, quò se vergeret tantum pondus, subito cuncta mutata in melius vidimus. Illuxisti quidem nobis Dux clarissime, & fortiter vincendo fecisti, ut tuum statum ex turbido, & procelloso subitò illum serenissimum, ac tranquillum videremus. Postquam enim victis hostibus, illa tua Ducalis Civitas sua sponte in tuas manus pervênit, nemo fuit ex numero bonorum civium, qui non te, ut publicæ salutis auctorem aspiceret: nemo, qui non te parentem patriæ intueretur, cùm omnes viderent (te absente) nunquam se posse aut otium, aut pacem sperare, cùm intelligerent non tantùm caritatem annonæ, sed famem etiam sævissimam jam incœpisse Urbem suam acerbè premere. Tu verò tuâ præsentiâ, ac victoriâ non tantùm in præsens tempus ubertatem, sed etiam in futurum certissimam spem ingenuisti (te Principe) se nihil triste, aut miserum pati posse. Magna quidem hæc sunt, & quæ nulla unquam debeat ætas abolere: sed nisi provideris, quomodo hæc possint esse perpetua, timendum erit, ne fortè his

rebus

rebus tuis certè magnificis, frustrà lætati simus. Multa enim à te providenda sunt, multa cavenda; sed nescio, an aliquid aliud majus sit, quàm, ut quod apud Platonem * præclarè scriptum est: ita totum corpus Regni tui procures, ne, dum partem unam tueris, reliquas deseras. Qui enim partem civium consulunt, partem negligunt, rem (ut ille inquit) perniciosam in suas Urbes inducunt. Quod periculum longè absuturum à te scio, si te potiùs ad tuam naturam, & consuetudinem retuleris, quàm eorum, quibus ista displicent. Non dico, quòd homines sceleratos, & qui nullâ tuâ clementiâ possent tibi fideles fieri, in patriam restituas; sed ut in bonis viris perficias id, quod cœpisti; jube enim sua bona illis restitui. Hoc est maximum, & summum, quod Deo possis hoc tempore, & hominibus gratissimum referre. Quoties verò procurationes Urbium, & officia erunt à te distribuenda; vide, ut potiùs eligas ad quos illa velis deferre, quàm ut his hominibus deferas, qui in petendo sunt nimis attenti; sæpe enim est meliùs cogere bonos viros ad honores, & dignitates gerendas, quàm illas ambitiosis pretio concedere; non enim emunt, nisi quod postea cariùs vendant. Proximum huic erit, ut assentationibus non aperias aures; nec eos libenter audias, qui non quærunt, nisi quomodo possint inflammare tuum animum, & in odium illorum adducere, quibus ipsi non sunt amici. Ministrabis autem omnibus æquabiliter justitiam, & maximè in puniendo. Eris clemens in eos, qui magis errore aliquo decepti, quàm fraude tracti aliquid fecerunt contra jus: præbebis te omnibus affabilem: non permittes aliquem à te tristem discedere: etiam si non possis illis re satisfacere, tamen bene eis respondebis; incredibile enim est, quantum omnes blandus sermo Principis delectet. Sæpe autem ostendes te civibus tuis, & quicquid à tuis Magistratibus fiat, sæpius inquires; negligentia enim Principis impunitatem parit: impunitas verò immensos, infinitosque errores. Summa est: fac ut omnes te ament, ac mirentur; nihil enim aptius est ad Urbes tuendas, ut à Stoicis dicitur, quàm diligi: nihil alienius, quàm timeri. Curabis etiam, ut

* Quem secutus est Cicero de Officiis lib. 1.

ut diligentem rationem habeas de proventibus, & expensis tuis, ne plus effundas, quàm facultas ærarii tui ferat; multa enim tempora accidunt: quibus, nisi pecuniæ sint repositæ ad dubios eventus fortunæ, necesse est, ut Principes aut præter æquum, & bonum suos cives premant; aut periculum sui status incurrant. In omnibus autem rebus consilio sapientum uteris. Plura sunt, amplissime Princeps, ad quæ animus erat te hortari; sed cùm omnia perspicias tuo illo excellenti, ac summo ingenio, quæ potentiam tuam possint non tantùm ampliorem, sed etiam diuturniorem reddere; video, te admonitione non egere. Magis ergo ut fidem meam tibi probarem, hæc ad te scripsi, quàm ut ullam ostentationem apud te quærerem. Unum est, quod à te velim maximè provisum esse; cùm omnia feceris, quæ sunt optimi Principis, & quæ omnes tui cives laudent; illud summo studio curabis, ut te quàm diu conserves tuis. Nec solùm tibi à clandestinis insidiis cavebis, & cæteris periculis, sed etiam adhibebis omnem diligentiam circa tuum victum; in tua enim vita innumerabilium hominum salus est posita. Si hoc feceris, magis alienæ saluti, quàm tuæ consules. Vale, Principum clementissime, & me commendatum habe. * Patavii 1412.

GASPARINUS BARZIZIUS
FEDERICO CORNELIO
S. P. D.

Noli putare, me tui oblitum esse, quod postquam à te discessi, nullas, ut pollicitus fueram, literas ad te scripsi. Nam, etsi magni bellorum motus hîc fuerint, non tamen officium prætermisissem, nisi totum ferè tempus meum consumendum mihi fuisset circa negotia, quæ ad rationem publicorum studiorum pertinebant. Sed deinceps curabo; ut quoties dabitur, cui possim literas meas committere; nemo à nobis ad vos veniat, qui non à me ferat aliqua documenta nostrorum majorum, quibus te do-

* Anno 1412. scripsit Barzizius hanc epistolam gratulatoriam, postquam Philippus Maria Vicecomes rebelles cives devicerat; quod hoc anno contigit, ut ex Corio Istor. di Milan. lib.4. fol.307 pag.1.

ctiorem in dies facias. Interim verò, quantum ætas tua patietur, apud Facinum * nostrum proficies: nec permittes ullo in genere bonarum artium te ab illis superari, quos & tua nobilitate, & parentum gloriâ longè antecedis. Vale Patavii 1412.

GASPARINUS BARZIZIUS
CAROLO SENONI
S. P. D.

Etsi priusquam tuæ literæ mihi redderentur, ego jam omni officio meo, ac pietate in necessarium tuum per literas meas functus essem; tamen posteaquam intellexi, quòd valde adolescentem istum amares, magnus certè amoris cumulus ad meam pristinam in eum benevolentiam accessit. Cùm enim pater ejus, homo nobilissimus, paucis diebus, antequam è vita excederet, illum fidei meæ commendasset, id effecerat; ut si (quod re non multo post accidit) ipse moreretur, longè majori studio in filio ejus effingendo, atque formando futurus essem, quàm si incolumis filio superfuisset. Multa, ut ita facerem, me adhortabantur: sed nescio, an aliud magis, quàm liberorum meorum respectus. Ea res maximè animum movit, ut talem me in filio amici præberem, quales cæteros vellem in meos esse; si vel casus aliquis, vel natura illos vitâ, & auxilio meo privasset. Satis igitur hæc ratio me commovebat, ut juvenem istum haberem mihi commendatissimum. Accesserunt postea literæ tuæ, quibus mihi significas eam necessitudinem, quæ tibi erat cum patre ejus, dum adhuc viveret, commendasque eum magnopere mihi; neque id solum per tuas literas facis, sed etiam per Prætorem ** nostrum: qui, & quia te maximè diligit, & quia filius collegæ sui erat, non minus quàm tu ipse, pro amico tuo solicitus fuit. Ego vero cùm his rationibus, quas ante dixi, constituissem in animo habere ipsum charissimum; tamen, postquam de tua in eum necessitu-

* Ventrariam Bergomatem.
** Fantinum Dandulum.

situdine, & benevolentia certior factus fui, & quòd is eum commendabat, per quem multa sum adjumenta vitæ, atque ornamenta consecutus; cœpi multo chariorem, quàm prius, ipsum habere; scis enim amicitiam nostram non sumpsisse nuper initium, & extant plurima in me officia, & beneficia tua, quorum etsi tu oblitus es, nondum tamen ex animo meo cesserunt, neque unquam cedent. Nam cùm bellis civilibus patria mea cœpisset exardescere, tu potissimum ad illud incendium restinguendum missus ab eo Duce * fuisti, qui tum ferè omnem Cisalpinam Galliam regebat: in quo ita omnes tumultus orientes virtute, ac sapientiâ tuâ compressisti, ut paucis diebus nulla omnino bellorum civilium vestigia apparerent. Multum debet tibi Respublica, quæ nulla fortè hodie esset, nisi tua fortitudine liberata, ac sæpe defensa, & conservata fuisset: sed plura, meo judicio, patria mea, cui cùm tu nihil deberes, tamen illud effecisti, ne tam citò illa in cineres rueret. Ingratus ergo essem tibi, qui patriam meam, qui cives, qui me ipsum conservasti; nisi filium necessarii tui plus etiam, quàm liberos meos amarem. Tantum igitur in eo expoliendo tibi polliceor, quantum & natura ejus patietur, & meo labore, ac industriâ effici poterit. Vale Patavii quarto Idus Aprilis 1412.

GASPARINUS BARZIZIUS FRANCISCO ZABARELLÆ *Cardinali Florentino* S. P. D.

QUo animo sim, Pater humanissime, aut quo in statu sint res meæ, etsi non dubitem, facilè te posse pro tua summa sapientia conjecturam facere; tamen volui reddere te de omnibus rebus meis certiorem. Ab illo enim die, quo tibi de fortunis meis anno superiori multa scripseram, semper mihi postea deterius fuit. Secutum quidem est bellum, cui etiam qui

* Joanne Galeatio Vicecomite.

qui propinqui non fuerunt, tamen terrore ejus, qui maximus in principio fuit, non parvam rerum suarum jacturam fecerunt. Multa præterea incommoda, quæ nunc taceo, huic malo accesserunt; cùm interim propter desolationem communium studiorum eò res perducta fuit, ut qui sibi victum, aliquorum hominum literatorum concursu, habebant, destituti omnino fuerint, & in magnis molestiis positi. Nunc verò quæ spes in futurum sit, aut pacis, aut otii, aliud non dico, nisi quòd maximè timeo; ne ipse metus bellorum, qui nondum penitùs potest ex animis hominum evelli, magnum aliquod iterum incommodum afferat præsertim his, qui studia quietis, & literarum sequuntur. Sed quia ista non arbitror tibi aut nova esse, aut ignota, plura hoc loco verba non faciam. Nam per ea, quæ hîc de Romana Curia divulgabantur, hæc nostra incommoda, quæ nuper commemoravi, quasi ludus, ac jocus fuerunt præ illis, quæ vos passi fuistis. Sed hoc inter vestra mala, ac nostra refert, quod vos omnes pro vestra constantia constituebatis omnia fortiter à vobis ferenda; nos autem neque virtutem illam habebamus, neque si habuissemus, ea fortasse ita securo animo uti licebat; si nostros liberos tantum amare volebamus, & incolumitatem eorum appetere, quantum ipsa natura unicuique nostrum præscripserat. Ex quo necesse fuit, nos etiam in rebus minùs asperis aliquanto miseriores fuisse. Sed res ierunt quò illas vel casus, vel hominum error impellebat. Illud meliùs vobis accidisse gaudeo, quòd inter illa maxima, ac prope ultima adversa, in quibus ferè sine ulla spe excundi omnes jactabamini, repente quasi in sævissima tempestate splendor * quidam ab ipso Cœlo refulsit, ac supra naviculam Petri (ut vos soletis dicere) omnibus admirantibus, cecidit: qui non solùm attulit vobis optimam spem, sed certissimam etiam salutem; quare nemo dubitaverit hanc rem tantam, ac tam insperatam, divino potiùs administratam consilio esse, quàm humano. Quis enim posset aliter sentire, qui in ipsa penè hostis vestri victoria audisset pacem tam facilè ab eo impetratam, ut po-

* **Concordia inita inter Joannem XXIII., & Ladislaum Regem die 15. Junii anno 1412. Theodoric. a Niem in vit. Joannis XXIII. pag. 20.**

potius illa oblata, quàm petita videatur. Quid autem nobis futurum sit, qui adhuc in alto jactamur, nec sinè suspicione malorum sumus; etsi optimè sperem, nondum tamen satis perspicio. Illud autem boni in hoc timore assequimur, quod habemus Senatum in providendis rebus, quæ vel ad officia pacis, vel bellorum pertinent, sapientissimum, Magistratus vigilantissimos, cives autem omnes, ad quos status, & summa Reipublicæ spectat, in recuperanda pecunia pro sumptu belli maximè promptos: Ducem* verò exercitus talem, ut nulla in eo aut virtus, aut disciplina militaris desideretur. Est præterea ipsa Respublica opulentissima, ac florentissima omnibus copiis, ac rebus necessariis ad maximas res conficiendas; ut in perpetuum facilè omnia suppeditare posse videatur, quæ vel ad constantiam bellorum, vel ad victoriam pertineant. Sed hæc missa faciamus; intelligo enim me aliquanto longiùs provectum, quàm à principio constituissem. Venio ad ea, quæ me propiùs tangunt. Nescio, an ii motus, ac perturbationes rerum, de quibus paulo ante dixi, magis incommodo cuiquam cesserint, quàm mihi uni, qui non solùm publicum timorem comitatus sui, sed etiam antecessi: neque me opes meæ tam solicitum reddebant, quia magnæ, & amplæ essent; sed magnitudo familiæ, quæ post me trahenda erat, & paucæ quædam reliquæ fortunæ timidiorem faciebant, quàm fortè homini literato conveniret. Hæ ergo res, quas dico, me non sinebant quicquam deliberationis, aut consilii capere. Navigavi credo plusquam millies, ibam, redibam: is rerum mearum exitus fuit, quod dum eas maximè conservare cupio, penè funditus perdidi; subjeci enim libros meos hastæ, quod vix possum ad te, qui literatissimus es, sinè summo dolore, & lacrymis scribere. Alienavi quidem à me ea, sinè quibus cæteræ meæ res satis salvæ esse non poterant; & quod deterius est, illa, quæ remedio malorum meorum comparaveram, quò studiosiùs servare, ac tueri volebam, eò citiùs amisi. Aliud non restabat, nisi ut, sicut libros, quos æris alieni causa, quod magnum contraxeram, proferebam emptoribus, etiam non cupidis; ita & libros, quos multos ha-

* Carolum Malatestam.

habeo, creditoribus in solutum traderem, quanquam in tanta fame hoc à me periculum aberat. Tandem Patavium cum meis redii; libris imminutis, & familiâ auctâ. Timeo, ne possim diu hîc esse, nec satis habeo, quò me hoc tempore cum tot filiis conferam. Habes ergo, Pater optime, quàm deteriore loco res meæ sint, quàm olim, cùm ad te scriberem; & tamen miserrimus mihi videbar. Quæ autem spes in posterum sit, aut apud quos homines posita, cùm à te recessero, nemo erit, cui satis confidam; nam aut qui mihi amici sunt, non possunt rebus meis opitulari: aut si qui inveniuntur, qui auxiliari possint, fit, ut in maximo concursu, ac frequentia contendentium mecum apud illos de eadem re, ipsi mihi præferantur, vel quia magis molesti sunt, aut quòd attentiores, ac diligentiores in petendo quod volunt: mihi verò propter occupationes meas illud ferè accidit, quod ægro illi, quem cùm nemo tempestivè deferret in piscinam, aliis prævenientibus, ipse multis annis in ipso aditu languebat. Non dico, quòd amore, & benevolentiâ minus apud meos acceptus sim; sed quòd talis fortuna mea est, ut cùm jure potior sim, tamen beneficio inferior existam. In te autem nihil tale mihi timendum esse video, cùm & eò tua virtute, ac sapientiâ provectus sis, ut plurimum tuis prodesse possis; & in conferendis beneficiis omnes dicant eam in te esse prudentiam, atque constantiam, ut nemo extorquere possit à te illud judicium, quod semel in delectu amicorum tuorum feceris. Tu ergo solus efficis, ut omnem spem meam, ac omnes cogitationes in te unum conferam. Noli quæso pati, te vivo, me esse miserum. Moveat te animus meus, moveant fortunæ, & ipse denique numerus filiorum, pro quibus magis, quàm meâ causâ discrucior. Non contendo apud te, quod me locupletem facias, aut quod his rebus exornes, quas nunquam nimis concupivi. Fac tantum, ut tot adolescentulorum ingenia adhuc crescentia possim producere. Quod si aliquâ industriâ meâ, aut labore fieri posset, te ita agente, nullâ aliâ re mallem familiam meam, quàm quæstu meo alere. Si vero id nimis; vide, si à te aliquod beneficium impetrari potest iis meis liberis, qui tui sunt, aut alteri eorum, quo sibi, ac suis sumptus possint suppeditare ad aliqua bonarum artium studia. Quod si opti-

si optimas cogitationes, ac studia tuæ in me perpetuæ benevolentiæ fortuna semel, atque iterum fefellerit; non tamen cessabis de me sæpe cogitare, & omnia dicere, ac facere, quæ me possint ab his malis, quibus conficior, eximere. Judicabis ex multis, & maximis laudibus tuis nullam esse majorem, quam si tuo præsidio tot liberi mei non solùm vitam habeant; sed etiam quidquid optimarum artium, ac disciplinarum consecuti fuerint, tibi uni attribuant; ego enim, quantum in me erit, vitam citius amittam, quam hanc spem in te positam. Vale Patavii 1412.

GASPARINUS BARZIZIUS
FRANCISCO ZABARELLÆ
Cardinali Florentino

S. P. D.

CUm de rebus, quæ & tibi, & Romanæ Ecclesiæ his diebus adversè acciderunt, Pater Reverendissime, nihil adhuc certi haberemus, multaque huc de te afferrentur quotidie nova, quæ penè me exanimarent; non priùs potui de tua salute certior fieri, quàm id mihi significatum fuit per Protonotarium Venetum, hominem tui, ut nosti, amantissimum. Is enim, ut est rerum ad te pertinentium curiosissimus, narravit mihi, se & literis, & sermone multorum cognovisse, quòd salvis rebus tuis, incolumis ex manibus hostium evaseras. Sed tamen aut ubi esses, aut quàm prope à nobis perventurus, dicebat, se nondum vel à tuis, vel ab aliis audivisse. Ego verò, cùm in tanto periculo jam ferè de tua salute desperarem, visus mihi sum ex iis, quæ ipse de te magna cum voluptate retulerat, quasi revixisse. Postea verò quàm idem mihi renunciavit te Bononiam adventasse, majorem aliquanto lætitiam animo concepi, quod saltem in Urbem non procul ab hac nostra pervenisses, quàm ex tuo casu tristitiam. Cogitabam enim te satis esse ad omnes res asperas ex superioribus temporibus exercitatum; nec ullam posse tantam rerum mutationem accidere, in qua non tibi magno animo constares. Si quid autem erat, quod in ea re aliquam tibi molestiam

lestiam attulisset; totum id judicabam non tuâ, sed Reipublicæ causa contractum. Non ergo putavi quicquam mali ex hac, velut quadam tempestate repente orta in Ecclesia Dei, ad te posse pervenire. Nihil, ut dixi, quantum ad communem hominum jacturam pertinebat; sed ego in hoc ipso tuo periculo timebam & mihi, & cæteris amicis tuis: quibus ut semper maximo ornamento fuisti, ita postquam ad hanc prope summam dignitatem assumptus es, dedisti non parvam spem, te incolumi, nunquam rebus nostris diffidendum; & hoc ipso te maximè beatum arbitror, quòd nostra salus in tua dignitate sit posita. Sæpe quidem, ut de cæteris rebus tuis, quas semper admirari soleo, ita & de hoc tuo in nos omnes animo sermonem cum amicis tuis facio; sed cum nullo sæpius, quàm cum hoc nostro Protonotario; est enim incredibile, quanti omnia tua faciat: quoties enim eum convenio, aut me hortatur, ut aliquid ad te scribam, aut ferè totus sermo de tua sapientia ab eo consumitur; vel quod nihil me judicat libentius, quàm de te audire, vel quod tantum animo tibi affectus est, ut sibi temperare nesciat. Non negabo hodie tibi affectum meum; cùm enim prius charissimum haberem propter societatem communium studiorum, dehinc verò sua dignitate illum colerem; cœpi postea, quia te summè amat, multo pluris auctoritatem suam facere, judicavique unum ex paucis, qui apud nos essent, in quem omne officium meum, atque reverentiam conferrem. Sed jam longiùs progredior, quam à principio instituissem: redeo ad ea, quæ supra mihi proposueram. Plurimum & gaudeo, & gratulor, quod fortuna te nobis conservavit; nec est passa, tuam salutem, quæ nobis penè charior est, quàm vita nostra, à publica salute disjungi. Neque puto de restitutione Ecclesiæ melius alio tempore sperandum esse, quàm quò majores persecutiones patitur. Necesse est enim (nisi deos Gentium colere volumus) ut hi, qui rerum potiuntur, & se Principes dici volunt, aut hoc tempore è somno excitentur, & communem Rempublicam armis inimicorum perturbatam vindicent; aut nunquam expergiscantur, & huic ipsi Regi * serviant, qui sibi maxi-

* Ladislao

maximæ voluptati ducit, non solum Ecclesiæ statum evertere, sed etiam publicum totius Italiæ otium, ac pacem perturbare. Quod si receptum non est, nobis certè de * Romana Ecclesia optimè sperandum videtur, ac de tua felicitate vel conservanda, vel augenda confidendum. Vale, & ut soles, me valde ama. Patavii Nonis Quintilis 1413.

GASPARINUS BARZIZIUS
JOANNI BARZIZIO
S. P. D.

BInas à te recepi literas, quibus tuam diligentiam, & summum studium nobilissimi viri Valerii Marcelli in res nostras ad me scripsisti. Ego verò, ùt illius officium, ita industriam, & solicitudinem tuam laudo, & te hortor, ut non defatigeris, maximè hoc tempore, omnia, ut facis, ratione, & consilio perficere, & sæpe ad me scribas, quo in statu omnia nostra sint. Vehementer autem à te quàm sæpe literas ad me dari desidero, quid agat puer ille divini ingenii Guinifortus meus. Scis quantum eo delecter propter illam incredibilem vim naturæ, quæ annos suos ultra indolem omnium puerorum, quos ego noverim, judicio meo antecessit. Nihil, Joannes mi, potes facere, quod magis à te expectem, quam te summam curam hujus pueri gerere. Quantum enim proficiat in te est, cum discendo ut nullus terminus, ita etiam nulla ei molestia sit. Servabis autem in eruditione, & doctrinâ illius non solum diligentiam, sed etiam modestiam, & humanitatem; nondum enim, ut nosti, agit ** annum septimum, quamvis jam par sit multis adolescentibus, qui circa prima rudimenta satis instructi sunt. Trahitur ergo multum ætas

* Hoc anno Roma capta à Ladislao Rege die 8. mensis Junii, fugit ab Urbe Pontifex cum Cardinalibus. Theodoric. a Niem in vit. Joannis XXIII. pag 21.

** Natus enim fuerat Guinifortus anno 1406. ut ex epistola Guiniforti ad Joannem Augustinum, & Christophorum Barzizios Mediolani scripta decimo quarto Calend. Aprilis anno 1438.

illa ad amorem literarum, blanditiis, & quasi ludo magis, quàm timore, & flagellis: hac ratione puto veteres appellasse eos, qui his literis, & huic ætati sunt præpositi, magistros ludi; quod ludo quodam pueri sint ad rem eis novam, ac insuetam allicien-di. Hæc ad te non scribo, quia de tuo studio dubitem: omnes enim, qui à te ad nos veniunt, curam, ac solicitudinem tuam in omnibus rebus nostris cum laudant, tum illud te accuratius facere dicunt, quod ad Guinifortum meum pertinet; sed ut intelligas me tanti hoc officium tuum facere, ut nulla res sit, quam pro nostra necessitudine magis à te fieri expectem. Vale Patavii 1413.

GASPARINUS BARZIZIUS FRANCISCO ZABARELLÆ

Cardinali Florentino

S. P. D.

JOannes Sacerdos, unus ex secretis familiaribus tuis, Pater optime, nuper à te veniens me convenit, multaque de meo statu percunctatus est, ut à te in mandatis habuerat; ex quibus incredibili voluptate me affecit. Admiratus enim fui, quòd inter maximas res, & summas occupationes tuas, quas unus majores cæteris Patribus pro publica salute suscepisti, vacaverit tibi etiam de fortunis meis, atque de omni casu meo cogitare; ex quo, etsi à te valde amari semper judicaverim, nunquam tamen de tuo in me summo amore certiorem, quàm hodierno die fecisti. Gaudeo medius fidius, neque id mediocriter, quòd me tantum diligis; sed non minùs tuâ causâ, quàm meâ delector, quòd nil apud te cùm sim emeritus, tamen maximum in me benevolentiæ tuæ studium contulisti: quod ego non possum nisi tuæ virtuti attribuere. Amare quidem eum, à quo multa in nos beneficia, aut benefacta extent, cùm id etiam barbaræ inter se observent Nationes, non id magnæ esse laudis duco; qui verò extremâ eum benevolentiâ prosequitur, quem nullo in se beneficio, sed nonnullâ fortassis opinione dignum esse, qui à se amari debeat, judicet, illum ego divinum potiùs hominem, quàm humanum judico. Meri-

Merito itaque non solùm immortales tibi gratias dico, quòd non pateris me de ea spe excidere, quam mihi olim dedisti; sed etiam huic tuæ clementiæ gratulor, qui nullo in te beneficio meo, neque officio, in tuis me habes. Talem enim te nasci voluit Deus, & postea ipse te optimis præceptis, institutisque confirmasti; ut nulla apud te major vel beneficiorum, vel amoris causa sit, quàm ea, quæ ad tuam virtutem augendam pertinet. Comparasti animum tuum ita ad omnia, ut omnibus, quibus honestè posses, velles prodesse; neminem offenderes; certumque haberes eorum delectum, in quos tuum officium, aut humanitatem conferres. A primo quidem illo die (nam juvat ab ipso usque initio repetere) quo ego me tibi commendavi, semper deinceps tua in me benevolentia major fuit. Nihil à me, quod aliquam dubitationem haberet, agebatur, in quo non tuo consilio uterer. Nunquam difficilem apud te aditum habui: nunquam me vel noctem unam hærere in dubiis rebus permisisti. Dehinc verò cùm sapientiam, ac virtutem tuam ea dignitate, in qua nunc es, ornasses; neque tua absentia, nec splendor ille honorum (qui non bono exemplo sæpe multos in oblivionem amicorum duxit) neque maximæ occupationes impedimento fuerunt, quin frequenter de me cogitares, & me ultro per tuas literas ad bene sperandum hortareris. Casus autem meos, quos ego propter perturbationes temporum, tum morte viri optimi fratris mei, & graves, & acerbissimos perpessus eram, ita consolatus es, ut omnem ferè molestiam tua in me pietate absterseris. Secuta est deinde rebus meis, quæ mitior esset, quam fuerat superiori tempore, fortuna; & quod tu mihi jam prorsus desperanti prædixeras, Deus animum meum abjectum, atque jacentem erexit: nec, quod maximè verebar, necessaria adhuc defuerunt. Multa fateor abesse, quæ si adessent, tranquilliori animo essem. Quamvis enim opes ad necessitatem suppeditent, nondum tamen ad ornatum; neque video qualiter aut ingeniis tot filiorum, aut dotibus septem filiarum fortunæ meæ possint sufficere. Si quid ergò est, Pater humanissime, quo vel in præsens tempus, vel in futurum melius possis rebus meis consulere, quæso, obtestor, obsecro, ut & fortunæ meæ, & virtutis tuæ memineris. Nullum

quidem laborem meum, nullum studium, aut diligentiam prætermittam, si quid erit, quod meâ possim industriâ efficere. Quod possum, tibi polliceor, animum scilicet gratum, memoremque tuorum in me, ac in liberos meos, qui tui sunt, beneficiorum. Sed hoc nihil ad tua in me promerita. Quod maximum, optimumque in hac re est, ex conscientia recte factorum, & à tua virtute repetes. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS

FRANCISCO ZABARELLÆ

Cardinali Florentino

S. P. D.

ETsi nihil possit mihi exploratius esse, Pater clarissime, quàm tua in me perpetua benevolentia, ac summum studium; tamen vix credi posset, quàm novam semper voluptatem percipiam, quoties aliquid de tuo in me amore aut dictum, aut factum intelligo. Quod etsi audire frequenter accidit, nescio tamen, an aliàs clarius, quàm nuper id literis Petri Pauli cognovi, apud quem, cùm de me (ut scribit) multum sermonem habueris, & omnia mea pro tua consuetudine magni faceres, illud etiam jussisti, ut me amaret, atque ad me scriberet. Is licet pares in dicendo tibi gratias apud te sit acturus, non tamen potui, quin & per me ipsum idem facerem: non quòd officium istud homini & amico, & oratori non rectè commiserim, sed quòd mos animo gerendus fuit. Sic itaque, Pater optime, habeto ex omnibus tuis in me officiis, quæ multa, & magna sunt, hoc vel maximum esse, quod amicum hodie per te consecutus sum: quo haud scio, an alius vir melior sit, doctior certè, aut pluribus artibus instructior, te excepto, meo judicio nemo. Ita enim cum ex his, quæ ab eo edita sunt, & quidem elegantissimè, tum sermone hominum non insipientium, qui frequens est, sæpe vulgari audio. Tantum ergo hac re tibi debeo, quanti amicitiam hominis optimi, & eruditissimi facio; qui si solvendo essem, non differrem vel unum diem, sed statim hoc ære alieno me exsolverem. Nunc verò cùm

cùm dicere nihil mihi esse religio sit (ut verbis Poëtæ comici utar) & me ipsum tibi superiori tempore pro multis aliis in me tuis meritis in solutum dederim; faciam quòd debitores non mali solent: qui non suppetente, unde suis creditoribus reddant, saltem hoc curant, ut diligentem calculi rationem habeant, versentque frequenter secum, quantum debeant. Conficiam ergo nova calendaria (nam priora jam tuis creditis omnia plena sunt) & in initio libri, in albo (ut dicitur) Petrum Paulum nostrum in receptum scribam. Summam autem non taxabo; est enim mea summa inæstimabilis; tu quanti voles taxabis, & ego ratum habebo. Vale Patavii pridie nonas Augusti.

GASPARINUS BARZIZIUS

ANDREÆ JULIANO

S. P. D.

Nisi te, & Danielem nostrum ex animo diligerem, tantá in scribendo ad utrunque vestrum libertate sæpe aliàs, & his diebus maximè, usus non essem. Necesse ergo vobis est, ut me feratis, judicetisque plurimum tunc vos à me amari, cùm maximè vobis molestus videor: aut amorem meum accusetis oportet, qui facit, ut videlicet possim æquo animo ferre, quod antiquæ consuetudini vestræ sit contrarium. Scis mi Andrea, olim me à vobis crebras habuisse literas, & tamen solitum esse, modò te, modò Danielem nostrum nonnunquam accusare, quia aut raras, aut perbreves epistolas ad me daretis. Nunc verò, cùm uterque vestrum sit in tanto otio, quod nullas prorsus habeam; ea re impulsus fui, ut pridie bellum vobis indicerem; nisi hos mihi paucos dies concederetis, quibus vobis frui possem: in qua re quantum profecerim, vos mihi non testes, sed optimi judices estis. Iterum vobiscum per alias egi literas, ut quid de vestra in me amicitia sentirem, facilè ex verbis meis possetis intelligere: quibus adhuc à vobis nihil responsum est. Tandem Prosdocimo viro optimo, & religioso hoc negotium dedi, qui te moneret, ut Patavium usque cum nostro Daniele accederes: ubi locus mihi esset

esset multa inter nos de amicitia nostra expostulandi, & ultro querendi: quod si factum esset, plurima certe à me audissetis, quæ vobis aures perculissent. Non ignoro etiam vobis dentes esse, propterea vos potiùs apud me, quàm me apud vos esse cupiebam; quo liberiùs verba, meo more, facere possem. Puto continuissetis manus vestras, cùm illud sciatis me multo plures vobis paratas habere: sed ut video, divinastis ita potuisse contingere: cavistis quàm prudenter à periculo isto. Vellem vobis irasci, sed non possum; nequeo enim inter medias querelas à joco abstinere. Verum ad Prosdocimum oratorem meum redeo. Habui literas tuas ab illo, & quidquid à te optaveram super illo indumento reficiendo, atque ornando. Quod autem utrique molestum fuerit, quia expeditionem pecuniæ cuique alteri, quàm tibi, & Danieli meo commiserim; optimâ id à me ratione factum defenderem, si possem de hac re vobiscum in præsentia disputare. Tandem habetote, quo faciliùs judicare possitis, qua in vos mente sim, me nihil sæpiùs, quàm de utroque vestrum cogitare; neque ullos homines magis, quàm vos diligere. Videte ergò quàm recte faciatis, qui homini amantissimo utriusque: homini, qui magis vos, quàm suos oculos diligit: non poteritis saltem quatuor dies indulgere, & aspectum vestrum tam modico tempore largiri; tunc vobis in mentem veniet, quis nostrum justè accusandus sit, & mirari desines mi Andrea, cur novo scribendi genere ad vos usus fuerim. Vale, & Danielem nostrum de his, quæ ad te scribo, certiorem facias. Patavii duodecimo Calendas Novembris.

GASPARINUS BARZIZIUS DANIELI VICTURIO

S. P. D.

QUanto sim dolore affectus, mi Daniel, renunciato mihi obitu optimi juvenis fratris tui, ex hoc potes cognoscere; quòd ego, qui olim in domestico luctu meorum semper aliquid habui, quo mœrorem eorum aliqua ex parte levarem; nunc

nunc ita animo destitutus sum, atque omnino abjectus; ut neque tibi, neque viro sapientissimo genitori tuo possim hoc tempore quicquam præsidii afferre. Eoque magis id mihi dolet, quod hoc officio tam necessario non possum in te fungi ego: qui tibi uni plura debeo, quàm cuiquam eorum, quibus certe plurima, & maxima debere me non nego. Quid igitur faciam, mi Daniel suavissime. Sæpe consilium cœpi nihil ad te scribendi; ne hoc adhuc recens vulnus tuum, cùm potiùs mederi debeam, exasperarem. Cavent etiam hoc idem medici; ne vulnera, quæ ipsi leviter obligaverunt, per aliquot dies omnino attingant; cùm sæpe intempestiva curatio plus doloris, quàm molestiæ attulerit. Quod etsi ratione fieri debere judicarem, permovebar tamen plurimum, & judicio tuo, quod semper magnifeci, & communi hominum opinione, quæ est de summa inter nos benevolentia, & maxima necessitudine ita confirmatum; ut nemo dubitet, quantum ego te amem, & quantum invicem ego à te observer, & maximè diligar. Cui, qualiter à me occurri posset, nisi aliquid literarum super hoc tuo dolore ad te statim dedissem, prorsus non videbam; potuisset enim potiùs negligentia, quàm consilium videri. Revocavi itaque me inde, constituique id minore amicitiæ nostræ injuriâ fieri; si hujus tui mœroris, atque luctus me tibi socium, atque participem adjungerem, quàm si huic famæ non consulerem, neque naturæ meæ, neque consuetudini obtemperarem. Dabis itaque mihi veniam, si nihil præter lacrymas ad te fero; nec aliter de me judicabis, aut alio eris in me animo, quàm soles in eos esse, qui cùm ad te consolandi causa confluunt; tunc, etsi tuos magis luctus renovent, efficiunt tamen, ut nonnullam tu ipse ex lacrymis eorum inter illos mœrores tuos voluptatem sentias; cùm hanc animi tui ægritudinem multis communem intelligas. Hoc itaque genere consolationis, quamvis alieno, neque sapiente homine satis digno, levare te possum. Quod si pro singulari tua modestia hoc meum factum non probabis; ego totum crimen istud in te rejiciam: qui tuo merito fecisti, ut tantum te amarem, quòd neque modum, neque constantiam possim in hoc tanto, & tam gravi dolore tuo habere; neque quicquam tibi, neque mihi provide-

videre. Cùm enim casum hunc tuum cogito, nescio quo animo hujus amantissimi fratris tui mortem ferendam esse dicam: qui optimum genitorem suum, qui te fratrem dilectissimum, qui charissimam genitricem suam, atque sorores ejus virgines honestissimas, qui amicos omnes tanto luctu moriens, nuper confecit, ut nullo majori, neque pari, multis annis antea domus tua afflicta fuerit. Quid enim est, quòd satis queri possim, aut fortunam accusare, quæ juvenem hunc, jam maximum domus suæ præsidium, & paulo post in sua Republica futurum Civem egregium; tam repente à vobis in ipso flore juventutis, ac præclaro vitæ cursu abstulerit? Neque id in patria inter charissimorum parentum complexus; sed adeò in extremis usque terris, atque à patria sua disjunctissimis, ut vestris triremibus nulla expeditio longior nota sit, aut magis vestris classibus periculosa. Ego certè, quò apud te excusatior sim, si meos luctus nimis videor effuudere, facilè ignosco doloribus tuis; quòd præter illam singularem animi moderationem, talem fratrem fortasse magis, quàm homini sapienti conveniat, luges: quanquam scio te citò lacrymis tuis modum facturum. Neque de illa tua incredibili modestia animi, ac virtute dubito, quamvis id à te in præsentia fieri non possit; spero enim te hujus rei præsidium potius à prudentia tua, quam à tempore mutuaturum. Quod, etsi paucis nostrorum hominum concessum sit; tamen ea existimatione, quam de te homines doctissimi faciunt, non id facere, minimè dignum, ac decens esset. Sic enim te exoratum omnes volunt, qui te amant; & ego in primis, qui te maximè diligo, ut fortiter hunc tuum casum feras, ipseque miserandum genitorem tuum in hoc mœrore alloquaris. Consoleris etiam tuam optimam genitricem, ac omnes tuos, qui nunc dolore infinito tanguntur. Jam quidem tota domus tua ad te unum respicit. Amici omnes etiam attendunt, quod eis exemplum, quem dolendi modum statuas. Si enim magno, & invicto animo hunc tuum casum feres; multo majorem ex hac tua virtute gloriam, quàm ex desiderio amantissimi fratris tui incommodum, te referre senties. Vale, & memineris te Danielem esse. Patavii Calend. Novemb.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS

ANDREÆ JULIANO

S. P. D.

SEcutus essem statim literas, quas super morte fratris ad Danielem mitto; nisi Christophorus Parmensis, vir ut eruditissimus, ita meo judicio nostrum omnium amantissimus, mihi significasset, quanta cum virtute Daniel meus hunc suum tam acerbum casum ferat. Narravit enim mihi non solùm ita mortem ejus sapienter sustinere, ut neque fortiùs, neque prudentiùs quisquam talem casum ferre possit; sed etiam optimo genitori suo, atque matri fœminæ prudentissimæ magnam hujus mœroris partem, quem communem habet secum, levare. Amavi semper, ut optimè nosti, Danielem nostrum, quia in eo multas virtutes cognoscebam, quæ etiam senectutem maximè exornant: nunc verò hunc hominem tantum admiror, ut paucos ei pares faciam, neminem verò anteponam. Non hæ sunt laudes hominis, qui in tanto splendore fortunæ & natus, & nutritus sit; qui nihil unquam adversi sustinuerit; sed aut sapientissimi alicujus, aut gravissimi hominis, quales olim Philosophos videbamus; aut alicujus, qui multos casus tulerit, & varias fortunæ injurias diu ferendo vicerit. Quæ, etsi verè mihi à Christophoro nostro relata putem, habeamque sibi tantam fidem, quantam homini doctissimo, & amicissimo haberi convenit; tamen maximè tuas literas expecto, ut per te certior fiam de hac summa, & incredibili ejus virtute. Quod si feceris, tantum ego huic divinæ virtuti suæ congratulabor, quantum vis ingenii, & otium meum permiserit. Vale Patavii Calend. Novemb.

GASPARINUS BARZIZIUS

ANDREÆ JULIANO

S. P. D.

HAbui nuper à Daniele noſtro literas, quibus mihi ſignificat, quo animo tulerit mortem optimi juvenis Andreæ fratris ſui: quas ego tardius ab eo abſolutas puto, quia impeditus dolore maximo fuerit; ſcis enim, quantum ipſe hunc fratrem amaverit. Eſt præterea homo omnium, quos ego noverim, ſingulari in ſuos pietate, & benevolentiâ. Judico itaque eum non ſolùm propter cauſas, quas ſtatim dixi, veniâ dignum, quia has literas diſtulerit; ſed noſtra etiam laude proſequendum. Sed ad literas ejus redeo, quibus nihil propemodum unquam aut miſerabilius, aut modeſtius legi. Cùm enim attentiſſimo animo eas inſpicerem (fatebor mollitiem meam tibi) ſæpe ab ipſarum lectione rejecit me dolor, & major quidem ſolito, qui non primo, ſed longè acrior me pervaſerat. Nunquam aliàs tantum ſenſi, quantam vim haberet inter homines ſive amor, ſive eloquentia, ſive quod verius eſt, utrunque. Semper ingenium Danielis noſtri maximi feci: ſemper humanitatem ejus, prudentiam, & ſingularem animi illius modeſtiam laudavi; propterea nunquam dubitavi hunc hominem in his virtutibus, multis & majoribus natu, & quidem gravibus, & honeſtis viris præferre. Nunc verò non ſolùm alios, ſed & ſe ipſum multum ſuperare mihi viſus eſt; nec facilè dixerim, utrum in eo magis admirer aut ingenium ejus, quod certè maximum eſt, aut illas prope divinas in ea ætate animi ſui virtutes. Ita mirum in modum natura ſua ipſum ad utrunque compoſuit. De qua re, ſi mihi per occupationes meas liceret, ita judicium ejus ad te perſcriberem, quo nihil à me ullo tempore ſtudioſius, nihil verius factum eſſe cognoſceres. Unum hac in re non præteribo. Cùm me tandem recepiſſem, & ejus literas poſt aliquod tempus ad finem uſque perlegiſſem; ſtatim eas legendas tuli nobiliſſimis adoleſcentibus, qui apud me nutriuntur, horum ſtudiorum gratia,

tia, in quibus te facilè inter æquales tuos principem locum habere, & multis præstare video. Neminem autem ferè eorum in eo conventu vidi, qui ad hujus epistolæ recitationem non lacrymatus fuerit. Sive enim unumquemque pietas suorum, (quod frequenter accidere video) hoc exemplo tetigerit; sive naturali quodam in alienis malis affectu, qui aliorum vicem paulò minùs quàm suam dolet, ad eam ipsam rem impulsi fuerint; sive quia mihi non secus, quàm communi eorum parenti affecti sunt; plurimum angebantur causa amici mei, pro quo tantum dolorem me concipere palàm videbant. Omnes mirum in modum attoniti, atque stupentes aliquamdiu steterunt. Quid autem de acerbitate illius casus, & de epistola illa judicarent, postera dies indicio fuit. Nullum quidem ferè conveniebant, qui homo doctus haberetur, quem non illico super hoc alloquerentur; declarabantque multis signis, quantum epistola Danielis nostri vel ad lacrymas, vel ad vim dicendi posset. Non negabo tamen multos homines eruditissimos in admirationem hujuscemodi generis dicendi tractos esse: plures etiam magno in legendo mœrore correptos: plurimos verò utraque re satis commotos fuisse, inter quos Valerius Marcellus, homo cum summo loco Patriæ suæ ortus, tum etiam summis, & maximis virtutibus ornatissimus, & earum artium maximè studiosus, sinè quibus neminem arbitror posse magnum civem apud suos fieri. Is enim, cùm in primis observantissimus mei, & meorum sit, tam magno fuit animi mœrore implicitus, ut nullo modo totam illam epistolam perlegere potuerit. Affirmavit se neque audivisse, neque legisse multis annis quicquam, quod animum ejus tantum perstrinxerit; subjiciebat enim quosdam in illis verbis, atque sententiis inesse velut doloris aculeos. Movebat ipsum præterea non modicum persona scribentis, qui ut verè, ita efficacissimè omnes doloris casus complectebatur. Dicebat autem illud, quod ego verissimum intelligebam, illam epistolæ primam, & majorem partem, quæ tota erat lacrymis, & tristitiâ perfusa, relinquere nescio quid tacitis sensibus majus, atque acerbius, quàm ipsa oratio significasset. Eousque verò maxima pars illius epistolæ nos omnes in mœrore detinuit, donec

 ad

ad ultimam ejus partem pervenimus. In ea parte Daniel noster, quanta foret ejus modestia, ita nobis omnibus, qui tum ibi aderamus, certum fecit, ut omnes has animi nostri molestias virtute sua absterserit. Fuit quidem omnium una vox, hominem nasci non posse, neque nostro tempore natum esse, qui vel majori in suos amore, vel fortiori posset constantiâ animi, atque modestiâ in tali casu uti. Charus erat mihi antea Daniel noster, sicut nosti, & tantum quidem, ut neminem cuiquam esse chariorem putem; sed, posteaquam in ea virtute ipsum conspexi: in qua me non posse consistere, & si nonnunquam aliàs, tamen in hoc suo casu maximè expertus fui: tantum amori meo in eum accessit, ut nunquam eum, aut nunc verè dilexisse mihi videar. Bene ergo in hoc mihi factum puto, quod hunc amorem meum, quem inter ipsum, & fratrem suum divisum habebam, totum in Danielem nostrum non solùm accumulatum transtuli, sed etiam valdè adauctum, & plusquam duplicatum sensi. Hæc ad te, mi Andrea, potissimum scripsi; ut qui hunc omnium penè studiorum tuorum socium, atque adjutorem semper habuisti, cognosceres, quantum hominem istum majorem in modum amarem; & quale de ipso judicium hoc tempore facerem. Nunc verò tuas expecto literas, quibus sententiam animi tui, & hanc de Daniele nostro laudem exornes; nisi forte detentus es novo Magistratu, ad quem te nuper designatum, non tuis literis, sed sermone multorum intellexi. Vale Patavii pridie Idus Decemb.

GASPARINUS BARZIZIUS

DANIELI VICTURIO

S. P. D.

POstridie nonas Decembris redditæ mihi sunt à te literæ super morte nobilissimi juvenis Andreæ fratris tui; neque aliter, quàm illæ à te expectatæ fuerant. Confirmasti enim eodem die, quo ipsas legi, judicium meum, quod ego certè semper maximum de te feceram. Neque ulla in re alia melius declarare pote-

poteras illam vel naturæ, vel animi tui magnitudinem, quam, postteaquam dolori tuo satis indulseras, uti illâ tuâ modestiâ singulari: quam sæpe tibi, ut multas alias virtutes præcipuè attribui. Nihil profectò erat, quod hoc tempore magis à tuis expectaretur: ego verò longè animo provideram, hoc tantum onus humeris tuis levari à cæteris oportere; neque id ipsum melius ab illo, quàm à te ipso posse fieri. Quamvis enim patri tuo homini tum amplissimo, tum etiam sapientissimo omnia summa ad virtutem inesse viderem; tamen & propter ætatem, in qua est, & propter maximas suæ Reipublicæ curas, videbam illum hunc talem casum non satis forti animo laturum esse. Quid autem remedii sperare poterat huic dolori, vel à matre tua, fœmina quidem prudentissima, sed in hoc tamen casu fortasse nimis pia, vel à sororibus tuis virginibus honestissimis: quæ omnes, etsi in ea parte virtutis, ac modestiæ positæ sunt, ut penè cunctas alias antecellere putem, fœminæ tamen sunt; & quod ego maximè ad excusationem earum accedere judico, summa necessitudine huic, pro quo tantum dolebant, conjunctæ. Constitueram itaque mihi, superioribus literis, quas pridie lacrymans ad te dedi, has oportere partes tuas esse; ut dolorem tuum, qui maximus erat, non solùm cohiberes, sed etiam gravissimo viro patri tuo, matri, & omnibus tuis tempestivè adesses; faceresque, quod te pulcherrimè fecisse, tuis modò literis, intellexi. Amo te itaque merito, Daniel mi charissime; & si mihi ita loqui concedis, jam te admiror. Vide quid ad immortalitatem gloriæ tuæ casus iste attulerit. Cùm enim multis hominibus, ætate inferior esses, & rerum multarum experientia; ostendisti medius fidius hodierno die non omnia vel ætati, vel sapientiæ concessa fore; quantoque multis in hac ipsa animi tui constantia superior esses, docuisti. Quid enim in casu tuo prætermissum est, quod vel ab homine, qui suorum amantissimus esse debeat, vel à prudentissimo viro pro tali causa exigi, desiderarique possit. Primum quidem hujus optimi fratris tui mortem ita flevisti, ut nemo fletus tuos legerit, quem non tecum flentem habueris. Cùm verò impetum doloris tui sequeris, ipsam etiam domum tuam adduxisti, ut fortunam, ac deformi-
tatem

tatem suam in hoc recenti, ac novo funere deploraret. Qua in parte quis est, qui parietes ipsos, ac pavimenta, ipsaque tectorum tuorum laquearia sentire hos dolores, ac vivas non putaret voces edere. Quid illam miserandi genitoris tui gravissimam consternationem animi dicam: quam ea vi dicendi expressisti, ut vix locum illum præ nimia animi ægritudine unquam finire potuerim? Cumque id sæpius attentassem, semper impediebar lacrymis, cogebarque, quod toties incœperam, imperfectum, nec absolutum relinquere. Dicam tibi verè, Daniel mi suavissime: adeò ea in parte vehemens fuisti, ut nihil prope durius, aut difficilius expertus sim, quàm hujus loci mœrorem, atque tristitiam vincere. Moverunt certè me optimarum mulierum tam piæ lacrymæ; sed quia hic mos prosequendi funera suorum fletu soluto, ut ipsas decet, ita minimè viris convenit; vidi secundùm sententiam, quæ tua est, modum in ea re mihi habendum. Illa verò doloris significatio, quam viri de se ostendunt, majorem quandam habet vim, sed occultiorem; nam, & abscissa eorum verba sunt, & cùm maximè doleant, tunc eos dolorem suum aliis pudet ostendere: propterea sæpe vidi, quod in mœroribus suis, præsertim dum adhuc recentes sunt, conspectum amicorum, ac præsentiam fugerent. Multi quidem virtutis suæ conscii, tempore, judicantur inter illos dolorum suorum fluctus, ac tempestates non viros esse. Nolunt igitur, cùm dolent, à suis conspici; cùm sæpe aut verbum aliquod non se dignum ab eis excidat; aut vultus ipse, frons, oculi, ipsa denique membra omnia nonnullam fracti animi, & cedentis dolori suo significationem præbeant. Horum me gemitus, & interrupti, ac breves questus, plusquam credi possit, excruciant. Sed ad te redeo. Fecisti rem optatissimam, cùm post has lacrymas, quas mihi excitaveras, legi, qua prudentia usus fueris; præsertim dum adhuc omnia, ut novissima, ita acerbissima erant. Delectavit me nimiùm illa tuarum literarum particula, in qua scribis te expugnâsse dolorem tuum, ac vicisse. Nihil enim expectatione meâ dignius facere poteras, quàm & te ipsum, & hos exhortari ad ferendum hunc casum magno animo. Sed quia literas meas expectas, quibus animum tuum recreem (utor enim libenter

ter verbo tuo) non intelligo, quare tibi opus sit hoc officio meo. Illud habeo, de quo te admonere possum; ut si quando nimis hujus tui fratris absentiæ te pigebit, ultimam partem epistolæ tuæ legas. Neminem habeo in hac re, cujus tantum apud me auctoritas valere debeat, quantum tua. Hoc si feceris, nihil erit, cur aut meas, aut cujusquam literas desideres. Vale mi Daniel modestissime. Patavii pridie Idus Decemb.

GASPARINUS BARZIZIUS
DANIELI VICTURIO
S. P. D.

MAtthæus * Parmensis, vix è navi descenderam, convenit me; & pluribus verbis mecum egit, ut ipsum tibi eo modo commendarem, quo uti soleo, cùm aliquid à te volo, aut causa mea, aut eorum, quos charissimos habeo. Illud autem, quod à te maximè optat, est; si quid est, in quo opera tua ei prodesse possit apud eum, qui eligetur ad Præturam Montaneanæ, pedibus, & manibus enitaris, ut ipse in Scribam assumatur; multa enim, si perfectum id à te fuerit, pollicetur boni viri officium: addit etiam nonnulla esse, quibus utrique vestrum alicui erit commodo. Dicit sperare propter summam necessitudinem, & benevolentiam, quæ est inter nos, literas meas magno sibi adjutorio apud te futuras. Ego verò, etsi plurima in homine isto esse sciam, quæ eum debeant commendabilem facere; nihil tamen est, quod in hac re vehementius moveat me, quàm quod utrique nostrum maximè confidit. Est enim Sapientum sententia, magnum esse satis homini præsidium apud eum, de quo bene aut existimat, aut sperat. Ea res deinceps fecit, ut etiam his, qui malè meriti de me erant, bono animo adessem, quoties se aliquid à me firmiter sperare ostendissent. Et quia non ignoro te in primis eas & amare, & sequi sententias, quæ à doctis hominibus sint pronunciatæ; nihil majus

* Bergomensis in Cod. Vaticano legitur.

jus habeo, quod apud te pro illo rogem, quàm ut naturam, & consuetudinem tuam sequaris. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS

ANDREÆ JULIANO

S. P. D.

TErtio die, postquam tristis à te, & Daniele nostro discessi, redditæ mihi fuerunt literæ tuæ, & particula, quæ in omnibus ferè libris de Oratore nostro deficiebat: in quam, nisi fortè priùs incidissem, quàm illas comminationes tuas legerem, pertimuissem certè bellum, quod mihi denunciabat epistola tua. Sed bene se res habuit; cùm enim vulnus, & medelam simul ad me destinasses, citiùs me sanatum à te intellexi, quàm vulneratum: cui rei indicio fuit cicatrix, quam vix notavi in latere sinistro. Neque unde ea res esset, adhuc intelligebam; nisi postea mihi documento fuisset illa scriptorum tuorum pars postrema. Habeo itaque tibi non parvas gratias Andrea mi, quòd te natura tua hujusmodi artes docuit. Cæteri, si quando molesti suis fuerunt, iram ipsorum timent: ego, etiam à te aliquid simile verebar; sed hodierno die fecisti, ut nihil magis Deum rogem, quàm ut sæpe te mihi det iratum. Cogita nunc, quid ex te non perturbato amicos expectare deceat; cùm ego in maxima ira tua adeò mihi te commodum senserim. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS

DANIELI VICTURIO

S. P. D.

POssem, nisi tantum, Daniel mi suavissime, te amarem, & meo calamo, & tuis oculis parcere; sed, cùm ex his, quæ me delectant, nihil ferme sit gratius, quàm, dum otium est, potissimum de literis tecum loqui; vellem à te scire, quid

quid cum Andrea nostro de vestris communibus studiis tractes. Puto jam utrunque sub egregio poëta, & oratore Laurentio Momeo vestris aliquid dignum ingeniis haurire; sic enim discedens à me constituit vir studiosus Andreas: ad quod eum pluribus verbis hortatus sum, & nunc impensè utrunque & hortor, & rogo; nihil enim habeo, quod aut ætati vestræ melius, aut meæ in vos benevolentiæ vel aptius, vel honestius hortari, & persuadere possim. Cupio tertium ex vobis esse Bonzium nostrum, quem singulari virtute sua, & ardenti adversùs me fide, & charitate perspectum habeo. Spero quidem eum aliquid temporis occupationibus suis eripere; & id totum, quantumcumque est, in commune studium conferre. Gaudeo itaque, & lætor, si manum operi conseruistis; sed firmior ex vobis quis possit esse, vestris ex moribus conjecto. Voluptatem capiam, si mihi rem totam, ordine, tuis explicabis literis. Cura ut valeas, meque in dies chariorem habeas. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
DANIELI VICTURIO, ET ANDREÆ JULIANO.

S. P. D.

NIsi his diebus rusticatus essem, certè ut constitueram, jam apud vos moram traherem; habebam enim plura cum utroque de amicitia nostra conferre, quæ nonnisi vobis præsentibus sanari poterant. Sed cùm hoc officium tam honestum eousque productum sit, ut ea res perfici non possit, nisi vos ad me veniatis; videte ne expeditionem istam differatis amplius. Scio quidem hoc vestro adventu judicabitis vos bene acceptos; sunt enim mihi liberaliores solito induciæ cum studiis meis factæ, & usque in undecimum Calendas Novembris continuæ feriæ. Non habeo tempus aptius, quo vobis frui possim, præter hos menses futuros. Quare ne me à vobis neglectum omnino putem, facite, quòd vos in præsentia videam: aut tesse-

tesseram *, quam integram his literis inclusam ad vos mitto, resectam, & divisam ad me remittatis. Elegi potius apertum bellum vobiscum facere, quàm pacem suspectam habere. Valete Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS ANDREÆ JULIANO S. P. D.

PRopinquus tuus quasdam abs te reddidit mihi literas plenas officii, & humanitatis tuæ: in quibus, ut multa præter conscientiam meam per te sunt exposita, ita certè, & amicè, & facundè egisti. Neque id nunc intendo, ut verbum verbo referam; sed illud ex utriusque epistola judico, certamen inter nos, & pulcherrimum, & honestissimum certum esse. Quid enim aliud mea continebat, quàm quod non satis in te gratus essem, & me propterea commotum, aut mihi, ut ita dicam, iratum esse: qui ex multis, & honestis rebus, quas tibi pollicitus eram, nil aliud adhuc præter verba dedissem; cùm tamen frequens apud te novo semper aliquo beneficiorum genere defungerer. Cùm verò tuam perlegi, etsi primum nescio quid acerbi, ac præter naturam, & consuetudinem tuam continere visa est; tamen postquam me ad mentem tuam retuli, omnia summi amoris in me tui plena judicavi. Nihil igitur tuæ literæ mihi molestæ fuerunt: quin etiam summam ex ipsis voluptatem percepi, tum ex amicitia tua, quæ se undique ostendit; tum ex optimo genere dicendi, quo mihi planè videris brevi posse & illum ipsum, quem tuum magistrum vocas, vel adæquare, vel vincere. Quid autem ex meis apud animum tuum judices, bene spero. Si quid verò est, quod temere scriptum arguas, mihi potius imputari patiar, quàm tibi: quem scio ni-

* Mos erat dare hospitibus semel receptis tesseram dimidiatam, quam quicumque attulisset ad hospitem, agnoscebatur tanquam amicus, & vetus hospes. Plaut. in Pœnul. act.5. sc.n.2. Tomasin. de tesseri. hospitalit. cap.16.

nihil sinè causa vel accusare, vel corrigere præsertim apud amicum solere. Fac valeas, & me feras, ut soles. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS ZACHARIÆ BARBARO S. P. D.

GAudeo te salvum ad nos rediisse; nuper enim de tuo adventu doctus sum ab Andrea nostro, qui, ut spero, citò te videbit. Nam cùm finem Quæsturæ suæ fecerit (quod statim erit) patriam, ut ab ipso audio, repetet; ipse ad te meos affectus deferet. Interim persuadebis tibi me præsentiam tuam ita expetivisse, ut hoc ipsum desiderium nonnihil benevolentiam, quæ à principio maxima erat, nunc multo magis auxerit. Puto id ipsum tibi evenire. Quare, si utrique optimè satisfactum esse vis, fac, ut prope diem te videam. Quod si tuarum occupationum ratio hoc officium tuum impediet, ego certè, qui occupatissimus sum, brevi ad te veniam. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS ZACHARIÆ BARBARO S. P. D.

NIsi te meorum amantissimum certissimè intelligerem, dubitarem ad te toties literas dare, quoties aliqua pro his, quos acceptos habeo, vel opportunitas, vel occasio intercessisset. Sed cùm optimam consuetudinem, & naturam tuam sæpe in aliis expertus sum; ea res facit, ut per amicitiam nostram, quam maximè unitam, & conservatam velim, sæpe officio tuo in omnibus, quæ usui meorum accidere cognovero, amplissimè utar. Commendo itaque doctissimum virum Christophorum Blancum Mediolanensem hominem, cui certè neminem ex his, qui civilis scientiæ studiosissimi apud nos habentur, antepono. Est enim præterea modestissimus, ac mihi summus,

amicus: quem ego certè hominem chariſſimum propter antiquam conſuetudinem, & ſummam familiaritatem, quæ mihi ſecum, & cum ſuis eſt, multo magis tamen ſingularis ſapientia, & virtus ſua chariorem mihi reddit. Cupit admitti, ſi quis ex ampliſſimis viris patriæ tuæ fortè deſignatus Prætor fuerit Patavii, aut Vicentiæ, ad officium Vicariatus, quo aliàs functus fuit prudentiſſimè. Si fidem his, ad quos pertinebit, fieri oportebit; facilè hoc perfici poterit apud ſummos viros hujus noſtræ Univerſitatis, quorum teſtimonio intelligent multo plura de homine iſto, quàm à me ſcribantur tibi. Curabis igitur in primis, ut graviſſimo viro genitori tuo, & patri meo charum hunc hominem facias; deinde cæteris, qui ſolent omnes illos, qui tibi curæ ſunt, in ſuis habere. Quod ſi perficies, eam ſpem, quam ipſe de me habet, & maximè de ſumma in omnes meos benevolentia tua, judicium meum confirmabis. Vale, & id cura, ne minus amicos meos, quàm me diligas. Patavii ſexto Idus Maji.

GASPARINUS BARZIZIUS
FRANCISCO BICHARANO
S. P. D.

SI fieri potuiſſet, quàm maximè vellem de conſiliis veſtris aliquid præſciviſſe. Res enim iſta, quam aliquanto celerius agitaſtis ſuper motu Joannis noſtri, quàm vel ſibi conveniret, vel ego putarem, non eſſet eò perducta, ut ſtudiis ſuis tanto eſſet incommodo. Feciſſem enim, quod ſolent boni pictores obſervare in his, qui ab eis addiſcunt; ubi enim à magiſtro diſcedendum eſt, antequam planè rationem pingendi teneant, illi ſolent eis tradere quaſdam egregias figuras, atque imagines, velut quædam artis exemplaria, quibus admoniti poſſint vel per ſe ipſos aliquid proficere. Ita ego ſibi in ea arte, in qua ſatis proficiebat; ſed nondum pervenerat quò volebam; exempla aliquarum illuſtrium epiſtolarum tradidiſſem, quibus etiam me abſente, viam ſibi ad ornatè loquendum ſuo ſtudio invenire non

non difficile fuisset. Addidissem quoque rationem, qua multo commodiùs, ac meliùs potuisset ad eam facultatem accedere. Sed quoniam non dubito à parente illius, & à te necessario suo prudentissimè, ut tempus ferebat, provisum esse; ego potiùs imputabo fortunæ, quàm vobis, quod de his rebus, vestris literis priùs doctus non fuerim. Quòd si error aliquis in causa fuit, aut quia alius ita vobis persuasit, doleo sanè non minus, ac debeo; cùm & ætas, & ingenium huic adolescenti esset ad has ipsas artes aptissimum. Sed de hoc satis: tu pro tua prudentia cogitabis, si hoc aptè corrigi à te poterit; ego enim neque studio, neque ullâ curâ sibi deero, ubi immutari consilium vestrum possit. Si verò & patri illius, & tempori obsecuturus es; facies me certiorem, & omnia tibi reddam, quæ ex fide bona inter nos agi oportet. Vale Patavii pridie idus Quintilis.

GASPARINUS BARZIZIUS HENRICO VERONENSI S. P. D.

SExto nonas Octobris venit Antonius * utrique nostrum amicissimus, qui secundo die, posteaquam venit, dedit mihi literas ab te datas Tarvisii quinto Calendas Octobris. Quantâ autem fuerim fretus lætitiâ, & voluptate, illis ipsis lectis, faciliùs per te cogitare potes, quàm ego scribere; tum quia abs te datæ sunt, deinde quia meo plurimum studio lætaris: ad quod me sæpe tua humanitate, & singulari quadam bonitate hortatus es. Sanè nemo est ferè hominum, ex cujus literis tantum gaudii habuerim, quantum ex ipsis tuis, quas haud nuper peroptavi. Non audeo autem eas coram laudare, ne fortassis id assentandi causâ factum fore putares; nam si voles animo recordari, bene me nosti, simulatione non utor; sed opus laudat auctorem, quod vetus proverbium est. At missa ista facio, ne diutius quàm satis sit, dicam. Dedissem ante

* Fantaxellus.

antehac meas literas, nisi me ſtudia ad alias occupationes ſolicitaſſent, quas nunc vereor ad te mittere, cùm egomet mecum ingenium, atque animum tuum conſidero. Sed ut ad tuas literas veniam; unum in eis legi, quod me aliquantulum movit, ubi me admones, quòd me non occupem circa plura: veniat autem tibi in mentem illud, quod Syrus * ille Terentianus ſcitè ajebat: *Nihil tam difficile eſt, quin quærendo inveſtigari poſſit*. Lege etiam oro Ciceronem in ſuo de Oratore, & videbis dilucidè, quàm neceſſaria, atque utilis ſit Rhetori poëtica facultas. Adde prætcrea, quod illi ipſi Auctores unum, & eundem finem reſpiciunt; nam habent propemodum ſimilitudinem, quam ſi mente concipere volueris, illud ipſum rectè factum confiteberis, quod ego facio. Proponas tibi hominem, qui ſe optet bonum eſſe artificem, ſed pauperrimum, qui prorſus careat inſtrumentis ad illam ipſam artem neceſſariis: quid tunc proderit ei ars? Certè nihil. Itidem mihi: quid mihi prodeſſet Cicero ſinè Priſciano, & Terentio, & cæteris Poëtis? Quid Priſcianus ſinè Cicerone, & Terentio? Quid denique Terentius ſinè Cicerone, & Priſciano? Sanè nihil. Quare non tunc eſt occupatus ſenſus circa plura, quia diverſa, quando ea ſunt unum. Plura tibi ſcriberem, niſi ad quem hæ dentur literæ, cernerem; potes enim tuis literis ſtudium meum exaugere, & mihi multum gaudii afferre: quas ad me dare etiam, atque etiam te hortor. Si quid verò erit, quod uſui tuo gratum efficere potero, id ipſum medius fidius faciam; & tunc maximè inducam in animum quæſtum, cùm tibi me ſervire putabo. Vale, & me dilige. Patavii quarto nonas Octob.

GA-

* Apud Terentium in Heautontim. Act.4. Scen.2.

GASPARINUS BARZIZIUS LAURENTIO BONZIO S. P. D.

POsteaquam à gravissimis studiorum meorum occupationibus respirare paulisper concessum est, Laurenti charissime; visum est non sinè amicitiæ nostræ crimine ullum tempus transire, in quo vel tacitus agam tecum quicquam, vel ad te nostrâ dignum aliquid amicitiâ perscribam. Libenter igitur crebras ad te mitto literas; neque, dum rescribas, expecto. Cupio ex te scire mi Laurenti, etsi optimè de te mihi persuadeo, quid agas, cum quibus verseris: quæ te potissimum oblectent studia. Novi animum tuum, & incredibilis in tanta rerum turba perspectus est optimarum artium amor ille tuus, & ardens voluntas. Scio te occupationibus tuis aliquid temporis subducere, & id totum literis conferre: in quo vel tecum ipse, vel apud doctum aliquem virum proficis. Quod si ita est, æquè tuo, mi Laurenti, profectu, ac meo gaudeo. Neque enim tuum quicquam, posteaquam te amare cœpi, divisum à me duxi; adeò ut omnia nobis bona pariter, ac mala communia censeam. Sin aliter est, & in regimen pulcherrimæ tuæ Reipublicæ rapiunt te, & totum ab hoc sancto proposito distrahunt officia; queror tecum, & doleo. In qua re te non hortor solùm, sed planè etiam oro, ut (quantum honestas, & fides tua patitur) interdum velut ex tempestate in portum, sic ex hoc rerum tumultu, in aliquod pulchrum, & literatum otium te perducas. Vindica te tibi, nec & Lucilio tantùm, sed omnibus studiosis præceptum credas: * *tempus, quod auferebatur, collige, & serva*: non dico, *quod excidebat*, cùm nullum tempus tibi vacuum sit: neque quod *surripiebatur*, quia negotium tibi negavit otium, & voluptates. *Collige* itaque id solum, quod nimia patriæ (si nimia dici potest) solicitudo, curaque præsens tibi *aufert*, & hoc ipsum *serva*. Ni-

* Seneca Epist. 1. ad Lucilium.

Nihil enim eſt ex omnibus, quæ novi, quod tibi, & tuæ Reipublicæ, ſi exitum attendis, viviorem poſſit fructum afferre; mihique, & his, qui te beatum eſſe volunt, ſynceram magis voluptatem conficere. Fac valeas, meque ut ſoles, diligas. Patavii duodecimo Calendas Decembris.

GASPARINUS BARZIZIUS
LAURENTIO BONZIO
S. P. D.

Lepidè tetigiſti me, Laurenti vir optime; ſic enim juvat te non ſolùm appellare, ſed libentiùs etiam credere. Niſi quidem Daniel, & Andreas noſtri te Peripateticum ſcriberent, planè tuis ex verbis conjicerem veteres inter Stoicos ortum eſſe: qui ſic virum bonum definiunt, ut nec illi ſeptem, quos Græcia ſapientes vocat, nec Cato, nec Lælius viri boni fuerint. An tu putas neminem eorum, quos vulgò bonos dicimus, & interdum, ex more dicendi, optimos, ulli ſubjectum errori, ulline ſubmiſſum culpæ? Lege ſcripta ejus, quem audis, Philoſophi Peripateticorum principis, qui bonum virum eſſe concedit, non eum modò, quem tu dicis omni vitiorum labe carere; ſed qui medio propinquior eſt, quàm extremis. Lege Senecam, qui ſapientem ſuum (quem & bonum licet virum dicere) tum naturæ, tum fortunæ nonnulla ſentire fatetur incommoda; ſed egregiâ virtute, aut ea vincere, aut corrigere. Percurre ferme omnes Philoſophorum ſcholas, & numeroſam eorum unum in locum turbam coge: nemo non concedet, & conſtituet bonum virum, quem virtus, quem artes virtutis miniſtræ per ſe delectant; qui, ſi vel errore, vel incontinentia quandoque labitur, confeſtim in rectam, unde diverterat, viam redit. Quid illos poſteriores dicam Stoicos, nonne bonitatem illam rimantur, & aliis monſtrant, quæ in terris cum hominibus habitat, non eam, quam è Cœlo Deus nondum miſit? Utamur igitur & nos in hac boni viri confeſſione, pingui, ut ajunt, Minerva; concedamuſque multos ut homines, jure & haberi,

&

& dici optimos: inter quos si te reposui, cur meum reprehendis judicium? negabisne talem te esse? convincam certè, si negare perseveraveris. Posses quidem vel ignorando bonum tuum non felix esse, vel cognitum negando id mereri, ut vir bonus non possis dici; sed ab hac peste multum abesse te cognosco. Nec tantum quid de hac tua quæstione sentiam, quæris, quantum ut aliquam tibi, & mihi scribendi præbeam materiam, & id quidem rectè; doces enim, quod per alias ad te scripsi literas, fieri non posse, quòd multi falsò queruntur, ut veris amicis verba desint. Veterem autem lenitatem illam, & mansuetudinem tuam in condonanda venia, si cessatum à literis fuerit, & laudo, & probo. Fregisti quidem nimiam severitatem meam; vincisque, sicut in plerisque, sic & in hoc bonitatis genere. Discam ergo, te magistro, facilem me exhibere amicis: quâ per te utar veniâ pro me, si quando scribendi officium intermisero, quantum voles, utêris; non, ut ais, quia turpi quæramus licentiam otio; sed ut communis humanitas desperare vetet, & negligentiam corrigere citò moneat. Vale, quodque cœpisti feliciter propositum, constanter urge. Patavii quarto Calend. Januarii.

GASPARINUS BARZIZIUS
JOANNI BARZIZIO
S. P. D.

VEniebam ad te, & jam in ipso itinere eram; cùm autem fortè navem in portu stantem, ac expeditam vellem intrare, statim ibi hominem quendam offendi à vobis venientem, qui pestifero morbo tenebatur. Ea res ita me perterruit, & alteravit me totum, ut sinè mora, dimisso proposito navigandi, domum redierim. Guinifortus autem meus, qui me eousque prosecutus fuerat, citiùs maturavit meum reditum, ne illum tanto periculo exponerem; valde enim apud me contendebat, ut se ad te visendum conducerem. Scis quantum puerum ingenii sui causa diligo: habes quæ causa me intermiserit. Sed postquam

ad te non accessi, quod maximè oportebat, tu mihi tuâ diligentiâ perficies negotium, pro quo veniebam; adibis enim Antonium Setharam, dabisque ei literas, quas ad eum scribo; qui, si pecuniam, de qua in suis literis mentionem fecit, exigere poterit, videat quomodo illo ære alieno, quo meis creditoribus sub usuris teneor, quàm primum operâ sua liberatus sim. Si qua autem res impedimento erit, quominus id negotium à se transigi possit; ego vel cum periculo ad ipsum navigabo. Unum est præterea, de quo te etiam atque etiam moneo, ne amplius sis in tanta negligentia scribendi ad me de tuo statu, & Michaelis nostri. Si periculum instat, nulla res te ibi teneat, sed provideas ad tempus, ne serò quæras aut tibi remedium, aut domui meæ periculum. Non est tutum, ut nosti, in locis infectis esse, aut cum illis versari, qui in illis fuerunt. Aliud non est, quod ad præsens scribam, nisi quod de omnibus, quæ ad nos pertinent, sæpe me certiorem facias. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
VALERIO MARCELLO
S. P. D.

QUod res mihi omnes adversæ illo tempore acciderint, quo abs te, idest à me, ut verè dicam, discessi; non dubito, cùm non minori prope dolore, quàm ego, affectus esses, optimè te meminisse. Scio enim, ut cætera missa faciam, quantam mihi tum calamitatem fortuna inflixit, quo tempore tot mihi liberos, paucorum dierum spatio, eripuit: quorum oblivisci malorum multo facilius potuissem, modò illum divinæ indolis, ut nosti, adolescentulum, ac tuum prope filium Joannem Paulum mors non abstulisset. Quæ deinceps secuta sunt, utinam mihi uni, non tibi etiam summo incommodo fuissent. Quia non tam quæ mihi adversa acciderint, quàm quæ, eorum culpâ, quorum fide, ac diligentiâ conservatum me, atque ab omnibus defensum esse oportebat, animo non satis constanti pertuli. Nunc verò, cùm tot malis vel exsaturatam jam fortunam

nam sperarem, vel defessam, aliud mihi vulnus multo acerbius, quàm olim intulit; cùm Nicolaum filium, eo tempore, eripuit, quo omnes jam illos prætervectus scopulos mihi videbatur, qui maximè in adolescentia formidandi sunt. Eòque jam pervenerat, ut & ipse se frueretur; & ego, quò maximorum laborum, ac vigiliarum mearum fructum expectabam; illuc provectum cum sapientiâ, tum honoribus videbam, ut ipsum jure laudarent omnes, ac suis dignum majoribus sentirent. Cujus mortem, etsi non minùs, quàm & filii, & talis viri obitum lugeam, illaque ætate, ac fortuna amissi, quæ optimæ essent; tamen, quia hoc naturæ esse memineram, ferendum id à me non forti solùm, sed æquo etiam animo, cùm Philosophos sæpe de luctu minuendo legissem, judicabam. Postea verò quàm à meis edoctus sum, quantam jacturam res mea familiaris morte ejus passa fuerit (non loquar tecum fictè) majorem penè ex hac re, quod maxima temeritate hoc accidit, quàm ex morte ægritudinem animo percepi. Non quòd ullum incommodum cum morte ejus conferendum putem, pro cujus salute facultates omnes, ac vitam profudissem; sed quia nec repugnandum naturæ, nec obsistendum, etiamsi possis, ab hominibus sapientissimis accepi. Quæ verò nostrâ negligentiâ, aut errore adversæ cadunt, ea meo judicio sapiens: qui nihil præstandum esse à nobis præter culpam judicat: graviora vel morte, si acciderit, vel exilio, ac paupertate ducet. Illud verò ægre fero, quod te: quem olim rebus nostris secundis socium, & in his artibus humanitatis, quibus ab ineunte usque ætate semper mirificè deditus fuisti, comitem, ac adjutorem habebam: nunc hac honestissima voluptate privatus, tot meorum casuum, ac molestiarum participem habeam. In quo, si consuetudine nostra illa, consiliorumque omnium, ac rerum societate frui liceret, nulla tanta perturbatio esse posset, quæ non tua sapientia aut prorsus toleraret, aut maxima ex parte minueret. Non negabo, tanto me dolore angi, ut cùm me carere te viro tali, ac summo amico recordor; interdum ea, quæ gratissima solet amicorum esse memoria, gravis mihi, ac molesta sit; & nisi literæ Philosophorum recordationem studiorum,

rum, quaſi præſens ſis, jucundam, ac ſuavem redderent, & maximè illæ, in quibus ferè ſemper ſum occupatus, dolorem animi, quem ex abſentia tua ſentio, intermitterent; puto mœror iſte me non minùs, quàm tot filiorum obitus confeciſſet. Quare Marcelle mi; etſi admonitione te non egere ſciam, cùm ſis prudentiſſimus; tamen nihil te magis dignum ſtatues, quàm quo animo multos caſus tuos graves quidem, & acerbiſſimos pertuliſti, eodem meos, ac noſtram abſentiam feras. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS

LAURENTIO BONZIO

S. P. D.

POllicitus eram tibi, Laurenti vir optime, ſi alia ſe mihi materia ſcribendi non ingereret, ſaltem quod in buccam primum veniret, illud me tibi perſcribere. Itidem facturum te verbis haud ambiguis confirmaſti. Sed unde quæſo tantus potuit error procedere, ut nulla inter peritos literarum, & certè amicos verba data ſint? Ego quidem planè meum tibi fatebor vitium: perſeverabam nihil ſcribere, conſcius errati mei, ni te ſenſiſſem in eadem culpa eſſe. Nunc autem eò libentius operam dedi, ut primus ſilentium rumperem, quo & tibi excuſatior eſſem, & amicitiæ noſtræ vel ſuperior, vel acceptior forem. Scio tamen paratum eſſe tibi magnum tuarum occupationum argumentum. Illud etiam fortaſſe dices, te meas interpellare voluiſſe. Sanè ita ſit, dum tu mihi id remittas; neque is ſum, qui meam gravare velim cauſam, dum plus æquo tuam premo. Unum deinceps inter nos conveniat, ſit hoc perrarum genus veniæ. Iſta quidem nimia facilitas nonnunquam peccare docuit; temperetur igitur juſta ſeveritate. Hoc me tibi pacto aſtringo; ſi de cætero me tamdiu ceſſantem videris, tuo me indignum amore judicato. Scis cui me ſubjiciam pœnæ: nullum excogitare majus potui ſupplicium. Non etiam ſi morte dignum dixiſſem, agitor: tanti facio te mi Laurenti. Te verò, quo mihi aſtrin-

astringeris pacto, præstat, ut arbitror, hoc mihi existimandum relinquere, quàm nova in verba jurare. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
MAPHÆO PAULO
S. P. D.

NUsquam pro te cessavit officium meum, Paule mi charissime; nam, antequam tuæ redderentur mihi literæ, odoratus fui diligenter omnia vestigia, quibus pro summa, quæ jam vetus est inter nos, & consuetudine, & benevolentia, possem id consequi, quod tuis arbitrarer convenire studiis. Postea verò quàm unis, atque alteris literis abs te doctus fui, quid à me fieri optares; non semel, sed iterum, ac sæpius conveni ferè omnes, à quibus possem auxilium ad rem tuam, aut consilium sperare. Deinde re maturata dedi ad te literas, quibus significabam, quomodo totum hoc negotium, quod mihi imposueras, bene fortunassem. Puto his rebus à te satis intelligi, me adhuc omni officio amici in te perfunctum esse: nihil aliud est ergo, quod accusare possis, quàm aut te ipsum, qui rusticaris, dum literæ meæ fortè in Urbe tua morantur, aut negligentiam, sive iniquitatem hominis, cui ego illas commiseram. Sed, ut me intelligas, non minus hoc ipso tempore, quàm superiori tuis rebus advigilare, iterum ad te scribo, quod omni cura, & studio, hoc unum sæpe agitavi, ut eam societatem assequereris, quæ & naturæ, & studiis tuis conveniret; perfecique: in qua re aliquanto plura consecutus sum, quàm aut ego sperare auderem, aut vix tu ipse optare potueris. Cùm enim de te sæpe verba facerem apud Antonium Trivisanum, hominem ut probè eruditum, ita utriusque nostrum amantissimum; auxilium apud eum, priusquam consilium inveni. Paucis quidem verbis inter nos communicatis, impetravi ab eo, ut ipse te in societatem assumeret: qui etsi multis rebus à commodo tuo abstraheretur, tamen facilè ab ipso obtinui, ut se antiquum hospitem, cùm uterque nostrum olim apud te diversaretur, iterum adires. Hunc qui-

quidem tantum frugi; atque commodum tibi habebis, quantum voles. Hortor itaque te, mi Paule, atque etiam rogo, ut hunc hominem non tantum ames, sed etiam studiosè colas; habeasque ipsum non solùm tuorum studiorum socium, verùm etiam, sicut te aliàs meis literis admonui, ducem, ac magistrum. Iter verò tuum maturabis ad nos, cùm poteris, quò meliùs possis in tempore tibi adesse. Si quid verò est, quod interim geri à me in tua re velis, facito me certiorem; & ego quæ tibi, cùm fortè mecum esses, & postea absenti per literas pollicitus fui, rebus meis posthabitis, omnia pro te bono animo suscipiam. Vale, Paule mi liberalis, ac modestissime, & commenda me genitori tuo homini optimo, ac insigni. Illud etiam postea mihi perficies, ut à fratribus tuis nobilissimis juvenibus, non minus quàm à te ipso diligar. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
ANTONIO FANTAXELLO
S. P. D.

REm gratissimam olim mihi fecisses, si illos veteres Commentarios in Officia Ciceronis misisses ad me; sed nunc ea res ita mihi pernecessaria est, ut nisi celeriter illos mittas, iter sit ad te habendum. Sum enim hortatu magnifici Principis Marchionis Ferrariæ Commentarios meos perfecturus, qui si ab eo probati fuerint, non dubito maxima commoda ex his studiis me consecuturum. Noli quæso in mora esse, quin illos per te statim recipiam. Habebo tibi maximas gratias, qui mihi in hac re socius, atque adjutor fueris. Scis quanto studio illos à sene extorseris. Turpe esset ejus rei possessionem impetratum iri à te non posse, cujus dominium tuâ in me summâ benevolentiâ jam tot menses consecutus sim. Sed ut spero, multis mihi verbis opus non est ad persuadendum tibi hanc rem; cùm sæpe apud amicos laudem istam tibi attribuerim, neminem meorum esse, à quò facilius impetraverim omnia, quæ volui, quam à te ipso. Mittes itaque hos Commentarios, sicut erant; cum aliis Commen-

mentariis in Lælium disputantem de Amicitia, & Catonem de Senectute. Hoc si feceris, planè intelliges ex omnibus officiis tuis in me, quæ summa fuit, hoc nedum mihi gratissimum videri, sed certè etiam amplissimum. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS

PETRO THOMASIO

S. P. D.

QUod ad famam Guillielmi nostri attinet, satis à te expeditum puto; nam, si qua alia est in hoc homine egregia virtus, aut disciplina, certè & eloquentiam inesse à te sæpe, & à multis aliis intellexi. Cùm enim de Medicis patriæ tuæ, qui egregii dicerentur, sermonem aliquando inter nos haberemus; memini, cùm huic nostro multa concessisses, quæ paucis in Physicis reperirentur, tum etiam non mediocrem in dicendo gravitatem, ac modestiam attribuisse. Sed cùm superioribus literis eum non politum scriptorem appellasses; putavi te non de homine Physico, ac diserto, sed de aliquo bono viro non multum literato ad me scribere; quo errore his tuis aliis literis sublato, statim etiam ego meum libenter correxi. Nescio tamen, uter nostrum magis accusandus sit: an tu, qui ut multi recentiores, ita modo tuo, scriptorem interpretatus fuisti, an potius ego, qui me fortè nimis severè ad antiquos retuli. Solent enim ii neminem scriptorem dicere, nisi eum, qui ex institutis, & usu bene dicendi, artificiosè scribat. Neutrum autem nostrum, si me judicem in hac lite constitues, hodie absolvam; parum enim abfuit, quin vel doctissimi hominis famam, vel animum amici offenderemus. Habebis me tamen non difficilem in remissione pœnæ, qui tibi videor tam severus in judicando, dummodo à sententia mea non appelles. Loquor libenter tecum; sed tamen vide, ut cùm partes tuas apud Guillielmum nostrum diligenter egeris, meas non negligas. Spero fungèris non solùm diserti, sed etiam boni Oratoris officio; nec patieris, cùm prope in eadem causa simus, nos in dissimili fortuna esse. Iniquum

enim

enim esset, si; cùm in judicium ambo rei de uno, ac ferè eodem crimine adducti fuerimus; tu eloquentiâ tuâ absolutus, ego verò quia absens, condemnatus abeam. Vale, & Guillielmo nostro dicas, me summum ei amicum esse. Patavii pridie Calendas Januarias.

GASPARINUS BARZIZIUS
ANTONIO FANTAXELLO
S. P. D.

QUanto desiderio illos Commentarios aliquando absolvi abs te expectem, satis potes etiam sinè meis literis per te ipsum cogitare. Scis quoties apud te ejus rei causa, & literis, & nunciis contenderim: tecum etiam de hac re sermonem habui. Quid secutum sit, tu nosti. Sed noli, mi Antoni ita mei oblitus esse, ut majorem curam omnium rerum habeas, quàm meorum commodorum. Potuisti multis indiciis cognoscere, quantum te amarem: ego etiam idem de te sæpe judicavi. Noli, si me amas, committere, ut in rebus minimis perturbes judicium, quod semper de tua in me benevolentia feci. Si mihi in hac re obtemperaveris, ego tibi majores solito gratias habebo. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
FRANCISCO BARBARO
S. P. D.

JOannes noster valde me diligit; nec satis est ei, me à se maximè amari, nisi etiam eos mihi reddat amicos, in quibus aut dignitatem aliquam, aut virtutem conspiciat. Scis quantum laborem pro me his diebus susceperit. Nunquam vidi hominem in re amicorum magis attentum; nisi enim re perfecta non conquiescit. Nuper verò tuas ad me detulit literas plenas officii, & tuæ in me benevolentiæ; & est incredibile, quanti te faciat.

Sæpe

Sæpe de tuis ſtudiis ſermonem apud me habet, cùm tuam vel nobilitatem, vel potentiam parentum laudat: multo magis commendat ingenium, ac mores. Ego verò cum literis tuis, tum oratione ejus ita in te ſum affectus, ut jam penè me ipſo te chariorem habeam: quod niſi brevi ſperarem aliquo meo in te officio demonſtraturum, longiores ad te literas dediſſem. Nunc occupationes meæ faciunt, ut in ſcribendo ſim brevior. Sed hoc velim pro noſtra amicitia concedas; ut, etſi perbreves ad te literas ſcribo, tamen amorem meum in te quàm longiſſimum eſſe judices. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
FACINO VENTRARIÆ
S. P. D.

Libellum Platonis, quem tua manu tranſcripſiſti, nuper à Franciſco noſtro accepi; ſed cùm putarem à te recipere orationem Æſchinis in Cteſiphontem loco hujus libelli, quaſi eluſus à te fuiſſem, turbatus remanſi. Neſcio quid me deceperit: firmaſſem certè jurejurando, te illam orationem mihi oſtendiſſe; quare, niſi oculi fuerunt mihi parum fideles (erat enim tempus nocturnum, nec ſatis memor ſum, an bene ſobrius eſſem) oſtendiſti certè mihi eam orationem, cùm in ſacello ſtudiorum tuorum ambo eſſemus. Vide ergo, ſi me diligis, ut tuum errorem corrigas; aut ſi ego potius in culpa ſum, jura mihi per genium tuum me iſta ſomniaſſe; vix enim potero tibi ſinè juramento credere. Lazarinus Reſta ſingularis amicus meus requirit à me exemplar Spartiani; nam ſe dicit ſcriptorem paratum habere. Da operam, ut alterum meorum impetres à Joanne Cornelio homine optimo, cui me ſæpe commendes. Vale, & Federicum noſtrum ad bonas artes horteris. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS

HIERONYMO ANZELERIO

S. P. D.

QUod bene de me existimas; & præterea judicas me dignum tuâ amicitiâ; & lætor, & gaudeo. Quidquid enim sim, non possum optimo fructu carere. Facis quidem, ut maximè à te amari putem; quod aut tam facile credis, aut quod meliùs de me sentias, quàm existimem aliquid in me esse, quod tuâ benevolentiâ prosequendum sit. Meritò ergo tibi magnas gratias habeo, & te maximè diligo, quia me valde amas: & quia voluisti quasi aliquod pignus, ac obsidem nostræ amicitiæ, Paulum nepotem apud me esse; gratulor plurimum tuæ fidei: ego verò curabo, ut illum doctiorem, ac meliorem tibi restituam; aliud non habeo, quod possim melius referre, quàm ut, sicut illum fidei meæ commisisti, ita ego illi artes meas tradam. Tuum est providere, quando illum ad me transmittas; accipio enim conditionem, quam mihi obtulisti. Utinam fortuna permitteret, ut possem in te uti ea liberalitate, qua deberem. Cognosceres profectò nullum inter nos aliud præmium, quàm amicitiam nostram intercedere, sed necessitati parendum est. Vale, & commenda me Petro nostro homini ornatissimo, & sibi pro me dicas multas gratias, quia id egit, ut te altero medico egregio in nostra amicitia uterer. Patavii decimo Calend. Decemb.

GASPARINUS BARZIZIUS

STEPHANO THEUTONICO

S. P. D.

LUdovicus noster discessit, nec tamen epistolas Ciceronis mihi reddidit: si quid de eo libro intellexisti, quam primum habebis, cui possis literas tuas committere, non prætermittas, quin me certiorem facias; nescio enim, an alium ex

libris

libris meis chariorem illo haberem. Ego, quod ad nostram amicitiam spectabat, majorem suæ voluntatis rationem habui, quàm studiorum meorum; sed par erat, ut ipse eodem in me affectu uteretur, quo ego semper in illum usus fui. Forte alia ætas alios mores afferet; interim tamen ego libro mihi pernecessario careo. Sed nullam patiar aliam jacturam, quàm temporis: tu, quod à te expecto, illud mihi perficias, ut sciam, an liber meus apud vos sit, an secum in castris militet. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
PETRO THOMASIO
S. P. D.

PRius absolveram literas reddendas Hieronymo nostro, homini, ut audio, egregiè erudito, quàm cogitassem aliquid ad te scribere; erat enim tempus mihi brevissimum, & occupationes multæ. Sed cum amicus, qui illas deferebat, iter suum in diem sequentem distulisset, judicavi non esse nostræ amicitiæ, cùm possem, nihil ad te scribere. Non ago igitur jam per alium, ut nuper, sed per me ipsum tibi gratias, quòd solus voluisti mihi amicus esse ex medicis patriæ tuæ. Fecisti enim, ut ex duobus tres essemus; egregius certè Physicus, qui scis etiam facere amicos nasci. Sed veniamus ad rem. Rescripsi ad amicum nostrum, quod accipio conditionem, quam mihi obtulit. Horteris eum, ut adolescentem suum ad me transmittat, nec sit in mora, ne aliquo meo incommodo rem familiarem implicet. Vale, & multâ salute illum pro me impertias. Patavii decimo Calend. Decembris.

GASPARINUS BARZIZIUS

ANDREÆ JULIANO

S. P. D.

ETsi acerbum sit genus consolationis collacrymari dolentibus; vellem tamen, Andrea mi, si fieri potuisset, in tuo mœrore maximo, tibi affuisse. Declarassem profectò nihil tibi grave, molestumque posse contingere, quod mihi pariter tecum non foret commune. Sed cùm tardè mihi nunciatum sit de obitu clarissimi viri genitoris tui, non potui, ut decuit, tuo dolori præsens esse; neque dignum aliquid cum expectatione tua, tum pietate mea, dum maximè tempus suadebat, ad te perscribere. Proinde casum tuum eo graviùs fero, quo tardiùs de illo sensi. Et si forsan optandum sit nunquam ea sentire, quæ lacrymis corrigi non possunt, nec mœrore leniri; ea saltem non caruissem voluptate, quæ magna sæpe flendo percipitur. Nunc autem id agendum est, ne recens dolor meus tuum jam, ut spero, pro tua singulari modestia remissum, atque imminutum renovet. Imperabo itaque dolori meo silentium, & ea potius conquiram, quæ vestros possint levare luctus, quàm quæ movere. Ego mi Andrea, nisi talem esse casum tuum concedam, qui vel constantissimo viro summam possit ægritudinem animi afferre, iniquus sum. Quis enim aut genere clarior, aut vir melior in hac ipsa Urbe tua & magnifica, & illustri, nostro tempore fuit, quàm hic pater tuus: quem ex nostris sublatum oculis nos omnes & lugemus, & præsentem affectamus? Quis aut suæ Reipublicæ, aut suorum unquam amantior fuit? Quis severior, cui frons magis blanda, fides magis integra, aut in omni vita præstantior fuit constantia? Obiit, & excessit, & nos pariter cum sua Republica in mœrore, luctuque dereliquit. Conscendit eò, unde ad nos pervenerat, ubi nunc lætus, ridensque divinorum conspectu fruitur; seque gaudet terrenis omnibus exemptum, eam aliquando patriam, quam adhuc apud nos vivens semper optaverat, attigisse: si quid autem est, quod æternam ejus beatitudinem

possit

possit minuere, id solùm esse reor; quòd præstantissimum, ac optimum fratrem suum: quòd te maximæ spei filium suo recessu tristes, desolatosque reliquit. Quod unum certè gravissimum, ac durum fateor; sed in hoc virtutis erit tuæ, quantum præstes, cæteris ostendere: si enim fletibus fata vincerentur, non id quidem tibi soli concederem; sed me lacrymarum tuarum socium, & participem, quamdiu flendum esset, haberes. Nunc verò, cùm id à nobis fieri non liceat, neque si fieri posset, à docto viro optandum sit; magis videndum est, qualiter Deo gratificandum sit, quod talem virum habuerimus; quàm dolore confici, quod amisimus. Satis enim vel ætati, vel gloriæ vixit, tibi fortasse, & suis civibus parum. Hoc ei tamen summum contigit, quòd priusquam à nobis excederet, florentissimam vidit Urbem suam, atque amplissimam: quòd fratrem amantissimum, virum sanè primarium, atque integerrimum pro se vicarium, atque obsidem, quo suum æquiùs discessum ferremus, patriæ suæ dedit. Quid dicam, quod te filium aspexit magnæ jam expectationis, summo ingenio, multis eruditum artibus, & pulcherrimarum disciplinarum avidissimum: qui rem familiarem per te ipsum jam regere scires, & paulo post ad altiorem tuæ Reipublicæ gubernationem accessurus esses. An parvi ducenda tibi hæc videntur? Quid enim fas est homini optare, quod vivens non possederit, & moriens tibi non reliquerit? Non est ergo, cur te affligere debeas; plus enim, ut apud Ciceronem est, tua virtus tibi dedit, quàm fortuna abstulit. Considera etiam, quanto uti soleas in cæteris rebus, & arduis quidem, animo; quanto impetu obstantia plerunque fregeris; vince, & in hoc te ipsum, & jam siste lacrymas. Nullus quidem, ut ajunt, tantus dolor est, quem longinquitas temporis non minuat, atque molliat: hoc te expectare tempus turpe est. Plura tibi de hac re scriberem, & multa veterum exempla commemorarem, nisi te satis abunde tua natura instruxerit. Vale, & te virum præbe. Patavii.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS

ANDREÆ JULIANO

S. P. D.

QUantam ex literis tuis perceperim voluptatem, Andrea mi chariſſime, ex hoc potes intelligere, quod eas teſtes egregiæ voluntatis tuæ magna cum diligentia ſervo. Deſino jam de te ſolicitus eſſe: recognoſco veterem Andream: nunc te laudo; didiciſti quidem te ipſum vincere, & planè doces nullum eſſe dolorem tantum, cui tandem ſapiens vir non imperet. Perge quò cœpiſti, & ſubinde te confirma. Subjicerem acres tibi ſtimulos, & te currentem adhortarer; niſi ſpem dediſſes mihi, neminem eſſe ex illis, quos modò novi, cui te magis creditum eſſe velim, quàm tibi ipſi. Quòd fratrem meum acceptum habueris, etſi antiquum hoc mihi ſit, tamen ita gratum fuit, ut nec tu, nec Daniel meus quicquam gratius facere potueritis. Particulam quandam ſcripti mei, etſi amicè; non tamen ſatis æquè reprehendiſti. Quid enim eſt, quod vel trepidè tecum agam, vel dubiè? Scripſi me id vereri, ne meæ pro fratre meo preces apud te eſſent ingratæ, cùm id ex vera longè ſublatum amicitia oporteat. Quis enim amicum rogabit, qui ſe ipſum rogaturus non ſit? Ego verò ſemper ita de amicitia cogitavi, ut una, & eadem prorſus anima diverſa regat corpora. Volo tamen, ut eo me affectu ſæpe arguas: ſubjicis quidem velut quaſdam amori noſtro faces; nam interdum *amantium iræ*, ut apud tuum Comicum * ſæpe legis, *integratio amoris eſt*. Vale, & expectationem meam, cùm poteris, adimpleas. Vale Patavii.

GA-

* Apud Terentium in Andria Act.3. Scen.3.

GASPARINUS BARZIZIUS
PAULO GRAMMATICO FERRARIENSI
S. P. D.

Recepi non multis diebus literas à Comite Ludovico Bonifacio, quibus me adhortabatur, ut libellos, quos tibi eram pollicitus, committerem negotiorum suorum gestori. Ego verò cùm diu expectassem hominem illum, nusquam tamen comparuit; sed tamen si alium habeas modum, non ero in mora, quin eisdem per me utaris. Cupio tamen, ut hæc res celeriter à te transigatur; ne fortè, cùm alio tempore volueris, non possim sinè meo incommodo postea tibi obsequi. Vale Patavii Idibus Junii.

GASPARINUS BARZIZIUS
DANIELI VICTURIO
S. P. D.

Doctus sum ab Andrea nostro de adventu Laurentii Bonzii, quo maximè gavisus fui; est enim ex tribus unus, quos ex illa veteri societate elegi, & multum amavi; quià & virtute, & multarum literarum scientiâ dignus videbatur, qui in amicitiam cujuslibet viri boni assumeretur. Salutem ergo dices ei pro me; nemo enim ad hoc officium aptior est, cùm tu me sibi, & ipsum mihi tradideris. Deinde curam dabis, ut Commentarios meos in Terentium reddat Thomæ Dandulo nobilissimo hospiti meo; res enim adeò pernecessaria est, ut non satis aptè à me tibi scribi possit. Spero de ipso optimè, cùm non soleat amicorum beneficia compensare injuriâ. Vale, & me dilige. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
ANDREÆ JULIANO
S. P. D.

ANtonius noster maximas egit mihi gratias, quòd ipsum mei amore in amicitiam tuam assumpsisti: quæ res exigit, ut ego multo majores tibi habeam: qui hunc hominem non antea tibi notum non aliter exceperis, quàm ipsum à te excipi me velle intelligebas. Amo itaque te in primis, deinde etiam me, qui te amico tali felicior sum. Si quid erit, quod ego usui tuorum futurum esse divinare potero; id ipsum certè vel non requisitus, eo studio, faciam, ut tu ipse majori id à me fieri non desideres. Vale, & ut facis, me dilige. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
ANDREÆ JULIANO
S. P. D.

SCripsit ad me Antonius noster se, quantum opus fuit, tuo & officio, & beneficio usum esse. Quare etsi ita mihi futurum persuaderem, non tamen minus hac ipsa naturâ tuâ, atque consuetudine semper benefaciendi his, qui tui sunt, aut his, qui se fidei tuæ commiserunt, delectatus sum. Non ergo ut in cæteris, quæ sibi commoda esse cognoveris, abs te peto, ut tibi charior sit; sed, si cumulatissimè à te meis satisfactum esse vis, cura hunc hominem tantum ab egregio viro Joanne Lauredano amari, quantum jam à te propter me diligi certissimè intelligo. Vale Patavii.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS
SIMONI MORIGIÆ
S. P. D.

SI patri tuo nondum scripsi de studiis Fabritii nostri, ac de ingenio suo, non tantum apud eum occupationes meas excusabis; quantum quod in dies expectabam, indolem suam respondere expectationi, quam idem mihi satis magni fecerat. Sed posteaquam ei neque naturam æqualem ingenio tuo, Simon, neque impetum illum ad studia video, quæ tibi adesse, cùm apud me in his ipsis artibus nutrireris, & cognovi, & expertus fui: nihil tale ad vos de hoc adolescentulo scribam, quale non satis prudenter pater tuus, homo in cæteris rebus prudentissimus, suspicari visus est; ait enim se vereri, ne facerem, quod vulgo solent quidam magistri ludi: qui, ut officium eorum gratius reddant, sæpe laudant, & extollunt ea, quæ nullam fortè laudis partem habent. Ego verò tantum ab hoc officio absum, ut à nullo magis: quod tibi in primis, non signis dico, sed certissima ratione possem defendere, si natura mea, consuetudoque in mentem veniret. Tamen ad contumeliam hoc non retuli, cogitans verbum istud elapsum esse ex quadam inveterata consuetudine, ac vulgari sic loquendi; si quando volumus verum ab alio excutere in simili re. Puto etiam te, qui digitis tuis literas illas scripsisti, aut sententiam patris tui honoris causa secutum esse, aut occupatum animum tuum eo tempore habuisse. Redeo itaque ad Fabritium. Primo in hoc puero cognovi naturam satis remissam fuisse ad ea principia, quæ homines philosophi solent, velut certissima signa ingenii, & memoriæ exigere; est enim parvi capitis, & angusti pectoris: quorum alterum ingenio, alterum custodiæ rerum semel cogitatarum maximè officit. Accedit autem frigida corporis constitutio, quæ remissum facit animum ad curam, & attentionem eorum, quæ docendo traduntur. Puto, si naturæ, & habitus hujus adolescentis reminisci pater tuus voluerit, non longè abesse, quin concedat mihi ipsum inferio-

rem ingenio tuo: quod tamen, cùm apud me esset, dicebat se aliter sperare. Tamen secutum est, ut non tantum profecerit, quantum ego optabam, & vos expectabatis. Sed quantumcumque id sit, certè aliquid profecit. Ego non deficio, multoque vehementior sum in labore, ac in omni cura diligentior circa ipsum, & æquales suos, quàm solerem, cùm apud me esses: quod perfectè affirmarem tibi, nisi sperarem id à tuis, quos hic habes, significatum esse. Habes à me, Simon, judicium meum de Fabritio, de quo certiorem facies virum optimum patrem tuum, quantum prudentiæ tuæ visum fuerit. Ipse de hac re statuet quod usui suo intelliget accedere. Ego interim nunquam cessabo, quin omni utar studio, ac diligentia mea, ut sentiatis curam meam commodo vobis esse. Vale mi Simon, & gratias, quas utrique vestrum habeo de munere mihi à vobis allato, verbis tuis apud ipsum maximas facies. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS

SIMONI MORIGIÆ

S. P. D.

PRidie quàm tuæ mihi redderentur literæ, accessit ad me vir optimus pater tuus, qui cum de Fabritio nostro multa prudenter mecum locutus esset, paulo post ad te sermonem suum convertit. Hoc loco multa inter nos de moribus, & studiis tuis verba fecimus. Fuit autem utrique nostrum una ferè, & eadem sententia, magno te ingenio, & nobili animo esse, neque ulli ex æqualibus tuis aut naturâ, aut studio inferiorem, quamdiu te in his liberalium artium sedibus continuisti. Sed illud ipse ajebat se vereri, ne civilia negotia, quibus te implicueras, hunc tuum immutarent animum, & ab hac laudatissima scribendi exercitatione abducerent. Ego verò tunc maximè optavi aliquas à te habuisse superioribus temporibus literas: quibus, ut postea feci, potuissem illum summum timorem, honestum tamen, deponere. Sed quid ei responderem, Simon mi charissime, cùm non breves quidem, sed nullas omnino, postquam à me discesseras, habuissem adhuc à te literas? Feci quod sæpe vidi partes in judicio facere,

cere; si quando aliqua in causam afferuntur ab adversario, quæ vel signis, vel rumoribus fidem contra se faciant; tempus differunt, & aliquas innectunt moras judicibus, donec vel testibus pugnetur, vel aliâ conjecturâ se expurgent. Hoc ferè in causa tua servavi; nam eò usque verba produxi, & consulto quidem extra ordinem rei, quam inceperat, quòusque vel tædio victus, vel, quod potius reor, occupationibus suis, hoc à me pacto discesserit, ut rem istam integram mihi servaret, donec ex urbe Venetiarum ad me rediisset; hortatusque fuit me pluribus verbis, ut aliquod subducerem tempus negotiis meis, quod in deliberatione eorum, quæ de te, inter nos agitata fuerant, consumerem. Duo mihi in hac re commoda accesserunt; quod & spatium cogitandi habui, & tuæ interim literæ in ipso tempore delatæ sunt. Crevit mihi certè in tua causa animus; nam cùm eas perlegissem, multo plus ingenii, & eloquentiæ, quàm mihi spei, & expectationis percepi: expectabam ita bono animo patrem tuum. Erant quidem hæ literæ tuæ, & graves, & ornatæ, & quod ego pluris feci, plenæ summi amoris, & veteris benevolentiæ tuæ in me. Nam etsi hoc scribendi genus, quo usus fueras, optimo judicio de te nobis esset; tamen illa singularis modestia tua, & prudentia in respondendo literis, quas ludens tecum scripseram de natura Fabritii nostri, & signis ejus, quæ φυσιογνωμίαν græci homines vocant, incredibiliter me delectavit. Has itaque literas tuas diligenter asservavi in adventum patris tui; jussi enim bono animo esse, neque te oportere magis solicitum fore, cùm inter illas frequentes occupationes tuas tantum ingenio tuo adjecisses; pollicitusque ei sum, quoties mihi aliquid otii esset, aut minus negotii, non omissurum commoditatem ad te scribendi. Suadeo itaque tibi, non permitas te hoc officio vinci; à quo etiam si interdum cessarem (scis enim quantum occupatus sum) noli tamen facere, quin sæpe hoc ipso perfruaris. Ages enim rem tuam, & illam ipsam egregiam vim dicendi, quam tibi natura præstitit, & exercitatio expolivit (crede mihi) usque in admirationem excitabis. Facies etiam rem omnium, quas excogitare possis, & patri tuo, & mihi gratissimam. Vale, & me ama. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS

JOANNI CAUCO

S. P. D.

NUnquam patrem tuum convenio, quin de te illum interrogem: idem & de fratribus tuis facio, maximè autem de Marco, quem cum hospitalitatis jure charum habeo, tum studia, quibus delectatur, multo chariorem illum mihi faciunt. Sed incredibile est, quanti semper modestiam ingenii tui fecerim; & quàm sæpe de te sermonem habeam apud cives tuos, si quando aliqua inter illos, me præsente, orta est mentio de moribus, & studiis adolescentiæ. Nam cùm splendido loco natus sis, & in locuplete domo educatus, neminem ex æqualibus tuis, qui multi apud me tecum nutriebantur, habebam, qui te modestior esset. Erat autem in te, sicut adhuc est, quædam singularis verecundia: quæ non, ut in cæteris videmus, contracta erat aliquâ erroris tui conscientiâ, sed potius quodam pudore, ac reverentiâ honesti. Sunt enim hæ & ætatis, & fortunæ, in qua es, satis egregiæ laudes. Sed nisi hanc vim naturæ tuæ excitaveris studio bonarum artium, ac disciplinarum majorum, difficile erit tibi ea præstare, quæ à te expectantur. Hortor itaque te, mi Joannes, ac etiam moneo, ut sæpe cogites, quantam expectationem sustineas; & quomodo ea perficias, quæ patri tuo, viro nobilissimo, ac optimo sæpe de te pollicitus fui, cùm adhuc apud me esses. Ego enim, quoties à me sciscitabatur, quid de te sperarem, semper illud dicebam, te bonum virum futurum, & utilem Reipublicæ: modò haberes magistros, qui te recta via ad hanc rem perducerent. Subjiciebam autem illi hanc rationem, quod quædam signa in te videbam, quibus planè conjectabam ita futurum; omnes enim illæ virtutes, quæ solent magnos viros in sua Republica facere, jam incipiebant in te apparere. Gaudebat, cùm hæc illi referrem; & certè magna in spe erat, quia à me hæc dicebantur, qui te diligerem, & mores tuos probè noscerem: Discessisti postea à me, & à patre tuo traditus fuisti curæ alterius:

in

in quo, ut ego judico, magis aliorum sententiam, quàm consilium fuit secutus. Ab illo tempore, quantum profeceris, nescio; sed ut ab eo sæpe audivi (nam plerunque de te quæro) non passus es totum tempus otiosum esse, nec malè impensum. His autem diebus, cum fortè in Urbem tuam venissem, multa verba de te inter nos habuimus: discessimus hac conditione, quod, si quid possem cogitatione mea, & arte prodesse tibi, nullam occasionem prætermitterem. Scis quantum huic tuo parenti debeam, & quot in me ejus officia extent; quamvis ergo doctrinâ, & præceptis magistri tibi familiaris, & domestici abundes, tamen aliqua ad te scribam, quod possis in dies te doctiorem, ac meliorem facere. Tu verò curabis, ut me sæpe certiorem de omnibus studiis tuis facias; & quoties aliquis tibi notus à portu vestro navim solvet, facturus iter Patavium, semper aliquid literarum tuarum ad me dabis. Non potest tibi deesse materia, de qua ad me scribas, propter multa, quæ, sive in otio sis, sive in negotio, semper vel adhortatione mea, vel consilio meliora poteris facere. Vale Patavii nono Calend. Junias.

GASPARINUS BARZIZIUS
DANIELI VICTURIO
S. P. D.

SÆpius ad te scriberem, Daniel mi suavissime, nisi ea te constantia præditum esse cognoscerem, ut certè noster amor nec intermisso remitti silentio, nec literis intendi possit. Huic etiam accedit humanitas, & benevolentia tua; quæ, tametsi ea multum apud omnes utaris, maximè tamen in amicorum vel erroribus, vel negligentia excusanda te delectat. Non ergo, quia tuæ diffidam amicitiæ, sed ut meo desiderio morem geram, scribo; quantam enim ex tuis voluptatem percipio literis, tantam ex meis te conjecto sumere, libet enim tecum apertè loqui. Eò quidem usque nostra processit amicitia, ut nec tantas cogitationes tuas, nec suspicionem assentationis vereatur. Amo te, Daniel mi, nec sine te ulla delectant studia; sed postquam te res

tua

tua à me distraxit, nec me tibi præsentem mea permittit necessitas, inveni, quo pacto nostram hanc jacturam temperem. Communicatum tibi esse volo, si quid apud me est, quod tibi prodesse arbitrer. Habui clarissimas Orationes Marci Tullii numero XXI. præstantis viri Antonii Lusci. Emi præterea septem, non tamen diversas: desunt ex omni numero totidem; festino tam ad eas exscribendas, quàm ad legendas. Jam totus ardeo illarum studio: nunquam mihi ita fuit fervens animus: magnum aliquem spero inde fructum elicere, qui si aliis profuturus sit, nescio. Illud certè confido, quòd tu absens, & Andreas noster præsens mecum non mediocrem percipiemus utilitatem. Habeo sententiam Antonii in undecim duntaxat: puto nonnihil curâ, & ingenio cujuslibet vestrum egregiis hujus Rhetoris, & Poëtæ sententiis accessurum: Quomodo id sit eventurum, cùm præsens eris, quod propediem erit, disces. Interim cùm tecum erit Andreas, ego in medio vestrum ambulans tacitus mente, non corpore, longum super hoc sermonem consumemus; tu hactenus partem; sed cùm unà erimus, reliquum meliùs intelliges. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
THOMÆ DANDULO
S. P. D.

Nisi te in dies expectassem, non distulissem hucusque admonere te literis meis, quod majorem studiorum tuorum rationem haberes, quàm ad præsens vel patriæ, vel tuorum. Sed postquam te video hanc expectationem meam nimiùm producere, puto mihi ignosces, si me tibi subirasci dicam. Nam & familiaritas, quæ mihi est cum patre tuo viro nobilissimo, & summo amico meo, & necessitudo studiorum tuorum, quæ apud me satis prosperè incœperas, faciunt, ut tibi necessariò molestus sim. Quid enim est, mi Thoma, quod in medio cursu literarum subsistis? cur ille ardor animi tui tam citò refrixit? Scio habes multa, quæ accuses, nec patieris te judicio vinci à me de negligen-

gen-

gentia; sed nescio, an ulla res tanta sit, quæ te debeat studiorum tuorum immemorem facere. Suadeo, ut matures ad nos accedere, nec amplius differas: idem scribo de optimo adolescentulo fratre tuo, modò sua valetudo curata sit; aut si quid est, quòd nunc impediat, fac me certiorem. Vale Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
ANDREÆ JULIANO
S. P. D.

Literas tuas pridie idus Martii datas hesterno vesperi accepi: quibus, ut cætera in adventum tuum differam, desideras ex me scire, quid sentiam de illa tua proxenetica sententia ad Bartholomæum Veronensem. Ego verò judicium meum non audeo ad te perscribere; cùm enim quicquam tuum laudo, statim ex singulari modestia tua non id libenter audire intelligo: quasi semper de te humilius, quàm vel æquum sit, vel amor meus patiatur, sentire debeam. Cùm verò scripta tua jam admirari incipiam, & libentius epistolas tuas legere, quàm ad te quicquam literarum dare; si hoc ipsum significavero, jam illud dices, me in laudes tuas nimis accensum esse, & propterea non satis meo testimonio fidere. Constitui itaque, quoties de ingenio tuo dicendum erit, apud alium, quàm tecum agere. Puto id mihi non negabis; quod si hoc etiam molestum erit, non tamen desinam. Utinam ea dicendi copia mihi data esset, ut quod de se promittit Seneca, duratura mecum possem educere nomina. Nihil est enim, quòd libentius facerem, quàm te, Danielemque meum, quibus omnia debeo, notos posteritati reddere: sed ne te diutius morer, illud mihi videtur, ut epistolas, quas mandasti mihi, velut scribis, corrigendas, tutò committas vel fido tabellario, vel alteri, quando visum tibi fuerit, ad amicum tuum perferendas. Nihil certè in eis legi, quod mihi visum sit immutandum: plurima verò sunt, quæ non ex mediis occupationibus, sed in summo otio, & ex maxima tranquillitate orta possunt judicari. Verùm de hoc satis. Maximè adventum tuum desidero, ut inter nos commentemur,

temur, qua lege deinceps hoc nostrum scribendi officium frequentemus. Vale, & gratulare Danieli nostro, qui tecum, quantum in vobis fuit, rectè amicum meum acceptum habuit. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
DANIELI VICTURIO
S. P. D.

Nisi tu adhuc restares de numero illorum, quos mihi tuo studio, ac tuâ operâ comparaveram, ut te excepto, neminem ferè magis diligerem; puto jam penitus odio mihi essent hujus nostri temporis amicitiæ. Scripsissem ad te sæpius de hac re, & questus quampluribus vobis essem, vel quia infortunatus sum in diligendo amicos, vel de moribus hominum; nisi tantam de modestia tua fecissem opinionem, ut jam tuum judicium maximè vereri incipiam. Cogitabis itaque per te meliùs, atque honestiùs, quid ab amicis meis vel desiderem, vel quid in eis accusem, quàm ego omnia tibi exponam. Unum est, de quo te certiorem facere non dubito; non possum diutius, neque dissimulare, neque perferre eam animi ægritudinem, quam concepi ex illis epistolis Ciceronis, in quibus me planè delusum video, nisi illas arte tua, & solicitudine habeam. Quid super hoc à te fieri exigam, aut quid sperem, cùm desiderium meum cogitaveris, melius tamen ipse intelliges, quàm ego possim scribere. Tantum dicam, quod hac re perfecta, inusitatas me tibi & habere, & dicere gratias senties. Vale, & me dilige. Patavii.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS

JOANNI CORNELIO

S. P. D.

BArtholomæus Sacerdos Plinium tuum, & literas reddidit, ac multa retulit de tua in me summa benevolentia: quæ etsi mihi non tantùm usitata, sed quotidiana sit, magna tamen voluptate afficior, quoties aliquid de tuo amore in me audio. Sed ut ad Plinium redeam; magnas habeo tibi gratias, quòd tam faciliter passus es me libro tibi charissimo uti: nisi tuo cum incommodo fiet, curabo, ut celeriter transcribatur. Sed priùs cupio certior à te fieri, an aliquem alium correctiorem tuo audieris esse apud aliquem ex civibus tuis; nollem enim in summa caritate pecuniæ malè tantum sumptum locare; ubi verò alius emendatior non reperiatur, constitui potiùs libro non bono uti, quàm omnino carere. Non poterit esse, quin ex cumulo rerum, quas dignissimus is Auctor complexus fuit libris sex, & triginta, multa possim dicere, quæ commentariolis meis commodissimè inserantur: quæ res si à me unquam perfecta fuerit, majorem partem laborum meorum tibi vindicabis, qui etiam studiorum maximus adjutor, & socius mihi fueris. Livium olim Donati Casentini nondum habui, nec res ista potest sinè te expediri: sex ducati deficiunt ad summam pretii: facias quæso, ut ii numerentur Hieronymo Anzelerio homini physico. Scribo ad Antonium Fressum civem Ferrariensem, quod librum committat illi, cui tu negotium mandaveris; cùm enim liber ille charior mihi sit oculis meis, non audeo curam illius ad me deferendi alteri committere, quàm ei, cui tu hoc negotium imposueris: qui cùm sis homo tuorum civium literatissimus, & mihi summus amicus, majorem in hac re diligentiam adhibebis, quàm alius mihi notus posset. Admonebis tamen amicum tuum, quòd librum cautè ferat propter publicanos, qui cùm ubique sint prædandi avidissimi, multo avidiores sunt in solo Ferrariensi. Cùm verò Livium nostrum hospitio tuo susceperis, postquam sibi litaveris, conce-

des ei, ut in Urbem suam naviget. Vale, & sæpe de me cogites. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS

ANDREÆ JULIANO

S. P. D.

MUltas ex tuis Orationibus accuratissimè scriptas legi; sed nullam certè politiorem ea, quàm, his diebus, de morte summi, & clarissimi Philosophi Emmanuelis * Chrysoloræ edidisti. Nihil enim est à te prætermissum, quod ad talem virum ornandum excogitari potuerit. Quare te etiam, atque etiam non quidem hortor, sed magis laudo, quod divinum ingenium cùm natura ad dicendum tibi dederit, tum etiam summum studium ad eam rem contulisti. Magnam itaque voluptatem ex tua oratione percepi, quia ingenia nostra tantum ad hæc studia excitari video; nec despero futurum, ut illa majorum nostrorum gloria, quæ penè in dicendo extincta erat, hac nostra ætate reviviscat: modò ut nostra ingenia, ita fortuna civilia negotia paria negotiis priorum temporum Oratorum conferat: quorum alterum tua virtus, alterum Respublica, & Magistratus, quem pulcherrimum adeptus es, facilè tibi præstabit. Vale Patavii nono Calend. Octobris anno 1415.

GASPARINUS BARZIZIUS

FACINO VENTRARIÆ

S. P. D.

QUod tibi Dominicum necessarium tuum, vir insignis, commendem, supervacuum mihi visum est. Nam cùm pro tua in omnes tuos natura, commendatione nulla apud te egeat: tum virtus ejus, quanta in ætatem illam cadere potest, multo cum

* Hæc Andreæ Juliani Oratio habita est Venetiis, atque typis impressa legitur in Poggiana.

eum tibi commendatiorem facit; huc accedit eximia quædam vis ingenii. Sed eo genere literarum præditus est, quo & tu mirificè delectaris, & semper his favisti, quos plus cæteris in his studiis humanitatis doctos esse judicasti. Tamen, vel quod pluris is me semper fecit, neque aliter quàm patrem observavit; vel ut consuetudini morem geram, etiam eum amicis commendo, quem per se charissimum esse eis non dubitamus. Quæso, ut si qua pristino amori tuo in eum potest accessio fieri, sentiat se meis literis gratiorem tibi esse factum; habebis enim, crede mihi, eum tibi obsequentissimum, amantissimumque tui: cui neque fides in continendis rebus secretis, quas illi committes, deerit; neque diligentia in faciendo, nec in agendo studium, quod tutè melius in dies verum esse, experiendo intelliges. Quicquid igitur in hunc adolescentem admonendum, cohortandumque studii contuleris, totum illud contulisse in me ipsum judicabis; nam & ego idem feci, teque de illo facturum non modò spero, sed certò de te mihi promisi. Quod verò ad illius in te officium pertinet, si minus ipse tuæ expectationi respondebit; ego & restipulari, & pro eodem præstare non dubitabo. Vale, & me, ut facis, ama. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS FRANCISCO BARBARO S. P. D.

NUnquam tam pulchrè rusticatus fui, quàm his diebus, quibus tu à nobis propter infirmam valetudinem tuam absens fuisti. Navigavi quidem tempore procelloso ferè eâdem tranquillitate, qua nautæ vestri solent in sereno. Partem itineris pedibus meis confeci; neque aliàs magis expertus fui, quid pedibus meis deberem, quàm in hac mea peregrinatione. Dicam rem tibi fortassis incredibilem: non dubitarem jam cursu tecum certare, quamvis tu integer sis, & tot diebus sub excusatione adversæ valetudinis quieveris, ut adversarium tuum hoc certamine vinceres. Tandem ad colles perveni, quos Bacchus amat.

 Inve-

Inveni omnia sacris fervere: res visa à sapiente viro prorsus irridenda. Sed paulo post tanta illius Numinis veneratio oculis meis injecta est, ut multis lacrymis sacra, quæ rustici illi, qui & duri montani, celebrabant, persequerer; nec dubitavi affirmare neminem posse virum sapientem, virum bonum, virum studiosis amicum consistere, qui non veneraretur hunc Deum; sic enim ego sentio. Tuli autem mecum quandam particulam sacrorum illius Dei, scilicet vasculum unum vini, quod agrestes illi Marceminum vocant: itidem alterum ejus, quod iidem Schiavum appellant; accesserunt etiam quædam vina vulgaria, ad quæ minores amicos voco; sed te ad prima expecto. Fac quamprimum ad nos redeas; ut antequam discedam, (scis enim multo sudore adventare proxima festa Lucæ). tecum his rebus frui possim. Vale Patavii sexto Idus Octobris.

GASPARINUS BARZIZIUS FEDERICO PARMENSI S. P. D.

REcepi & literas, & munera tua, Federice mi suavissime: quæ etsi mihi pergrata fuerint, tamen hic ipse animus tuus, quo præditus es, multo magis me delectat. Neque aliud unquam, postea quam amare te cœpi, expetivi à te, quam ut animum tuum mihi, ut facis, præberes. Si quid autem est, quo tuæ in me vel fidei, vel benevolentiæ non satis fecerim, id totum certè culpa temporum, non mea fuit. Scis enim eo in statu res nostras fuisse, ut mihi à te divelli necesse foret. Itaque plurimum sum gavisus, cùm tuas legi, & intellexi literas, quibus mihi me scribis nolle te otio totum dare: in qua sententia tantum te hortor, ut nihil sit, ad quod te magis hortari possim. Cassiodorum meum ad te mitto, ut illum quàm familiarem tibi facias; nondum potui habere illum venalem, de quo tecum locutus fui, cùm apud te essem: interim ita uteris meo, ut tuum quoque credas. Lucretiam, & omnes liberos meos hortatus sum, ut scriberent, qui omnes te salvum esse cupiunt. Bucolicam Petrarchæ cum

parte

parte commentariorum mitto, ut liber iste sit argumentum amicitiæ nostræ, non quòd de te diffidam, sed ut amoris mei signum aliquod tibi exhibeam. Vale, mi Federice. Patavii.

GASPARINUS BARZIZIUS
LAURENTIO BONZIO
S. P. D.

NEsciebam hercle quid tibi scriberem mi Laurenti, præsertim cùm duas ad te jam dedissem literas, quibus nihil adhuc responsum esset; quia tibi, ut arbitror, cui perferendas ad me dares, nullus fuit. Sed me noster amor pulchrè monuit, nullum tempus esse, quo possint amicis verba deesse. Primum igitur mihi noster Andreas occurrit, vir omnium ferè suorum æqualium studiosissimus, & in primis eruditus. Venit enim ad nos cum navi pretiosis onustâ mercibus, & alia quidem jecit optimarum artium fundamenta, ut jam nihil sit, quod hominis divinum mihi non promittat ingenium. Mirâ quippe celeritate collegit tot præcepta, quot erudito, & plenè docto percurrere satis esset. Nunc id apud vos intendit, ut honestum quærat studiis ejus argumentum. Sperat, dum suæ Reipublicæ negotium agit, posse id consequi, quod gravem, & egregium civem decent, in qua sententia multis rationibus animum ejus ego ipse maximè confirmavi. Quare mi Laurenti per eam te quæso fidem, & amicitiam, quæ inter nos non parum crevit, suscipe rem hanc totam sic, ut tibi credas: incumbas omni curâ, studio, & diligentiâ. Enitendum est, ut suos competitores tua, & amicorum sollicitudine vincat, sicut virtute, scientiâ, & nobilitate præcedit. Res tota, ut nosti, suffragiis multorum agitur: in quo quantum tua possit industria, tu nosti, neque nos ignoramus. Sed apud quem, aut pro quo intercedo? quis enim tibi, aut cui tu amicior esse poterat? Scio contendes mecum, teque mihi præferes apud eum, & vetustate amicitiæ, & majori charitate: vetustate concedam, claritate nunquam: non enim amor tempore, sed honestate, sed viribus animi viget. Movebis mihi bellum, & in his duo-

bus

bus & te primum dices: ego verè tibi contumaciter resistam, nec in præsentia cedam. Sit igitur hæc inter nos contentio, uter amicum talem honestius, uter ardentius; non uter amet antiquius. Tu me certes vincere, ego te: hujus sit exitus controversiæ nullum exitum invenire. Vide quæso quò processit oratio. Qui enim à principio vix habebam, quid tibi scriberem, nunc finem verbis vix reperio: in quo vires quantæ sint in amicitia, planè sentio. Magnum est, & potens ejus Numen, nullis obnoxium legibus, nulli imperio: tota, quam semel accepit, libertate semper utitur. Utamur, & nos ea: sit liber sermo, liberior animus, nihil opertum, nihil simulatum. Ego quidem sic de te cogitabo, tecum loquar, tecum agam; ut unam, & eandem duobus in corporibus divisam putes animam. Stude, ut valeas. Patavii sexto Calendas Januarii 1417.

GASPARINUS BARZIZIUS

ZANINO RICCIO

S. P. D.

MAximas habeo tuæ virtuti gratias, quòd nunquam à tua mente excidi. Facis quidem rem non minus dignam tua humanitate, quàm mea expectatione. Narravit enim mihi his diebus Antonius Cursor, quod, dum fortè apud te esset, multa pro tua in me benevolentia familiariter ab eo de me quæsisti, & quo in statu essem, interrogasse illum; hortatusque me fuit, prout in mandatis à te habebat, quod vellem patriam repetere; cùm illud diceres, non posse mihi aliquem honestum locum, aut idoneum fortunæ meæ apud te deesse. Ego verò non minus gaudium sensi, quod intelligebam me summè à te amari, quàm quod magnam spem melioris status mihi dabas. Merito ergo te non solùm amo, sed etiam maximè animo colo. Rogo te igitur, atque obsecro, ut sicut facis, sæpe de me cogites; nec patiaris me diu à te abesse. Si enim in patriam cum aliqua dignitate operâ tuâ rediero; dabo operam, ne aut ingratus tibi, aut parum diligens in officio meo cuiquam videar. Aliud ad præsens

non

non scribo, nisi quod literas, quas mitto ad Franciscum Barbavariam, per te sibi reddantur, & me sæpe ei commendes. Vale, & me ames. Patavii sexto Calend. Februarii.

GASPARINUS BARZIZIUS GERARDO LANDRIANO *Laudensi Episcopo* S. P. D.

ETsi voluptate maxima affectus essem, P. R., quod ad me Oratorem à te compertum misisses; multo tamen majori gaudio cumulari me sensi, cum à Joanne Homodeo, ut nosti, tuæ dignitatis observantissimo, me amari à te plurimum intellexi. Nunquam enim ad me accedit, quin multa vel de tuo erga me amore summo, vel de tua virtute, vel sapientia referat; omnisque ejus sermo in tua laude consumitur. Cùm verò de studiis humanitatis forte inter nos mentio orta est, ita egregiè de te & sentit, & loquitur, ut huic meo in te animo incredibilem fieri accessionem sentiam. Aut enim nullæ, quæ ad horum præstantiam artes pertinent, à vobis desiderandæ sunt; aut hæ meo judicio cæteris sunt anteferendæ, quæ non modò meliores nos efficiunt, sed etiam expolitiores. Quare te, Pater optime, cùm multis rebus, tum hac in primis, & complector animo, & admiror; quòd studia eloquentiæ cum cæteris artibus, ac disciplinis, quibus ab ineunte ætate deditus es, conjungere instituisti. Sic enim ex Joanne nostro, cum juris civilis scientiâ, tum hoc dicendi usu egregiè præditum, sæpenumero audio; fortunatissimumque ex hoc esse te judico, quod omnes oratoriæ institutionis partes illas, quibus carebamus, ex his tenebris, quibus tot sæculis delituerunt, in lucem eduxisti. Quod cùm divinitus tibi obtigerit, facile intelligo nunquam ad te unum potissimum beneficium fortunam detulisse, nisi ad has ipsas artes magis natus, quàm institutus esses. Gaudeo itaque, Pater humanissime, hac tua tam excellenti sive natura, sive fortuna, sive utraque potius: summasque tibi gratias habeo, quod hujusce inventionis tuæ

socium

socium me, ac participem primum omnium esse voluisti. Feci autem, ut pro illo vetustissimo, ac penè ad ullum usum apto, novum manu hominis doctissimi scriptum, ad illud exemplar correctum alium codicem haberes: quem ad te pro tuo is defert, qui primus munus hoc à tua in eum singulari benevolentia pro me impetravit. Hunc ad te librum nudum, ac inornatum mitto. Neque aliter mihi per occupationes meas licuit; nec priùs expediri à librario meo, qui hoc exemplo usus fuit, tametsi instarem, potuit. Ignosces itaque, Pater præstantissime: & quod à me omissum est, tu illud pro tuo arbitrio expolies, atque exornabis; judicabisque, hac una re, ea inter nos fundamenta amicitiæ jacta, quæ nullum finem sint habitura. Vale Mediolani.

GASPARINUS BARZIZIUS
FRANCISCO BOSSIO
Novocomensi Episcopo
S. P. D.

ETsi eâ te sapientiâ esse, Pater Reverende, scio, ut tuo in hoc casu non tibi magis, ac tuis, quàm bonis omnibus luctuoso, mederi ipse tibi possis; tamen cùm & dolor tuus adhuc recens, & pietas facere id te in præsentia impediant, non alienum hoc tempore arbitratus sum; si ego, qui & patrem tuum maximè dilexi, & te pro tua dignitate, ut nosti, ex animo semper colui, ad constantiam, & firmitatem animi cohortatus fuero; faciamque, quod in gravibus morbis solent medici: qui priusquam remedia applicent, causas, quæ dolorem iis inferant, qui morbo aliquo laborant, exquirere consueverunt. Nisi enim pater tuus is fuisset, quo haud scio, an quisquam vel majori in Principem fide, vel in Senatu gravior, vel patriæ amantior memoriâ nostrâ fuerit; & tu illa in eum pietate affectus, qua nemo penè in patrem adhuc fuit; hujus certè mortem, qua sapientia es, æquissimo animo tulisses. Nulla quidem res tibi impedimento fuisset, quin, quod semper intellexisti, non solùm fortiter, sed libenter etiam ferres, quicquid in rebus humanis lex naturæ statuisset; sed quum

quum utraque res omnibus officiat, cum in cæteris, tum in me uno maximè expertus sum; qui, cùm filium primogenitum Nicolaum subita vis morbi mihi eripuisset, virum in omnibus illis artibus, quæ libero homine dignæ sunt, apprimè doctum, nihil molestius in eo tuli, quàm quod eo tempore illum amisi, quo & frui ingenio ejus, & jam delectari studiis cœperam. Illud præterea huic dolori meo accedebat, quod ita naturâ comparatus sum, ut non modò meis luctibus, sed alienis etiam ita sum, sive recordatione quadam meorum casuum, sive in omnes pietate, molli, ac fracto animo, ut vix lacrymis, ac dolori imperare possim. Quem animi affectum in funere patris tui tam vehementem, tamque acerbum sensi, ut cùm te, fratresque tuos dicendo consolari conatus essem, vix pauca, ut nosti, præ lacrymis loqui potuerim. Quod etsi maximè adversum esse consolationis officio * Servius ad Ciceronem scribit: *quia per quos ea fieri debet propinquos, & familiares, ipsi pari molestia afficiuntur; ut magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quàm aliis posse suum officium præstare*: tamen hoc semper animo, atque eâ sententiâ fui, amicorum lacrymas omnibus in luctibus gratas semper fuisse. Sunt enim summi amoris in nos testes, & certissima argumenta; quibus etsi nostræ nonnunquam lacrymæ duplicantur, est tamen in illis quiddam, quod dolorem nostrum levet; cùm ipsa in luctu nostro amicorum societas nos admoneat, nihil tam grave esse, quod non illorum pietas minuat, atque molliat. Hæc te, Pater optime, ac tuos omnes ratio consolari potissimum debet; nam in tanta civium frequentia, quantam nescio, an adhuc ullo in funere viderim, nemo fuit, qui non multis lacrymis testatus sit, quàm charus omni Civitati pater tuus extiterit; cùm loca omnia planctu, gemitu, suspiriis, cùm corpus ad sepulchrum efferretur, essent referta; cùm alii eum patrem patriæ, alii Urbis patronum, alii justitiæ, æquitatisque amantissimum, alii Urbium omnium, ac Gentium, quæ huic nostro Principi clementissimo serviunt: qui & ipse nihil morte ejus sibi gravius, multis annis vidit; tutorem optimum, ac certissimum refugium appellarent. Nunc tot

* Servius Sulpicius apud Ciceronem lib. 4. epist. familiar epist. 5.

civium dolor, ac ingens omnium desiderium consolari te, Pater optime, ac tuos omnes debet. Quæ res, si fortè augere mœrorem tuum, quo es nunc, non videtur, quòd talem patrem amiseris, quem tot viri lugeant, quem Princeps is desideret: quo nec pietate quisquam præstantior, nec major armis, nostrâ, aut patrum memoriâ, apud nos adhuc fuit: tamen si ea considerare volueris, intelliges nullam rem, hac unâ, majori tibi consolationi esse oportere. Quod si tua pietas nondum patitur; tamen sapientia illa, quâ eximiè præditus es, persuadere tibi debet, ut hoc idem in funere patris facias, quod dies ipse, ac diuturnitas temporis omnibus afferre consuevit; nec tam sequaris id, quod natura facere cogit, quàm quod ratio, quod virtus, quod tua dignitas, ut facias, monet. Omnes enim te unum intuentur: ex te uno tui, quem suo mœrori modum faciant, signum expectant. Quem nisi forti, ac magno ferre animo hunc casum viderint, renovabis, crede, magnos illos, quos nuper vidisti, luctus. Commemorarem, qui viri mortem parentum, aut filiorum fortissimo animo tulerint: repeterem majorum exempla: commonefacerem, ut præcepta philosophorum, quæ de luctu minuendo reliquerunt, legeres; nisi eum te esse cognovissem, qui cùm aliis consilium dare consueveris, multo magis illo in hoc tuo casu usurus sis. Quare, Pater clarissime, cùm fortè satis expectationi aliorum sis facturus, si huic tuo dolori medearis; non idem certè mihi, qui te quidem novi, nisi quod nunc maximè facere te, aut proximè facturum confido; ut matrem tuam fœminam omnium modestissimam, quam nunc acerbissimo dolore confici scio, fratresque tuos tui amantissimos, mœrore summo affectos consoleris, & tuo exemplo ad constantiam, ac firmitudinem animi cohortatus fueris. Plura ad te scriberem, nisi ad res honestas, ac te dignas tua sponte magis, quàm hortatione cujusquam excitatum sæpenumero vidissem. Vale Mediolani.

GA-

GASPARINUS BARZIZIUS GUINIFORTO, ET AUGUSTINO BARZIZIIS

S. P. D.

QUod omnia nobis adversa, ac proposito nostro contraria eveniant, molestius ferrem, nisi animus ipse jam ad omnia mala obduruisset. Nostrum est, ut fortiter perferamus casus fortuitos, postquam nullâ mutari prudentiâ possunt, quæ Deus fieri voluit: non soli estis, qui in hanc sortem incideritis. Durum est, fateor, & præteriti temporis jacturam deflere, & similem conditionem fortunæ in posterum timere; de quo plura scriberem, nisi virtuti vestræ diffidere viderer. Ego constitui, quidquid fortuna in utranque partem de me fecerit, id boni æquè consulere, nec præstare præter culpam Sapientem oportere quicquam. Quod si feceritis, & præ vobis honesta sola tuleritis; tum vos sapientes, ac majoribus vestris, qui omnes clari viri fuerunt, dignos judicabo. Hoc vos facere pater jubet, nec differre: retexenda vobis tota superior vita est, & emendanda; & curandum, ut potius Deo, quàm hominibus boni viri, quàm ut docti videamini. Sed hactenus hæc; melius enim fiunt ista, quàm disputentur. Summa omnium est: timete Deum, & omnia vobis, ut autumo, vertentur in bonum: non ex humano, non Delphico Oraculo editum vobis putate. Tunc vobis honores, Magistratus, dignitates, opes, & quæ experi in vita solent, uberrimè succedent; nec, ut plerisque, oneri, aut dedecori vobis erunt, sed ornamento virtutum vestrarum, & felicitati sempiternæ accedent. Si hoc exilio Magistratum aliquem, Augustine fili, aut honorem appetis, non solùm probo, sed laudo etiam vehementer: tibi verò, Guiniforte, non prius honores hos petendos censeo, quam te in jure Civili, & Pontificio maturè expedieris. Vale. Ex Mediolano pridie Nonas Januarii 1429.

GASPARINI BARZIZII

BERGOMATIS

EPISTOLÆ AD EXERCITATIONEM ACCOMMODATÆ.

I.

GAudeo plurimum, ac lætor, in ea te sententia esse, ut nihil à me putes sine causa fieri. Ego enim etsi multorum verebar suspiciones, quia à me Sempronium antiquum familiarem meum rejiciebam; tamen cùm ad incredibilem animi tui sapientiam judicium meum referebam, nihil erat, quare id à te improbari putarem. Nam cum & meos nosses mores, & illius naturam non ignorares, non dubitabam, quid de hoc facto meo judicaturus esses. Non igitur has ad te literas perscribo, quo novam tibi de rebus à me gestis opinionem faciam; sed, ut si quandò aliter homines nostros de me sentire intelliges, tu, qui probè causam meam nosti, defensionem meam suscipias. Hæc si feceris, nihil est, quo ulteriùs officium tuum requiram. Vale.

II.

ETsi antea literis, & sermone multorum non satis probari factum tuum intellexissem, quia veterem amicum destituisses; tamen cùm haberem animum tuum multis judiciis perspectum; nullò pacto induci poteram, ut in ea re temerè quicquam à te

Hæ Barzizii Epistolæ, ut à pluribus mendis, quibus scatebant, emendatæ, & germanæ lectioni restitutæ in publicum prodirent, Parisiense Exemplar cum Barziziano M.S. Codice anni 1438. Bergomi reperto contulimus: in quo & plures alias Gasparini Epistolas familiares & nonnullas Orationes, & Epistolas Guiniforti invenimus, quas in Mediolanensi Bibliotheca, atque in aliis Italiæ celeberrimis inutili labore quæsivimus. Has autem ad exercitationem epistolas alteri scriptas effinxit Barzizius, à quo pro opportunitate rei, vel temporis responsum est; nos verò singulas numero primo, & secundo ad clariorem intelligentiam distinximus.

te factum putarem. Sed quàm difficile sit, præsertim in hac Urbe nostra, ex animis hominum evellere eam opinionem, quæ semel insederit; cùm sis prudens, nihil opus est te admonere. Ego tibi omne studium meum polliceor, & quantum in me erit, perficiam, ne quisquam nostrorum civium ea re tibi succenseat: quod si ulla ratione iis poterit persuaderi, nihil omittam; si verò illos in sententia manere sensero, ego vicem tuam dolebo: tuum erit non tantum officium meum ex eventu, quantum ex meo in te animo spectare. Vale.

I.

MEritò amo te, quia non, ut nostri homines solent, res ipsas tantum ex aliorum ingenio, quantum ex tuo judicas. Quod nisi de te mihi certissimè persuasissem, vehementer dubitarem, ne rumor, qui de me percrebruit, paulò te alieniorem à me faceret. Nam cùm plerique admirentur, quòd Tiberii Claudii defensionem non suscepi, sunt, qui ultrò me accusent, & periniquum dicant; quia veteris amici, & necessarii tui causam patiar, me vivo, ac salvo, esse desertam. Ego verò, cùm non dubitarem multos homines esse, qui animo dolerent, quia me summè amares; videbam non defuturos, qui ad te scriberent, me nunquam bono animo in tuos fuisse, neque tantum amicitiam tuam, quantum fortunam secutum. Sed, cùm te non ignorarem, semper horum hominum insidias parvifeci. Volui autem ad te scribere, ne te contemptum à me diceres; illud igitur à me habeto, quia si causa Tiberii à me defendi potuisset, salva ea opinione, quam nos omnes volumus in Republica habere, certè non minus in ejus periculo laborassem, quàm soleo, cùm de capite, & fortunis meorum agitur. Sed nolui famæ meæ periculum facere; turpe enim esset, ut, qui semper vigilavi pro commodis Reipublicæ, non privato officio hunc hominem tuerer: qui non solùm multis judiciis, sed etiam gravissimis testibus Rempublicam malè gessisset. Hortor itaque te, ac etiam majorem in modum rogo, ut sicut facis, benè de me existimes; neque alium me putes, quàm cum summo studio olim familiares tuos defende-

debam. Scio non longè abfuturum, quin me in gratiam habeas; si consiliorum tuorum memineris, quibus me sæpe admonuisti, ut cum amicis multa contulissem: omnia consilia mea ad amplitudinem Reipublicæ referam. Vale.

II.

QUod Tiberio Claudio non affueris, minimè officium tuum reprehendo. Scio enim, quantum unusquisque nostræ Reipublicæ debeat, nec dubito, quin pro nostra necessitudine omnia dicturus, atque facturus fueris, quæ, salvâ Republicâ, tali in causa dici, aut fieri à te potuerint. Sed temeritate suâ res in eum locum deducta est, ut qui Reipublicæ benè consultum volunt, hunc aut oderint, aut destitutum esse patiantur. Nulla ergo mihi jam societas est cum illo; necessarius meus fuit, & amicus, quamdiù nostræ Reipublicæ alicui usui erat. Cùm verò malè cœpit de publicis commodis sentire, ego non aliter, ac debeo, de homine illo judico. Quia verò scribis, te consilium meum in hac re secutum, vehementer gaudeo; ac tantum ad hoc te hortor, ut nihil sit, ad quod te majori studio hortari possim. Cùm enim antea propter multa in me officia tua maximas tibi gratias haberem; nunc certè eò majores habeo, quia unicuique nostrum Respublica debet esse charior, quàm privata. Vale.

I.

MAgnas habeo naturæ tuæ gratias, quia nihil est, quare causæ meæ diffidam. Cum enim in rebus judicandis summâ prudentiâ sis præditus; video non posse fieri, ut quod multis persæpe accidit, ipsa legum nostrarum obscuritas remoretur sententiam tuam. Tu quod sapientiæ tuæ conveniat, videbis: ego verò tabulas publicas, testes, & cætera adjumenta, quæ in hujusmodi litibus solent desiderari, ita parata habeo, ut non cavillationibus, sicut nuper adversarii mei, sed ipsa veritate pugnare à te judicer. Vale.

II.

II.

SI adjumentis, de quibus ad me scripsisti, instructa est causa tua; nihil est, quod à te dubitandum censeam. Ego enim, quantum ad me attinebit, perspiciam, ne meâ negligentiâ ullum ad te incommodum veniat. Tuum erit videre, ut cum optimam causam habeas, non ipse tibi defuisse videaris, & post rem judicatam venias; ne tibi aliquid simile accidat iis, qui de rebus præteritis in consilium veniunt; & post tempestatem cogitant, qua ratione possit occurri periculis, quæ jam sunt præterita. Cupio enim omnia tibi ex sententia evenire, quæ, salvis legibus, possunt in causa tua meditari. Sed ubi aliud æquitas, aliud tua voluntas à me exigit; non dico tibi, sed ne parenti quidem meo concederem, si mecum hoc pacto contenderet; ut ipse plus apud me posset, quàm leges, & consuetudo judiciorum. Verùm ne te quidem hoc à me exigere pro tua singulari modestia arbitror. Non enim eo te ingenio novi esse, nec eâ familiâ, quæ aliquid in nostra Civitate potius injuriâ, quàm jure à se impetratum iri velit. Cura tamen, ne sępius de eadem re te admoneam, ut cùm omnia parata sint, tu ipse tibi defuisse judiceris. Vale.

I.

NIsi scirem de qua re, & apud quem agerem, non auderem hoc præsertim tempore ad te quicquam scribere. Scis enim, quàm varię sint hominum suspiciones, & quàm promptissimę linguæ ad maledicendum; sed cùm summa causæ meæ æquitas sit, & tu ille sis, qui nihil possis, nisi æquum facere; bono animo causam meam tibi commendo. Non dubito multos homines esse, qui arbitrentur quadam avaritiâ me impulsum, ut de antiquis sedibus, & de avitis bonis velim Q. Fabium pellere. Ego verò ita institutus sum, ut nullius hominis locupletari incommodis unquàm appetiverim; sed de jure suo alteri cedere propter hominum invidiam, aut timidi hominis, aut stulti videtur esse. Satis enim mihi erit, quod de re non iniqua apud Judicem æquissimum

con-

contendam. Tu autem à consuetudine, & natura tua non recedas; & ego nihil à te, nisi quod tua æquitate dignum sit, requiram. Vale.

II.

SI à nostris legibus non abhorret causa tua, bene te sperare jubeo; non enim sum ille, quem rumor popularis, aut hominum fama contra æquitatem permoveat; nec ignoro veteri instituto magis oportere judicem attendere, quid sit in re positum, quàm in opinione. Sed, ut probè semper cavi, ne unquam rumores ante æquitatem ponerem; ita providendum tibi censeo; ne aliquâ culpâ tuâ, hæc opinio de te contracta videatur. Quicquid autem ingenio meo, aut studio provideri poterit, ut de jure tuo nemini propter invidiam cedas, totum illud satis me facturum tibi polliceor. Illud verò pro tua providentia circumspicies, qua scilicet ratione, & fortunis tuis, & nomini meo benè consulas. Vale.

I.

MAxima causa me impulit, ut hoc tempore ad te scriberem; nàm cum te maximis rebus detentum esse audirem, certè negotium meum aliud in tempus distulissem; nisi id ipsum tale fuisset, quod semel à me neglectum, nullius hominis neque consilio, neque auxilio posteà corrigi posset. Feres itaque me, si te maximas res agitantem interpellavero; puto te memoriâ tenere, quibus verbis Tiro usus fuerit, cùm pridie Calendas Martias utrunque nostrum convenisset; nàm cum ipse, bono animo, se mecum in gratiam rediisse affirmaret, neque in se ullas omnino reliquias odii superesse diceret, tu me jussisti non solùm esse æquo animo, sed etiam otioso; nec amplius quicquam de eo suspicari. Ego verò cùm illius verbis, & tuæ auctoritati magnam fidem haberem; omnem memoriam injuriarum, ac simultatum, quæ inter nos fuerant, penitus ex animo sustuleram: quid inde secutum sit, melius audies ex homine isto, quem ad te mitto, cui non solùm

hum literas dedi, sed etiam mandata, quæ super hac re ad te perferret. Postea enim quàm a nobis discessisti, rebus, ut putabas inter me, & illum compositis, intervenit Saturninus, homo, ut scis, omnium seditiosissimus; is omnia perturbavit, & tantum excitavit odium, ut fortunæ meæ nunquam deteriori loco steterint; nam, quod in morbis dici solet, malum recrudescit aliquando asperius, quàm incœperit, quod à nullo certè alio medico sanari potest, quàm à te ipso. Quare si me salvum esse vis: si fortunas meas incolumes, cura ut ad nos advoles; opus est enim celeritate, ne velis eò me esse conjectum, unde nullo tempore, non dico amici, sed ne ipsa quidem salus, etsi cupiat, possit eximere. Vale.

II.

QUantam molestiam animo perceperim, cognita Tironis levitate, ex hoc potes agnoscere: quia, nisi Respublica me ex ipso itinere palàm revocasset, certè non solùm has literas consecutus essem, sed multo etiam illas antecessissem. Si ergo fortunis tuis, ut oportebat, non adfui, minimè accusabis officium meum: qui cùm maximè cuperem animo satisfacere tuo, illa ipsa patriæ nostræ charitas ex medio cursu, quo ad te tendebam, planè me invitum revocavit. Scripsi autem ad Tironem quibus verbis oportuit, ac etiam illum docui, ut non putaret sibi tantum ipsam rem tecum habendam esse, quantùm mecum: qui omnium, quæ inter nos composita fuerant, auctor, atque sponsor fueram. Hortatus etiam eum fui multis rationibus, ut rem integram in meum adventum differret, concederetque illud amicitiæ, quæ ut primum cum patre suo, ita postea cum illo mihi fuit. Admonui autem cum pluribus verbis, ut plus apud se rationes meæ valerent, & respectus antiquæ benevolentiæ, quàm seditiones, & odia Saturnini: quod si impetratum ab eo fuerit, magnas ei me habiturum gratias pollicitus fui; si verò spem meam improba consilia hominum seditiosorum vicissent, interminatus sum illi nihil me omissurum, quod ad defensionem tuam, & existimationem meam pertineret; puto illum plus mihi crediturum, quàm

Saturnino: quæ res si consilium meum fefellerit, faciam, ut illum facti sui pœniteat. Expecto in dies literas tuas; si quid interim ab eo gestum fuerit, quod tibi incommodè accidat, tu me certiorem facias. Vale.

L.

NOn parva res est, neque usitata, de qua jamdudum ad te scribere constitui. Homines enim, quibus in Provincia nostra curam tuarum rerum, & eorum, qui tuis rebus favent, commiseras, videntur à te magis, ac magis in dies abalienari. Queruntur omnes, ut rem ipsam uno verbo dicam, quia lupos ovium custodes fecisti; sperabamus quidem nos, qui hic tui sumus, res tuas, ac tuorum profligatum iri non posse ab iis, qui semper commodis tuis adversati fuerant, si procuratores tui, ut oportebat, advigilassent; sed inde periculum factum est, unde præsidium expectabamus: nam ii boni viri primò per insidias, deinde palàm non solùm ad eos, qui non bene tibi volunt, coeperunt inclinare, sed etiam se illorum duces profitentur; opus est itaque maturatione, dum adhuc res potest curari: ne tibi accidat id, quod solet iis evenire, qui mortuo medicum accersunt. Vale.

LI.

QUanquam maximè in cursu eram, ac in ipso itinere veniendi propter eos rumores, qui crebrò de rebus meis afferebantur, tamen cùm fortè mihi occurrisset tabellarius tuus cum literis, quas illi reddendas mihi dederas, nolui ipsum sine meis literis ad te redire. Sed ut ad ea veniam, quæ & fortunis meis, & meorum imminere, perfidiâ, & scelere procuratorum scripsisti; omnia primus cognoveram ita se habere, maturassemque majori celeritate discessum meum, nisi fuissem maximis rebus detentus. Nihil verò volui ad ea respondere, quæ quotidiè mihi nunciabantur, ne fortè proderentur consilia mea iis, quibus minimè illa nota esse volebam. Nunc verò cùm tantum ha-

habeam fidei prudentiæ tuæ, summæque in me benevolentiæ, quantum postea nemini; te etiam, atque etiam hortor, ac moneo, ut eos, qui partes meas sequuntur, sapienter, ut soles, de meo adventu certiores facias; persuadeasque illis me non priùs de bonis meis rationem repetiturum, quàm eos in integrum restitutos videro. Plura ad te scriberem, nisi sperarem propediem apud te esse, ac tabellarium tuum me celeriter consecuturum. Vale.

L.

Quod ad te scribo tale est, ut id maximè ad rem tuam pertineat. Nam, etsi hoc alienum à te videatur, tamen necesse est, ut si rectè curatum fuerit, maxima gloria ad te perventura sit. M. enim Antonius, & Q. Hortensius homines amplissimi jamdudum inter se, ut nosti, multo odio dissident; propterea quia nostris civibus adhuc fuit difficile utrique illorum placere. Dum ergo studio partium nostra Civitas divisa est, tot in Urbe contentiones oriuntur, ut res jam planè spectare ad bellum civile videatur; quia etsi multi non arbitrantur id posse fieri, ego tamen aliter judico, & peropportunum accessisse tempus tollendi hujusce periculi, & omnium horum malorum causam intelligo; si tu, qui multum & sapientiâ vales, & industriâ, volueris hoc onus assumere: nosti, quantum cives nostri tibi credant. Cogita, si Civitas nostra certior facta fuerit de consiliis, & studiis tuis in hanc rem; incredibilis omnium bonorum concursus ad te fiet, traheSque in sententiam tuam majorem partem Urbis: quare futurum video, ut M. Antonius, & Q. Hortensius se ipsos tibi committant, ac ultro velint à te finem iis omnibus suis dissensionibus imponi. Suscipies igitur hanc expeditionem tibi honestam, & Reipublicæ necessariam; judicabisque nihil posse magis ad laudem tuam accedere, quàm si rem istam consilio tuo perfeceris. Vale.

I L.

SI meo aliquo officio poterit sedari odium M. Antonii, & Q. Hortensii, nullo certè meo periculo, ac labore desinam, donec omnia composita sint, & quieta; video enim hanc rem totam conflatam esse paucorum hominum vitio, quibus Civitatis otium displicet. Tantum verò illis omnibus civibus bene esse cupio, ut non magis desiderem me esse incolumem, quàm illos salvos; nonnihil etiam movet me respectus Antonii, & Hortensii, quos cum Reipublicæ causa, tum ex antiqua familiaritate charissimos habeo. Consequar ergo has meas literas celeriter, & quidquid poterit à me ullo studio, aut curâ fieri, totum id libenter suscipiam, satisfaciamque expectationi omnium illorum civium. Satis autem præmii consecuturum esse me arbitror, si meo adventu cognovero tantum incendium extinctum esse. Vale.

I I.

L.

NOn de re vulgari, ac negligenda, sed de publicis commodis ad te scribo. Pudet enim me horum temporum, & nostræ Reipublicæ misereor: quæ cùm olim consilio eorum hominum regeretur, quibus ipsa se commiserat, nunc ad paucorum manus pervenit, qui illam omnino tenent oppressam. Nihil enim in consilio contra afferebatur, nisi quod ad omnium utilitatem pertineret. Nemo erat qui non liberè diceret, quicquid Reipublicæ conducere arbitraretur: nec erat grave, nec molestum iis, qui intrà illos parietes versabantur, audire orationem eorum, qui contra se dicerent; & qui majorem haberent locum, & patriæ rationem in dicendo, quàm rei privatæ. Si qui hodiè sunt, quibus indigna videantur ea, quæ quotidie, neque more majorum, neque legibus fiunt, nullum habent locum in dicendo: ex quo fit, ut alii quod rectè sentiunt in consultationibus, non audeant dicere. Alii verò cùm omnia in potestate eorum censeant, de nulla re volunt deliberationem haberi, nisi illa

cum

cum suis privatis rebus consentiat. Quare nihil mirum, si omnia confusa sunt, aut si rebus pacis, & belli nihil à nobis, his annis, satis considerate vel dictum, vel factum fuit. Unde verò hæc tanta incommoda Reipublicæ acciderint, aliud non judico, nisi quod unum aliquod non habemus Caput, aut Principem, qui bene de nostra Republica sentiat, & quod sentit, ad communem utilitatem referat; neque aut gratiâ alicujus impediatur, aut frangatur metu, ne omnia audeat, quæ sibi bona, & honesta videantur. Sed nullus est, qui se velit laboribus, & periculis pro patria offerre; omnes patiuntur Rempublicam esse desertam, ne in aliquod discrimen rerum suarum vocentur. Tu verò etsi à gubernatione, & cura ejus, odio malorum discesseris, tamen prospicies, quid ad tuam virtutem pertineat. Illud autem moneo, atque etiam hortor, ut potiùs velis, si Respublica requirat, pro illa perire, quàm cum ea omnem dignitatem tuam, & existimationem amittere. Vale.

I I.

QUantum cupiam Rempublicam nostram salvam esse, & illam videre aliquando in sedibus nostrorum majorum repositam, nemo potest meliùs, quàm tu judicare; neque certè unquam cessissem improbis, aut abdicassem me ab ea, si sperare potuissem plus mea consilia in conservatione illius, quàm vim quorundam civium ad evertendum publicum statum valere. Sed cùm iniquorum perfidia magis in publicis consiliis posset, quàm ego solus valerem tunc resistere, nec essent qui se defensores publicæ utilitatis profiteri auderent; putavi ad tempus huic tempestati cedendum, & aliò migrandum, ubi securè mihi vivere liceret: quanta postea licentia, & impunitas peccandi fuerit, tu qui inter fluctus illos, & procellas sæpe agitatus fuisti, meliùs potes per te cogitare, quàm ab alio audire. Quare minùs admiror, si nemo reperitur, qui audeat liberè in nostro Senatu orare, & ea dicere, quæ bene de Republica sentiat. Quod autem me ad gubernationem ejus revocas, arbitror te illud facere, magis quodam immenso in Rempublicam studio, quàm aliqua certa

ta spe liberandæ à me patriæ; nam cùm nihil adversus malorum vim potuissem proficere, nec ei opitulari, dum adhuc stare videbatur, & aliquam umbram, ac similitudinem antiquæ libertatis retinere; quid erat, quod illi me putares posse auxiliari, quam non modò expirantem, sed etiam omnino jam extinctam, ac mortuam viderem: vellem saltem me ad eam vocasses, cùm aliqua spes hujus reparandæ supererat. Nunc verò ad funus ejus, & ad sepulchrum me credo invitasti, & cui non obtigerit pro illa emori, saltem cum ea funerarer; sed non puto sapientis esse, cùm nihil possit patriæ prodesse, malle secum perire, quàm sinè illa vivere. Nec tantùm interest ejus, qui bonus civis sit, objicere se morti aut periculo pro iis, qui liberi esse nesciant, aut nolint, quantum suam incolumitatem tueri, & se reservare, donec honestiùs mori pro patria possit, aut tempus incidat quo non frustrà labores, & pericula pro suis civibus suscipiat. Si ergo casus tulerit, ut sentiam ea posse à me fieri, quæ patriæ conducant, faciam. Intelliges me de restitutione publica libertatis majorem curam, quàm de mea salute agere. Aliud interim non habeo, quod hoc tempore possim nostræ Reipublicæ præstare, nisi lacrymas, quas sæpe pro misero statu illius effundam. Vale.

I.

QUid de me sentias, facilè conjecto ex turpitudine hominis, & infamiâ ejus, qui animum tuum à me alienare voluit. Quamvis enim causa mea à te non satis perspecta esset; tamen ex vita hominis ejus, qui me apud te falsis criminibus insimulavit, potes intelligere famam bonorum non solere, nisi ab improbis lædi. Non ergo, si qua de me disputata est fabula, commoveri te oportet, propterea, quod nullius hominis adeò spectata est vita, quin aliquod de illo crimen confingi possit. Illud satis erit mihi ita in oculis hominum vivere, ut nemo me justè criminari possit. Sed quid plura de hac re ad te scribam, cùm ipse expertus sis in nostra Civitate semper homines fuisse, qui aliorum famæ insultent, & se putent eo commendabiliores fieri, quo plu-

pluribus ab eis detractum sit. Sed tu pro tua prudentia non solum considerabis, de quo aliquid dicatur, sed etiam à quo homine: ne cujus vita improbata sit, ejus orationi fidem habeas. Vale.

II.

SAtis spectata est mihi integritas tua, nec ullo tempore putavi de vita tua dubitandum; si quid autem de te mihi narratum fuit, quod ad famam tuam pertineret, non tamen mutavi judicium meum. Amo enim te, & fortè magis, quàm credas, non quia magna familiaritas inter nos fuerit, sed quia nunquam de te aliter quàm de optimo cive judicavi. Illud autem sciebam, neminem tantâ modestiâ esse, aut tam frugi, cujus vitæ non invideretur, & maximè ab iis, qui pares ipsis nulla in parte virtutis essent. Horum hominum ut vitam semper improbavi, ita nunquam orationi eorum fidem habui. Maximè enim puto boni hominis esse, non facilè de alio credere, quod ipse non admisisset. Est enim semper oratio eorum suspecta, qui prompti sunt ad maledicendum de alio, cum vel invidiâ id facere, vel aliquo alio dolo, etsi non verum, tamen simile veri sit. Scio quantum inter homines intersit, nec te ignorare scio. Satis hominem de quo scribis, cognosco. Vivimus enim in Civitate, in qua vita nostrorum civium omnibus inter se nota est; & quo quæstu quis utatur, aut quibus moribus sit, nemo est qui nesciat. Quod ad tuam rem pertinet: rejeci hominem à me, & multò antequam literas à te accepissem. Si quid erit, in quo meo possim officio tibi placere; cognosces me ita rebus tuis amicum esse, ut bene volentiâ nemini tuorum cedam. Vale.

I.

SI tibi non satis perspectus est animus ejus, qui te mihi inimicum reddere voluit, nunc primum ex me cognosces; ut atroci iniquitate hominis illius cognita, melius possis judicare, quanta sit ei fides habenda. Sic enim de homine hoc habeto,

ita

ita vitam illum ab adolescentia instituisse, ut postea ætate crescente, à nullo sit passus aliquo in genere flagitii se vinci. Cùm enim loco satis illustri natus esset, & in Civitate florentissima, in qua facile sibi erat suorum majorum gloriam, & dignitatem cum laude tueri; maluit apud alios turpissimam vitam agere: qui, cum omni libidine, & intemperantiâ opes maximas brevi tempore consumpsisset, ad has denique artes se convertit, ut scilicet fortunis aliorum insidiaretur. Hunc igitur quæstum sibi miserè iuvenit, ut sicut amplissimæ opes illæ, cùm adhuc eis abundaret, nemini bono usui fuerunt, ita modò ejus inopia multis gravis est. Suaderem tibi, ac planè rogarem, ne hujusmodi hominem audires, cùm aliquid de me malè refert; nisi te optimè cognoscerem, cui non possunt nisi frugi homines placere. Habes qualis homo sit hic; sed quantum ei credendum sit, cùm is tam improbus, tam perditus alium apud te accuset, pro tua modestia, quæ summa est, perspicies. Vale.

II.

Etsi admonitore non egebam, qui me de nostra amicitia commonefaceret, tamen avidè tuas literas legi: non quia de animo tuo dubitarem, sed quia me certiorem fecisti de perditis moribus hominis, de quo ad me scribis. Cùm enim ad hoc usque tempus omnia sibi accidisse putarem injuriâ fortunæ magis, quàm suo aliquo vitio; sæpe calamitatis ejus misertus fui. Nec inducere in animum poteram, hominem, qui ex florentissimis opibus majorum suorum, tam brevi tempore, ad miseriam perductus fuisset, nunc fortunis alterius insidiari, aut alteri per invidiam velle detractum iri; cùm sæpe legissem fortunam adversam miseros homines sui cognoscentes facere. Sed hoc in iis hominibus verum expertus fui, qui errore aliquo, vel adolescentiâ inducti ad paupertatem venerunt. Hominem verò non arbitrabar tam iniquo animo esse, qui in iis rebus, quæ nullo commodo sibi accidunt, non deponeret malitiam suam, & mallet se indignum fortunâ suâ videri. Sed postquam literas tuas legi, planè intellexi, eum non amentiâ aliquâ, aut errore, sed invidiâ qua-

quadam, & dolo ad hoc impelli. Ero itaque cæteris in rebus cautior, si quando hujusmodi artibus usus fuerit. In tua quidem re nihil est, quo fidem homini, qui hodie vivat, possim habere, nisi consentiat cum iis, quæ olim de te mihi persuasi. Si quid de alio homine confictum ab eo fuisset, facilè potuissem aut errare, aut labi. Habeo igitur tibi gratias, qui non es passus ignorare me diutius, quâ vitâ, & quibus moribus is homo esset. Si quid aliud in cæteris rebus cognosces, quod ad me pertineat, facias, ut cœpisti, me certiorem rogo. Vale.

L.

QUâ vitâ sit, aut quibus moribus Q. Publius, non satis compertum habeo; sed tamen ita judico, ut priùs à te judicium ferendum sit de A. Sergio, qui illum apud te accusavit, quàm ut ullum crimen ab illo commissum in te credas. Omnibus enim, ut audio, accusationum machinis in criminando eum usus fuit: nihil, inquit, his annis sinè consilio Publii à tuis inimicis esse gestum: multa alia iis addidit, quæ illum invisiorem faciant: alios ex tuis servis dixit ab eo pulsatos esse: alios vi de fundo tuo ejectos, spargitque illum multis suspicionibus, & conjecturis. Tu verò, qui carnificem hunc ignoras, omnia putas ab illo bono in te animo dici; & ea non dubitas perpetrata esse, quæ homo iste nequam, & petulantissimus de homine fortassis innocenti confixit, & tibi narravit; sed ne tuo aliquo vel incommodo, vel periculo quicquam ei temerè credas, scito belluam istam, priusquam à nobis illam ejecissemus, excitasse seditiones tantas, & discordias in nostra Civitate: ut nulla esset ferè tam firma societas, aut amicitia, quàm lingua sua non labefecerit. Nemo tantâ erat modestiâ, quem, ubi homo iste teterrimus ingenium accommodaverat, non aliqua parte parvifaceret; sed postquam cœperint homines intelligere, nullum domesticum malum esse in Civitate, nullum etiam publicum, cujus iste impulsor, ac suasor non extitisset; tanto omnium odio conspiratum est in eum, ut paulum abfuerit, quin manibus vulgi divelleretur. Illum ergo velut aliquam nostræ Reipublicæ pe-

stem à nobis non dico emisimus; sed praecipitem è Civitate exturbavimus, ac magno clamore publico extrusimus. Is cùm apud finitimos nullum sibi receptaculum, aut latebras invenisset, ad vos divertit. Nec adhuc superiori fortuna deterritus est, quin, ut video, ad antiquum morem suum redeat. Speravit posse tuam benevolentiam facilè sibi comparare, si se inimicum iis ostenderet, quos ille tuos hostes affirmaret. Multa de insidiis Publii, de vi, & libidine sua exposuit; & tamen cùm haec dicit, nullo teste, nisi seipso utitur. Nullam affert certam conjecturam, nullum signum, quod in quemvis non possit cadere. Una res illi audaciam ad accusandum facit; quia is, qui accusatur, non est tibi satis notus; & sic te impediri dolore, & jacturâ tuarum rerum facilè putat, ne omnem rem velis ab ipso initio cognoscere. Sed, nisi caveas, hunc ludum tibi faciet, quem saepe nos magno malo nostro experti sumus; est enim homo pestifer, & omnis malitiae artifex, ac fabricator. Omnes tibi ex amicis inimicos faciet; nec conquiescet, donec periculum, quod à nobis depulimus, & Urbi tuae, & omnibus Penatibus intulerit. Quare, si sapis, non solùm ei nullam fidem habebis; sed nostro exemplo id ages cum tuis civibus, ut hunc hominem non aliter, quàm aliquam publicam perniciem à vobis exterminetis. Haec ad te scripsi, non inimicitiâ aliquâ, aut odio in Sergium, nec benevolentiâ ullâ in Q. Publium; sed omnia recto cum judicio feci, & quia te valde amo, facies quod tibi visum fuerit. Sed ubi consilium meum sequi volueris, nihil temerè de Publio credes, judicabisque illum nullo odio tuo dignum: nisi etiam alio accusatore, & aliis testibus, quorum vita honestior sit, illum eadem admisisse didiceris. Vale.

II.

Quae de vita, & moribus Sergii admones, magnas tibi gratias habeo. Volo enim magis hoc paternum mandatum videri mihi, quàm consilium. Scio te nunquam inductum fuisse vel odio Sergii, vel benevolentiâ Publii, ut haec ad me perscriberes, cùm alter jam sit publicè à vobis emissus, alter verò

rò nec familiaris tibi, neque notus. Nihil ergo te ad scribendum impulit, quàm illa tua egregia voluntas, & benevolentia, tum in meipsum, tum etiam in nostram Rempublicam. Sed, ut nosti, nil difficilius, quàm internoscere, quo quisque animo in nos sit: præsertim cùm in amicitiam assumuntur homines; qui in Civitate novi habentur; nihil enim præter verba percipimus; quibus sæpe maximi animorum motus; & vitia teguntur. Fit ergo, ut facilè ab eis fallamur, sed nunquam magis, quàm dum aliqua malè concepta opinione impedimur; cognitos autem non fugere, & non recedere longè, ut ab omni eorum societate, & convictu, ita etiam ab oratione hominis, est meo judicio aut amentis, aut furiosi. Non negabo me verbis Sorgii allectum esse; videbatur quidem, & in gestu modestiam, & in omni sermone ejus, gravitatem quandam præferre. Est enim, ut scis gratia quædam iis, qui externi sunt, & se nobis tradunt; aut quia omnia, ut dicuntur nova hominibus placent, & maximè quo magis ad humana studia accedunt; aut quia naturaliter iis afficimur, quos in res nostras affectos credimus: quibus rebus permotus citiùs omnia admisi, quæ tanto ille ingenio fingebat. Concitatus quidem non parvo odio in Publium fueram, neque ad vindictam tantum mihi voluntas aberat, quantum facultas: quia si fors tulisset, gravius fortassis in eum ultus essem, quàm ille foret meritus; sed bene se habet, quia mihi omnes mores ejus detexisti, priusquam tempus mihi aptum ad nocendum fuerit. Non committam posthac, ut me homini tam perfido credam; nec permittam, ut cives meos aliquâ hujusmodi simulatione decipiat. Faciam intelligas, quid sit dolo eos eludere, à quibus ipse tam perhumanè, tam comiter exceptus fuerit. De tua verò illa in nostram Rempublicam voluntate egregia, scito jam me ad Senatum retulisse, & exposuisse literas, quas ad me super hac re dedisti. Mirum est, quantas omnes tibi gratias egerint, & quantâ benevolentiâ te complexi fuerint. Laudabant in primis animum tuum, quo te esse in colenda amicitia cognoscebant: deinde multo magis te amabant, quia nostro periculo, tanquam alicui communi patriæ cavetas. Ego verò omnia, quæ ab iis dicebantur, non solùm probabam, sed quam-

 quis-

quisquam de te sententiam dixerat, valde augebam. Sic ex Curia discessum est, ut publicè mihi omnes hoc officium injungerent, ut tibi pro se omnibus gratias ingentes dicerem. Sed cùm ego multo majores pro causa tibi mea debeam; ita pro utroque tibi gratias ago: ut nunquam vel pro voluntate mea, vel pro tuis meritis, satis cumulatas posse referre videar. Vale.

I.

Non verebor tacitum tuum judicium, quia eum restituere in gratiam tuam studeam, quem tibi vehementer suspectum habes. Non certè, cùm te maximè diligam, potuissem induci ad hoc officium; nisi tua plurimum interesse arbitratus essem, & rebus tuis bene conducere. Video equidem opera, & artes Sexti Rufi: qui, cùm te alienum redderet à Quintilio, pro quo ad te scribo, malè cogitabat, quid de eo, si animum advertisses, priùs à te judicandum esset; sed ut puto te alia re offensum, & perturbatum invênit. Facilem ergo aditum sibi speravit ad concitandum animum tuum, atque inflammandum contra illum. Ego verò, quanquam difficile sit de altero affirmare, & maximè cùm de amore, & odio agitur; tamen non dubitabo fidem tibi de utroque facere: est enim alter jam penè mihi notior, quàm sibi propter antiquam familiaritatem, & societatem in multis rebus: de alterò verò sæpe id à patre tuo cive optimo audivisse memini, nunquam majores ejus amicos sibi fuisse. Illud addebat ita inveteratum esse odium, ut jam nullâ ratione speraret à se illud posse tolli; majus enim dicebat excitatum esse incendium, quàm ut nullâ aquâ extingui possit. Cogita ergo quantum huic homini credendum sit, qui majori odio, quàm gratiâ dignus sit. Hæc tibi vellem priùs nota fuisse; nunquam esset huc perventum, ut vel antiquum amicum à te rejecisses, vel inimicum tibi adscivisses. Sed permitte quæso te à me exorari, & plus mihi uni credas: qui omnia perspecta habeo, & te summè diligo: quàm homini isti, qui non sentit, quid sit rectum, nec à veteri odio discedit. Si intellexero te animum tuum Quintilio restituisse, confirmabis meam in te benevolentiam,

&

& animos omnium qui te amant; nec aperies audaciam iis hominibus, qui sibi viam ad te, non sinè tuo incommodo, maledicendo affectant. Aliud non est præmium, quod majus à te pro nostra amicitia expectem, quàm ut intelligam ea me posse facilè apud te consequi, quæ sunt honesta. Vale.

II.

QUanquam de tuo in me studio, ac benevolentia nunquam dubitaverim, tamen mirum est, quàm in te semper amor meus in dies crescat. Non putabam fieri posse, quo nostra benevolentia cumulatior esset; sed effecisti, ut nullo tempore visus sim verè à te amari, nisi hodierno die. Cùm enim nulla occasio olim intervenisset, cur me ab aliquo errato deterreres; nunquam potui in læta materia certum experimentum amoris tui sumere. Quod autem nunc me admones, nec pàteris me in amicitia peccare; etsi omnes magis laudibus, quàm correctione delectemur; tamen non aliter reprehensio tua mihi est jucunda, quàm ut interdum amara inter dulcia delectant. Non quæro defensionem aliquam apud te; est enim hoc pertinaciæ vitium, ea velle tueri, quæ emendari oporteat. Si tamen Quintilius eâ modestiâ usus esset, quâ poterat, certè hoc malum serpere desiisset; sed cùm iniquò animo ferat, nostram consuetudinem esse intermissam, id egit, ut non solùm eam confirmaret suspicionem, quam de se conceperam, sed etiam multò magis augeret. Accidit ergo, quòd sæpe in magnis incendiis videmus, quæ ubi neglecta fuerunt, etiamsi minima ab ipso initio extiterint, tamen ad summum consurgunt. Nunc verò quod instat, agatur. Ego quantum est in me, operam dabo, ut illum chariorem aliquanto habeam, quàm si nullum odium intercessisset. Sæpe amor intermissus acrior consurgit, quàm continuatus. Non te admoneo, cùm sis prudentissimus, quod nihil in ista reconciliatione à te agatur, præter eam opinionem, quam de me homines faciunt; posset enim levitatis meæ videri, aut timidi animi, quia ultro meum animum sibi restituissem. Scio facies omnia pro tua sapientia, quæ ad honorem meum spectabunt. Vale.

I.

SCribo ad te de concordia, & pace, quæ nuper magno consensu omnium civium nostrorum inter se celebrata est. Cum enim bella civilia tantum exarsissent: quia jam semel, ac iterum partes inter se concurrissent magnis viribus, viderenturque omnes non de præda, sed de vita, atque sanguine certare: statim quædam vis divina, ut ego arbitror, mentes omnium adeò inflexit, ut nemo esset, qui non summè pacem, & concordiam affectaret. Legatis itaque utrinque super hac re missis, statim placuit, omnibus depositis odiis, renovare legem amnestiæ, quam olim Athenienses Duce Trasybulo tulerunt, ne ulla omninò memoria offensarum extaret; illa enim amnestia oblivio injuriarum vocatur. Orta est ergo tanta quies in Civitate, ut nulla usquam bellorum vestigia appareant. Hæc tibi significare volui, ut qui semper bella civilia execratus fuisti, nunc tanta pacis tranquillitate, quantam nescio an unquam legeris, plurimum gaudeas, & nostræ fortunæ congratuleris; quare, nisi major cura te detineat, quæso ipse accedas, ut non jam per literas, sed in præsentia hoc tanto bono sciens, & videns nobiscum fruaris. Vale.

II.

REm mihi nuncias gratissimam; nam, ut bella civilia semper execratus fui, ita pacem omnibus rebus prætuli. Quæ porrò potest esse patria, cujus res prosperæ magis me oblectent, aut adversæ majori dolore afficiant, quàm tua, in qua omnia ferè communia habeo. Cùm enim genus aliunde traxissem, tamen plurima ornamenta, atque adjumenta vitæ apud vos consecutus fui. Multas quidem artes, atque honestissimas disciplinas à vestris hominibus percepi; & quod non in postrema parte locandum est, plures amicitias, ac societates cum tuis civibus contraxi, quàm in ea ipsa patria, quæ me genuit. Præterea incredibile est, quanto mœrore essem, cùm audirem quotidie privatis odiis, & publicis omnia inter vos decerni. Meritò

ergo

ergo vestræ fortunæ gratulor, quæ quo magis insperata erat, eò mihi jucundior fuit; quia vero me hortaris, ut hoc tanto bono videns, & sciens vobiscum fruar (utor enim verbis tuis) facis amicè. Quanquam adhortatione tua non egerem, & jam apud vos essem, nisi fuissent maximæ occupationes, quibus nostræ Reipublicæ causâ detentus fui. Sed ut spero non multos dies abero. Interim illud cupio tibi persuasum esse, neminem vivere, qui magis vestris rebus secundis gaudeat, aut ex nostra civili concordia majorem voluptatem sentiat. Vale.

L.

Magni honores his diebus delati sunt ad Antonium civem nostrum, hominem certè sapientissimum, quibus nemo nostrum est, qui non summè lætari debeat; non enim fieri potest, ut sua gloria etiam nostra non sit. Est præterea non parva spes nobis omnibus injecta benè sperandi de nostra Republica, & posse aliquando simili beneficio uti. Si quid enim aliud est, quod faciat animos nostros erectos ad virtutem, hoc in primis arbitror esse positum in ratione honoris, & gloriæ; quæ si magis virtuti, quàm fortunæ conferatur, videmus omnes vegetiores, atque alacriores ad magnas res conficiendas tendere. Hortor itaque vos, ac diu oro, ut nostræ Reipublicæ per literas congratulemur: quæ sæpenumero conferendo justos honores iis, qui egregiè de se meriti essent, multos duces summos, & optimos cives fecit. Non dubito pro vestro in Rempublicam amore vos in bonis vestris habere, quicquid honoribus, & dignitati hujus hominis accessit. Sed hoc animi vestri judicium gratius erit, si, ut dixi, per literas vestras, & Reipublicæ gratiam, & optimis hujus viri factis dignam gratulationem habeatis. Vale.

LI.

Nulla re scito nos multis annis majorem voluptatem cœpisse, quàm postquam renunciatum est nobis de honoribus delatis ad Antonium. Non enim sumus illi, quibus oculi doleant,

leant, quia eos videamus in Republica magnos esse, qui suæ virtute, & industriâ benemeriti sunt de illa; sed hoc unum malè nos habet, quia, qui virtute pares sunt, honoribus, & dignitate inferiores existant. Licet enim tecum omnia loqui liberè, & debemus, cùm te socio, & adjutore semper usi fuerimus. Una tamen res nos, ut scribis, meliùs hortatur sperare, quia Respublica se illis committit, quibus debet. Non enim putamus eos immunes futuros beneficiorum ejus, qui aliqua prælatione virtutis excellent. Sed plura alia de hoc scribimus, quibus verbis oportet, Patribus Conscriptis; & gratias agimus suæ sapientiæ, quæ omnes cives bonos ad bene cogitandum excitavit. Antonio verò congratulamur, quia virtuti suæ fortuna conjuncta est. Tu verò nos commendabis illis, & hortaberis; ut si quo loco videbunt nos posse Reipublicæ auxiliari, non laboribus, non periculis nostris parcant. Sumus quidem illi, qui non patiemur, nos, aut solicitudine, aut fide ab aliquo nostro cive vinci. Vale.

I.

GRatulor illud tibi ex sententia Optimatum obtigisse, quod de tua restitutione in patriam semper optaveram. Curavi autem ante omnes rem totam ad te perscribere, ut intelligeres hoc meo officio neminem esse, qui te præsentem magis affectaret. Cùm enim Senatus de summis rebus frequens in Curiam venisset, multaque inter se agitata essent, quæ ad salutem civium pertinerent; postremò commemorata est causa tua. Fuit autem in ea consultatione incredibilis de tua restitutione omnium Patrum consensus. Qui locus multa de virtute, de animi moderatione, ac de indignitate fortunæ tuæ honorificè dicta, ac responsa habuit; nec non multò priùs ex communi sententiâ placuit rogationem de hac re fieri. Senatus ergo consultum eodem die conscriptum fuit, quo non solùm patriam, sed etiam bona tua, & dignitatem recuperares. Ego verò, ut statim dixi, non expectavi, ut hæc Patrum sententia ad te ferretur, sed antecedere volui: ut qui amore, & benevolentiâ prior eram, citius tibi de omnibus rebus à nobis gestis gratularer. Vale.

II.

II.

QUo minus expectatæ literæ tuæ de mea restitutione fuere, eò gratiores mihi extiterunt. Video equidem, quod amor tuus undique se ostendit; nec facilè dicam, quæ res majori voluptate me affecerit, an quia Senatus consultum de meo reditu promulgatum sit, an quia tu illud mihi in primis nunciasti. Cùm enim omnia Patribus Conscriptis debeam: qui illum optatissimum patriæ conspectum, qui opes, qui dignitatem restituerunt: plura tamen videor tibi debere, qui neque in exilio desiisti unquam me consolari, & de mea revocatione in Urbem ita attentus fuisti: ut omnes necessarios meos, & ipsam Rempublicam, quæ me restituebat hoc officio, hac humanitate vinceres. Sed cupio per te certior fieri, utrum mihi liceat propter inimicos meos tutò esse in patria, & meo pristino more, in causis amicorum, & Reipublicæ versari. Scis quidem, quot inimicos ea res mihi fecerit, dum resisto potentiæ illorum, qui putant se nullis, aut legibus, aut æquitati subjectos esse, unde omnis meorum malorum origo fluxit; mallem autem, ut assuevi, vitam in exilio agere, quàm toties in eosdem fluctus, ac perturbationes revolvi. Spero tamen eâ sapientiâ, ac moderatione Patres Conscriptos esse, ut nihil decretum sit ab iis, quòd non velint constanter, & bene tueri; sed magis securo animo ero, si priùs omnia diligenter à te explorata esse intellexero. Vale.

L.

NUlla res est, quæ te perturbare debeat, si eo tempore de pace agitur, quo maximè de victoria tuæ partis, omnia tibi promittere, & sperare vidêris; majorem, crede mihi, ex modestia tua laudem referes, quàm tulisses gloriam ex victoria. Habet, non nego, quid magnificum, & admirabile in oculis hominum fama bellorum; multaque sæpenumero, ipsa disciplina militaris magna Reipublicæ adjumenta ingeneravit: quæ nisi suscipiamus, & singulari quadam laude prædicemus, certè vel

invidi, vel insueti rerum majorum videbimur. Sed cave quicquam ex iis, quæ sunt magis in fortuna, quàm in virtute posita, tu vel minimæ virtuti compares. Nullius enim Imperatoris, aut Ducis maximorum exercituum laus, & gloria tanta fuit, quin illa & Centurionibus communis esset, & iis, qui manu fortiter cum hoste conflixissent. Modestiæ verò, humanitatis, clementiæ, & cæterarum virtutum, neminem is habet socium, vel participem, qui illis rectè utitur. Quare tibi persuadeo, nullam ex tuis laudibus esse majorem, quam si publicis commodis inservies, & paci studebis: quæ ubi recta sit, omni bello melior semper fuit.

I I.

Non ignoro de pace semper avidè audiendum esse, etiamsi muros, ut dicitur, aries percusserit; sed illam non arbitror pacem esse dicendam, quæ plus habitura sit insidiarum, quàm benevolentiæ. Scio à te omnia bono animo dici; sed ut puto, non satis attendis, quæ causa ad pacem hostes meos impulerit. Cùm enim se destitutos omni præsidio viderent, & jam omnia desperata, cogitaverunt qua ratione possent aliquod spatium respirationi dare; non ut sibi in perpetuum esset quiescendum, sed ut acrius bellum possent restituere. Nemo quidem naturam eorum melius novit, quàm ego ipse, qui superioribus temporibus sæpe de fallacia eorum doctus fui. Dehinc persuadent, ut te sponsorem pacis pro ipsis præbeas; nec prospicis, quia non tam animo pacem optent, quàm ut tempori consulant. Nollem sapiens esse meo periculo, ut hanc animi modestiam tantifacerem, quò illam victoriæ, quam in manibus habeo, anteferam: quare nihil aliud habeas. Nolli mihi suasor esse in ea re, quæ mihi posset plura, quàm credis, non solùm incommoda, sed etiam vitæ meæ pericula afferre. Vale.

I.

SI optas à me scire, quid à te maximè velim, summa est, ne minoris amicitiam meam facias, quàm ego tuam. Scis quantum amavi te, & quantum excoluerim. Nunquam ullum fuit tantum in re mea commodum, quod pro te non negligerem, neque incommodum, quòd pro te non susciperem, ubi hoc usui tuo accedere intellexi. Nescio quo alio officio, aut quibus signis majoribus tibi declarare potuerim, quantum te, & diligerem, & observarem: tu, nisi me ames, & charissimum habeas, nescio quam causam satis idoneam afferas. Cùm enim cæteris in rebus semper optaverim alios vincere; certè in hoc uno, etsi à te non vellem in amore superari, tamen parem te mihi esse maximè cupio. Vale.

II.

LIteræ tuæ magnam mihi attulerunt molestiam; amo enim te ex animo, & valde observo. Tu verò mihi videris amicitiam meam subaccusare; nec satis intelligo, quorsum hæc verba tua pergant. Vellem, posse animo imperare, & respondere tibi modestiùs. Sed postquam me cogis, cum bona venia tua, vellem responderes mihi quando tibi in amore non responderim: immo, quando te amando non antecesserim. Aut enim vim amicitiæ ignoras, aut malè ab alio audivisti. Non nego te nullum in amicitia nostra officium prætermisisse. Nec erat ista commemoratio tua necessaria, nisi me planè vis, ut mihi videris, ingratum in te dicere. Possem hoc loco, mihi nisi pudor esset impedimento, multa narrare, quibus agnosceres nunquam me tibi ullo officio, ac benevolentia cessisse; sed non committam, ut beneficiorum meorum videar majorem rationem habere, quàm amicitiæ. Nihil enim mihi videtur minus amantium esse, quam sui officii meminisse, & alieni oblivisci. Viceris ergo me amando: nullo te unquam beneficio affecerim, quin fueris semper in iis rebus attentissimus, quæ usui meo accederent:

nullum ego pro te laborem, nullum periculum pro tua salute susceperim: quid est, quod à me velis? in quo me accusas? cupio omnia palàm à te scribi, & est ut dicitur amicorum proprium, omnia inter se aperta habere. Si quid erit, quod à me sit corrigendum, dabo operam: ut quo tardiùs te amando prosecutus fui, eò celeriùs non solùm hanc moram prosequendo corrigam, sed aliquando etiam antecedam. Vale.

I.

NOn putavi id te laturum tam iniquo animo, quod ego æquissimo certè semper ad te scripseram. Sed postquam res ista, quæ sinè lite erat, fuit à te in controversiam deducta, & amicorum proprium esse dicis omnia inter se habere aperta; ita respondebo tibi, ut non putes me ad te sinè causa scripsisse. Sæpe ad me Cajus Cæcilius querelam detulit, quia nihil summa familiaritas, quam mecum habet, sibi apud te profuit; cùm semel, ac iterum te admonuissem, nullum ex omnibus officiis tuis posse majus esse, quàm si meâ causâ illum commendatum habuisses; nec patereris sibi à necessariis tuis injuriam fieri; nunquam tamen adduci potui, ut verbis ejus fidem haberem, donec sermone, & literis multorum idem afferri mihi intellexi. Scripsi ergo ad te, & quâ potui modestiâ usus fui. Satis mihi erat commonefacere te, ne ego minus à te amarer, quàm tu à me diligebaris: quæ res, ut video, tibi permolesta fuit. Sed liceat iis, qui se amant, aliquid inter se expostulare: liceat etiam accusare, & irasci; modò illud putent, altiores esse veræ amicitiæ radices, quàm ut levissimis causis tolli debeant. Si placet, facilè concedam tibi me superatum esse à te, non solùm benevolentiâ, sed etiam omni officio, & diligentiâ, in me & in eos omnes, qui mei sunt. Fuerim inofficiosus, etiam si vis, contumeliosus in te, omnia tibi concedam; si illud mihi constabit, non te putare alio nunc me esse in te animo, quàm olim, cùm te judicabas maximè à me diligi. Vale.

II. Quod

I.

QUod in me fueris æquo animo, hoc tuæ modestiæ fuit; sed cùm ignorarem causam, cur me admoneres, illud ego judicavi non fuisse amicitiæ tuæ, præsertim, cùm mihi nullius errati conscius fuissem. Sed non concedam Cajo Cæcilio, quod jure possit aliquo loco dicere, sibi ullum officium meum defuisse. Si verò quicquam à me optavit, quod minus quàm æquum esset, ipse potius sibi, quàm mihi imputet. Nihil esse puto, quòd amicorum causâ, præter honestum, sit agendum: quod, nisi videro, me facilè passum esse à necessariis meis, ut ipse dicit, injuriam sibi fieri; illud videat, ne verius possit à se dici, voluisse me rationem necessariorum meorum negligere; cùm ultrò in illos invectus esset. Judicavi quidem meos non minus à te diligi, quàm hunc hominem: qui, ut video, vult amicitiâ tuâ abuti. Quod autem literis, & sermone aliorum idem intelligeres, non majorem fidem oportere illis haberi, quàm sibi, arbitror; sunt enim omnes aut inimici mei, aut invidi. Sed hic sit finis. Quantum me sis amaturus, in te erit. Spero quod summâ benevolentiâ me prosequêris: ego omnia pro te suscipiam, quæ digna sunt nostrâ amicitiâ. Vale.

I.

NIsi de tuo in me animo satis persuasum haberem, dubitarem, ne tibi molestus fuissem; cùm his diebus causam Lucretii apud Quæstorem nostrum contra necessarium tuum defendi. Sed cùm superioribus temporibus nihil à me gestum in amicitia nostra cognosceres, quod à veteri existimatione nostra alienum esset; putavi etiam in hoc facto meo te non permutaturum fuisse judicium tuum; neque ea de re ad te scripsi, quia te negligerem; sed partim occupationibus meis, partim, quia judicarem ita te sentire, ut nihil à me sinè causa in tuos esse factum crederes. Quare à te maximè ve-

velim; ut sicut feci, plus mihi credas, si fortè aliter de ea re scripsissem, quàm iis hominibus, qui inter nos dissidium optant. Nisi enim sperarem propediem apud te esse; diligentissimè jam omnem causam ad te scripsissem. Interim hoc de me judicabis, nullo tempore amicitiæ tuæ respectum majorem me habuisse, quàm dum causam istam honestissimâ ratione contra hominem tibi necessarium suscepi. Vale.

II.

BEne est, quia, ut soles, de meo in te animo judicas. Cùm enim te valde amarem, anteferremque omnibus, quos postea notos habebam; non poteram cogitare, quin idem tibi de me accideret, persuadebamque nihil à te gestum in defensione Lucretii, quod ab officio tuo alienum esset. Gaudeo tamen, ac plurimum lætor, quòd iis cogitationibus, & consiliis meis accesserunt literæ tuæ, quæ illius veteris benevolentiæ tuæ in me, & necessarios meos perpetui amoris testes essent; quod autem in judicio contra necessarium meum steteris, nec reprehendo, nec accuso; scio enim id à te, ut scribis, honestissimâ ratione factum. Plus ego uni tibi, quàm omnibus aliis credo; novi enim modestiam, & antiquam consuetudinem prudentiæ tuæ. Si quid verò in hac re culpâ necessarii mei contractum est; id velim scias, mihi omninò displicuisse. Tu quid ad officium tuum pertineat, videbis: ego verò judicium meum de te non mutabo. Vale.

I.

CUpis à me scire, quo in statu res nostræ sint. Caput est, quia si omnes in excidium nostrum conjurassent, vix deteriori loco possemus esse. Conflictamur enim bellis non solum externis, sed etiam (quod summè detestandum est) civilibus, & intestinis. Foris vagantur hostes, passim agri diripiuntur, rura hostili incendio flagrant, homines cæduntur: intrà verò mœnia malè inter cives convenitur. Nemo est,

qui publicæ utilitati serviat. Quisque vult in Civitate primus esse. Nullus pudor, nulla reverentia legum in Urbe est. Jam palàm seditiones parant cives. Nihil mali est, quòd amplius restat, nisi ipsa captivitas, quæ nos omnes hostili ferro, ac servituti subjiciat. Eò quidem perventum est, ut minimum malorum mortem ipsam judicem. Vides quæ sit patriæ nostræ fortuna: quæ tolerabilior aliquanto esset, nisi nos spes omnis jam dereliquisset. Vale.

II.

ETsi rumor sinister de rebus vestris adversis ad me delatus esset, non tamen putabam omnia apud vos desperata esse. Plura ergo, quàm venire mihi in mentem potuissent, vobis acciderunt. Sed omnia nobis ab exteris hostibus adversè ceciderint: fremat bellicus tumultus, & circumsonent mœnia vestra; toleranda sunt omnia, & fortiter ferenda, quæ ab illis vobis imminent. Illud magis visum est mihi miserum, quod de seditione, & odiis civium ad me scripsisti. Quæ res, nisi consilio, & auctoritate eorum, qui bene volunt Reipublicæ consultum esse, mitigetur; planè mihi divinare videor omnia futura, quæ etiam tu maximè times. Non satis admirari possum, quæ amentia cives tuos in hanc discordiam traxerit; nisi fortè aliqui sint in Civitate, qui se putant rerum dominio potituros, si omnia in potestatem hostium veniant; & est timendum, ne inimicorum vestrorum dolo pestis ista concitata sit, quo facilius illi victoriâ potiantur. Mallem hoc loco posse hoc malum à vobis levare, aliquo meo præsidio, quàm eo tempore consulere, quo vestra Respublica minimè potest consiliis juvari. Sed postquam res eò pervenit, ut id, quod potius volebam, non possit à me fieri; non committam, ut non ad te scribam, quid de vestra Republica sentiam. Explorandum est ab ipsis, qui Rempublicam salvam volunt, quo quisque animo sit; & sapienter solicitandi sunt omnes olim socii vestri, ut fidei, & amicitiæ veteris meminerint. Præsidia sociorum sunt à vobis occultè in

in Urbem recipienda, donec videritis vi posse cogi illos, qui non bene sentiant de libertate vestra. Nunquam aliter morbus iste curari poterit, nec malum hoc, quod jam inveteravit, à vobis tolli; nisi abscindatur ab ipso corpore illa pars, quæ est ægra. Spero, quòd si meo consilio tua Civitas usa fuerit, brevi intelliges à vobis depulsum esse periculum, quod in ipsis visceribus hærebat. Sic enim ego sentio: quid vos in re vestra facturi sitis, etiam, atque etiam providebitis; ego enim non minus de vestra salute laboro, quàm si omnia vobiscum mihi essent communia. Vale.

I.

NE desiderium tuum differam, statim satisfaciam tibi de eo, quod maximè optas à me audire. Absolutus es paribus omnium judicum sententiis, & lis secundùm te dicta est. Nunquam vidi attentiorem, aut magis eruditum in causis agendis, quàm is ipse, cui causam tuam mandaveras; ibi enim patuit, quantum vis dicendi posset apud judices. Fuit quidem adeò vehemens, & acer in propulsandis criminibus, quæ tibi obiiciebantur; ut omnes judices, & tibi perbenignos, & adversariis infestos redderet. Laudabant omnes ingenium oratoris hujus: probabant causam tuam, & æquitatem judicum proferebant. Cùm verò itum est in sententiam; tantus omnium consensus fuit, ut non minus in rem congratulati sint, quàm si negotium commune ageretur. Hæc ad te volui scribere, ut animum tuum liberarem ea solicitudine, qua, ut scio, multum afficiebaris. Vale.

II.

HAbeo tibi gratias, & magnas quidem, quòd me liberasti solicitudine maximâ, & molestiâ. Sed non minori voluptate id me affecit, quod ad me scripsisti de patrono meo homine eloquentissimo; delector enim vehementer laude sua, & officium ejus semper magnifeci. Nam etsi nunquam dubitaverim de mea causa, quin secundùm me lis esset dicenda; tamen quia

in

in judiciis non aliter, quàm in navigando sæpe imminet periculum; nisi is qui gubernator est, peritus in arte sit; semper verebar, ne æquitas causæ meæ aliam fortunam habuisset ab ea, quàm optabam. Gaudeo itaque me talem sortitum esse Oratorem, in quo neque summa eloquentia, neque studium defuit. Brevi ut spero per me ipsum illi congratulabor. Interim significabis ei me summam ejus studiis, atque officiis habere gratiam. Vale.

I.

QUid de te sentiant omnes & amici, & cives tui, significari à me tibi desideras. Omnium una est sententia neminem ex æqualibus tuis majori esse ingenio; sed maximè vereri, ne illo satis modestè utaris. Quare mi Antoni, si fama bona te delectat; si opinio hominum, quam nunc certè non parvam sustines; vide ne cæteris virtutibus tuis, quæ magnæ sunt, sola modestia deficiat. Intelligo quidem te summum in Urbe tua civem futurum, si ingenio tuo modestè uti sciveris: quòd ut facias, etiam atque etiam rogo. Vale.

II.

CUm modestiam à me desiderari scribis, scio hoc unde proveniat. Sed faciam, intelligant omnes & cives, & amici mei, si alia in me virtus sit, nec istam deesse. Non potest fieri, quin ista ætas multa habeat, quæ reprehendantur à senibus. Et sæpe quales reperiuntur, qui propter invidiam aut confingunt aliquid: aut vitia nostra majora faciunt, si quis vel ingenio, vel studio præstare illis videatur. Inde scio causam omnem processisse, quare homines, cùm omnia in me laudaverint, subtrahunt mihi opinionem modestiæ; sed non permittam eos esse diu in hoc errore. Incumbam in hoc unum, ut neque ætate, in qua sum, neque labore impediar, quin omnia faciam, quæ ad existimationem hominum accedunt. Tu me, ut facis, ad hanc rem adjuvabis: ut sicut tuis adhortationibus, & consiliis multo

ardentior factus sum ad bonas artes, ita & benevolentiam meorum civium conservasse per te intelligam. Vale.

I.

NUnquam alias de majoribus, quàm nunc, rebus ad te scripsi; tantæ enim sunt, ut non modò te ad legendum invitare, sed etiam valdè excitare debeant. Maximi quidem apparatus agitantur, quales forte à nostra Urbe condita non fuerunt. Magni equitatus conscribuntur: classes instructissimæ armantur: fabricantur novæ triremes; apparaturque bellum ingens mari, & terrâ, contra gentem semper nobis inimicissimam. Et est omnium spes, nunquam tempus fuisse nobis datum, quo melius de victoria sperandum fuerit: quam si adepti erimus, æterna pax videtur Urbi nostræ futura. Omnes enim Gentes, hac una excepta, quæ nobis bellum inferre possent, aut nobis amore devinctæ sunt, aut armis, aut vi compressæ; nihil aliud ergo nostræ Reipublicæ restat, quàm ut etiam hanc nationem frænemus: quod nobis non erit difficile, modò consiliis nostris celeritas adhibeatur; habemus enim omnia, quæ facilè possunt nostris conatibus victoriam suppeditare. Hostis impromptus est: nos consilio muniti; ille imparatus: nos omnibus rebus necessariis instructissimi; ille domesticis, & externis bellis jam fractus, & debilitatus: nos verò integri, & nunquam alias potentiores. Quid, quod multæ Urbes à fide, & societate nostrorum hostium defecerunt: nostræ autem Urbes quotidie viribus nostrorum sociorum augentur. Nihil ergo est, cur non planè istam victoriam manu teneamus, nisi deesse nobis volumus. Sed bene etiam de ipsa maturatione spero, cum nunquam ad hujusmodi rem conficiendam prudentioribus, aut fortioribus Ducibus usi sumus. Scripsi hæc ad te: vide ne quicquam eorum prius efferas, quàm Reipublicæ intererit. Sed hoc nolui te ignorare, ut, quod maximè te optare sciebam, de maximis rebus, à nobis quæ hic agitantur, per me doctior fieres. Vale.

II.

II.

PRiusquam literas tuas recepissem, jam omnia de quibus ad me scribis, apud nos divulgabantur: quod minimè oportebat fieri, si mos antiquus in nostro Senatu servatus fuisset. Nihil enim olim apud nostros majores custodiebatur magis, quàm silentium in deliberationibus, & consiliis rerum, quæ ad publicam utilitatem pertinebant. Sed de hoc satis ad te, qui ista non ignoras. Illud magis ad rem, quæ nunc agitur, pertinere arbitror, utrum sapienter à vobis deliberatum sit de bello suscipiendo, pro quo tantus apparatus instruitur; videris quidem spondere certam victoriam patriæ tuæ, & omnia bene sperare. Ego verò, cùm nihil magis incertum videam, quàm exitum bellorum, & jam omnia, quæ agitatis, patefacta esse hostibus vestris, vereor ne vestra consilia fallantur. Quare, si potius de pace fuisset deliberatio vestra sumpta, ea res non solum honestior, sed etiam tutior vobis fuisset. Poteratis enim exemplis aliarum Gentium uti, & videre sæpe multas Civitates bella suscepisse: quæ, quamvis omnia ad victoriam expedita, & instructa haberent, tamen infelicem exitum sortitæ sunt. Carthago Urbs potentissima, multis annis, Duce Annibale bellum gessit cum Romanis, & quanquam vastitatem Italiæ vidisset, & Romam penè captam; tamen exitus non fuit victoriæ, sed captivam tandem se vidit, & Romanis legibus servire. Cyrus etiam Rex Persarum cùm, annis ferè triginta, multa bella feliciter gessisset, bellum Scythis intulit, sperabatque, illa Gente victa, se postea in perpetua pace futurum. Quem autem finem tanti conatus ejus habuerint, Tomyris Regina Scytharum, capto Rege, & ducentis millibus Persarum cæsis, satis edocuit. Hæc exempla à me non commemorantur, ut bella, quæ à vobis gerenda sunt, malum omen habeant; sed, dum licet, animum vestrum potiùs ad pacem, & concordiam, quàm ad bellum convertatis. Nec est aliqua res, quæ hæc vobis dissuadere debeat; poterit enim majori cum gloria totum hoc negocium confici, quam illud bel-

bellum administrari; quare contra hostem non imparatum, ut scribis, sed providum, ac potentem bellum suscipitis. Et est timendum, ne aliæ Gentes bellum renovent: ne Civitates, quæ nunc metu potentiæ vestræ conjunctæ adhuc vobiscum sunt, deficiant à fide. Erit itaque sapientiæ vestræ omnia ista videre; modestiæque, & humanitatis, non avertere animum ab oratione eorum, qui pacem vobis persuadent. Si autem in suscepto consilio vestro manetis; providete, ne in Senatu vestro deliberata fuerint ea, quæ ante ad hostes perveniant, quàm à vobis quicquam inceptum sit. Hæc ad te scripsi, qui plurimum in Republica potes: ut si tibi visum fuerit, Senatum de hac re habeas, & maturius de iis rebus inter Patres deliberetur; ego enim pro fide, & benevolentia mea, in vos omnes, cupio vobis omnia bene cedere. Vale.

I.

SI nullo tempore de rebus magnis ad te scripsi, illud profectò est summum, ac maximum omnium, quo tanta mihi videntur mala rebus nostris impendere, ut nisi Deus à nobis hæc ipsa avertat, facilè possim nostrarum partium desolationem, ac ruinam divinare. Bellum enim atrocissimum, & famem incredibilem, ac pestem, qualem nondum neque legimus, neque vidimus, tota ferme Provincia jam dudum est perpessa; neque vis tanti mali aliqua ex parte adhuc remittitur, sed malum hoc in dies integrascit, & semper se deterius habet. Cogita ergo non diu posse nos tantas clades perferre, quomodo usque adhuc pertulimus. Nunc verò defessi patiendo sumus; & spes ipsa, quæ donec aliquid potuimus, nos animabat ad hæc ipsa mala vel repellenda fortiter, vel perferenda sapienter, ita remissa est, ut nulla omnino esse videatur. Quis ergo non facilè divinare posset non solùm desolationem, verùm etiam illam ipsam Urbis nostræ ultimam interitionem? Erit enim tempus, in quo ubi nostræ Civitatis vestigia fuerint, homines quærent; neque extabunt ulla signa hujus olim potentissimæ, ac florentissimæ patriæ nostræ, nisi

Deus

Deus iram suam remiserit, & cœperit nos tantis malis fessos jam tandem propitius aspicere; & cùm humana præsidia res nostras destituerunt, cogimur (quod in tempestate sæpe nautis accidit) omnia consilia nostra, omnem spem, atque cogitationem ad Deum referre, ad quam rem consequendam, nobis eris & adjutor, & socius. Quamvis Deus videatur avertisse animum, & aures à nostris precibus; tamen speramus clementiam suam mutaturam esse in melius mala, quibus conflictamur, ac penè conficimur. Vale.

II.

Literæ tuæ tantam attulerunt animo meo molestiam, ut nullo tempore majori in mœrore fuerim. Cùm enim eò perductæ sunt fortunæ nostræ Reipublicæ, ut jam nihil præsidii possit ab hominibus expectari; maximè timendum est, ne Divino etiam auxilio privati simus; quod si nostro alio errore nobis accidisset, putarem omnia non solùm æquo, sed etiam forti animo perferenda. Sed cùm ii semper fuerimus, qui pro libertate communi, pro fide sociorum, maxima bella magno cum periculo sæpenumero susceperimus; nescio qua iniquitate fortunæ eò perventum sit, ut divino simul, & humano præsidio privati simus; nec procul abesse video mala omnia, quæ Urbi vestræ eventura divinasti. Quærent, ut scribis, fortassis homines, qui post nos venient, ubinam fuerint tantæ Urbis fundamenta; & tandem illa ipsa patriæ nostræ fama, qua diu in Italia floruimus, fortè interibit: postquam neque id extabit, cujus rei gratiâ, nostra gloria, & nomen dudum ingens fuit. Una res potest nos in tantis malis consolari, quia habemus exempla clarissimarum Urbium, atque Regnorum, quæ similem exitum aliquando habuerunt, ita ut nihil aliud ad nos, quàm ipsum nomen pervenerit. Plures verò ego arbitror Civitates fuisse, quæ suis temporibus gloriâ rerum gestarum insignes, & præclaræ extiterint, cum quibus fama simul extincta fuit propter inopiam Poëtarum, vel Oratorum, qui sua gesta aut oratione, aut carmine illustrarent; & non paterentur

tur earum rerum, quæ dignæ immortalitate essent, memoriam interire. Utinam nostra Respublica, quæ semper gloriæ avida fuit, ita & homines conquisisset, quorum eloquentia sempiterna esset rerum nostrarum memorandarum commendatio. Nunc incipio intelligere, quanta debeat esse veneratio apud omnes Civitates magnificas eorum, qui sciunt egregia oratione, rerum vel pacis, vel belli facta complecti: quam maximam opportunitatem defuisse nostris hominibus non satis possum admirari; cùm judicare possent omnes suos conatus, ac labores à se frustrà susceptos esse, nisi providerent, qua ratione possent immortales fieri; sed de hoc hactenus. Consilium verò tuum, quo in rebus externis dicis esse utendum, suscipio, & laudo: quanquam serum est, ut ajunt, tempus placandi Superos, cùm magis necessitas, quàm nostra voluntas facit nos supplices. Mallem hoc remedio usi fuissemus, cùm nobis omnia erant integra; & signum fuisset ea à nobis fieri ex animo. De qua re plura non scribo, posteaquam à nobis corrigi non potest. Faciamus ergo, quod & ipsi nautæ in summa tempestate faciunt; utar enim libenter exemplo tuo: jam arbore fracta, & quassata navi nostra, omnes vota faciamus. Si deprecatio nostra exaudita fuerit, ne ingrati reperiamur adversùs Numina; si verò fata nulla nostra prece inflecti potuerint, eò bono fruemur, quo utuntur illi, qui in suis rebus adversis nihil à se prætermissum esse intelligunt. Vale.

I

MAximam omnium laudem hodierno die consecutus est exercitus noster, qui fortissimâ pugnâ eousque in acie stetit contra hostes, ut pertinaciter pro defensione patriæ moriendo clarissimam inde victoriam retulerit. Amotus est ergo à nobis ille ingens metus, ac summa totius Urbis trepidatio. Cùm enim maluimus semel perire, quàm diuturnâ obsidione premi, insperatam victoriam consecuti sumus; quo in bello nobis certè visum est ipsum Cœlum, ac omnia Numina pro no-

nobis militasse; talis enim hujusce maximi conflictus exitus fuit, ut vix ullus nostrorum militum in bello occiderit. Quam verò fortunam altera pars habuerit, ex hoc apparet, quod omnes tanquam pecudes ad moriendum parati fuerunt. Signa viginti militaria capta: castra hostium direpta sunt: nemo in illa pugna fuit, qui aut in ore gladii exceptus non sit, aut à nostris copiis interceptus. Cùm autem victor noster exercitus in Urbem reverteretur plurimis, & maximis hostium trophæis ornatus, mirum in modum tota Civitas nostra fuit ad spectaculum effusa. Nemo erat, qui non daret laudes, & gratias Deo: omnes verò non uti rem humanam, sed prope Divinam suspiciebant. Tanta autem lætitia, & exultatio omnium fuit, ut non jam multorum hominum, sed unius facies eadem, atque idem animus videretur. Nullius verò hominis ædes omnibus non patebant: passim nostra militia excipiebatur tanta largitate, & rerum omnium copia, ut nunquam in summa fertilitate agrorum major fuerit. Volui hæc tibi omnia nota esse: ut qui periculorum nostrorum semper socius fuisti, etiam publicæ tranquillitatis particeps fieres, & fortunis nostris congratulareris. Vale.

II.

Quò minus expectatum fuerat à me de liberatione vestra, eò mihi victoria, de qua ad me scribis, jucundior fuit & gratior. Non poteram quidem non magno dolore confici, cùm audiebam Urbem vestram arctissima obsidione cinctam esse. Dolebam & plurimum Civitatem, quæ diu caput nostræ Provinciæ fuerat, debere in deditionem hostium venire. Liberasti ergò me hodie maximo timore, quo pro vestra salute penè conficiebar, & habeo tibi quas debeo gratias: qui me participem fecisti rerum, quæ vobis prospere cesserunt. Intelligo quidem ex iis, quæ vobis divinitus contigerunt, quantæ curæ debeat salus vestra hominibus esse; cùm eadem, jam desperatis omnibus, à Superis immortalibus conservata fuerit. Neminem arbitror esse, qui non judicet, ut scribis, Numina Coeli, pro

vobis

vobis non solùm pugnasse, sed etiam vicisse. Sed aliud à vobis etiam, atque etiam videndum est, ne animum vestrum nimium in secundis rebus efferatis. Et illud maximè providendum, sicut facitis, ut victoriam vestram potiùs ad Divinam caussam, quàm ad humanam referatis. Sumus enim ferè omnes in periculis nostris animo submisso; & tunc summè veneramur, ac extollimus Deum. Nescio qua iniquitate postea ingrati reperiamur, cùm summam votorum attigimus. Deinde queruntur homines nullam felicitatem esse perpetuam, & fortunam accusant. Ego verò nullam aliam esse prosperam fortunam, aut adversam judico, quam Divinam Providentiam, quæ homines nunc rebus adversis exercet, nunc ratione corrigit. Rerum autem alia est ratio, quarum instabilitas sæpiùs vitio nostro, quàm fortunæ nobis accidit; nec ad te ista nunc scribo, quia putem à te ignorari, sed ut cives tuos commonefacias, nullo tempore Deum esse magis timendum, quàm ubi majora ab illo beneficia suscepimus. Spero bene de civibus tuis. Nonnihil tamen valebit apud eos auctoritas tua; si eos docueris, nihil magis Reipublicæ convenire, quam ut fortitudinem in bello, ita religionem in pace colere. Vale.

L.

Nihil est, quod libentiùs faciam, quàm de maximis, & pulcherrimis rebus, quæ hìc fiunt, te certiorem reddere. Postea enim quàm nostra Civitas hostili metu liberata, otio, ac paci se dedit, incredibile est, quantum status ipse Reipublicæ reformari in dies, & quasi renovari cœpit. Si quæ erant veteres inter nostros cives discordiæ, omnes statim sublatæ fuerunt: principes Urbis novas affinitates ineunt: artes, quæ propter vim bellorum penè interierant, majori cultu, quàm primo, ac majoribus opibus repetuntur, neque unquam aliàs in tanto pretio fuerunt. Plurimæ verò leges antiquæ, & vetera statuta, quæ perierant propter nostram insolentiam, atque negligentiam, modò renovantur, & communi ferè omnium consensu jam approbata sunt: quibus si obtemperatum fuerit, nemo dubitat, quin

quin brevi nostram Civitatem multarum Urbium hujus Provinciæ principem videamus. Is enim est status Urbis nostræ, ut aliquanto beatiores videamur, quia diuturnam calamitatem experti sumus, & fortiter perpessi, quàm si eadem, qua diu freti eramus, tranquillitas, & otium semper mansisset. Gaudeo itaque hæc tibi communia facere; ut qui semper nostræ gloriæ appetentissimus fuisti, felicitatem nostram hoc tempore non ignorares. Vale.

II.

De iis, quæ ad me scripsisti, magnam certè voluptatem animo percepi. Cùm enim semper continuò in metu steterim, quamdiu fuit de vestra salute dubitandum; magnâ molestiâ me liberasti, cùm superioribus literis tuis intellexi Civitatem vestram ab obsidione, qua opprimebatur, liberatam esse. Illud autem maximâ lætitiâ me affecit, quia mihi renunciasti non solùm vos gravissimo periculo esse exemptos, sed etiam ipsam Rempublicam, quasi novam aliquam formam, & beatiorem statum in dies suscipere. Gaudeo medius fidius, & plusquam credi posset, felicitate vestra lætor. Video equidem illa egregia majorum virorum in Republica fundamenta magno studio à vobis excitari. Nam cùm leges, in quibus vestræ Civitatis salus erat posita, quasi in oblivionem vestram venissent, nec mos antiquus in Urbe servaretur; nihil mirum fuit, si patria vestra ad obsidionem perducta fuit. Nunc verò restitutis legibus, & repetitâ omnium bonâ consuetudine, spero nunquam Civitatem vestram ampliorem, aut opulentiorem fuisse, quàm brevi tempore futura sit: modo in medio cursu non deficiatis; sed ubi quisque privatæ potentiæ magis, quàm Reipublicæ inserviat, timendum erit, ne hac nova libertate frustrà gavisi sitis. Retinenda est ergo inter vos concordia: confirmandæ sunt leges antiquæ, & edenda nova instituta; nec permittendum est, ut quisquam plus possit in Civitate, quàm æquitas, quàm justitia. Quod si à vobis perfectum fuerit; planè video vestram Rempublicam, ut scribis, in tota Provincia primam esse futuram, & vos imperaturos iis Gentibus, quibus aliquando servistis. Vale.

I.

SCio te novarum rerum cupidum esse, & accusasse me sæpe, quia nunquam ad te scribo de his rebus, quæ hic fiunt; faciam hodierno die, ne deinceps possis criminari negligentiam meam. Implebo te non vulgaribus, ut multi solent, neque falsis rumoribus, sed magnis, & de quibus certos auctores habemus. Nuper ex Ægypto quidam in Urbem nostram navigaverunt, à quibus cùm nostri cives diligenter percunctati essent de omnibus rebus, retulerunt proximis diebus, quibus navem inde solverant, multas Nationes Orientis, ac plurimas Gentes Australes magno equitatu Provinciam illam invasisse. Ajebant etiam Regem ipsum nihil tale suspicantem, se effudisse ex Urbe regia in occursum hostium, qui cum toto exercitu insidiis inimicorum interceptus fuit. Nec multo post signa hostilia fuisse ad Urbem Alexandriam mota, qua trepidatione, fuga ex omni parte cœpta est agitari. Alii mare rubrum petebant: alii verò Libyam, Quisque eò ferebatur, quò metus eum impellebat: quid deinde secutum sit, dicunt se nihil certum habere; nam semper ventis ad puppem flantibus, prosperum cursum maxima celeritate ad nos tenuerunt. Hæc si vera sunt, multum arbitror illa ad nostros cives pertinere. Agitur enim de privata pecunia nostrorum hominum, qui se in partibus illis exercent. Si quid est, quod ad te pertineat, curabis, ut quàm minimo detrimento fieri poterit, transigantur à te omnia: idem & ego facturus sum. Aliud ad præsens non habeo, quod ad te scribam. Si alii cursum ex ea Regione ad nos habuerint, faciam te de omnibus rebus certiorem. Vale.

II.

NOn puto dubitandum ex iis, quæ ad me scribis, quin vestri homines, qui in Ægypto versantur, passuri sint maxima detrimenta, nisi rationes suas inter ipsa initia rerum novarum in aliquam Regionem tutam contulerint. Multa enim sunt,

sunt, quæ me in maximum metum inducunt; nam si Civitate Alexandriæ illæ Nationes barbaræ potitæ fuerint, eâdem ruinâ secum trahent non tantùm Ægyptiorum opes, sed etiam omnium; qui ex multis partibus negotiandi gratia ibi versantur: Si verò diu in obsidione manendum erit; timendum est, ne pecuniæ mercatorum in sumptum belli prius exhauriantur, quàm suo ære publico, aut privato utantur. Quid futurum sit, nihil boni possum rebus meis divinare. Nam cùm superioribus annis omnem pecuniam meam eò loci conjecissem, video una die omnes fortunas meas esse consumptas, nisi procuratores mei tempestivè usi sint consilio. Cupio ergo de omnibus rebus certiorem à te fieri. Si quis fortè ex Oriente ad vos navigaverit, curabis, ut quamcunque fortunam res nostræ subierint, nihil sit, quod per te me lateat. Vale.

I.

Multa ex finitimis Regionibus ad nos afferuntur quotidie nova de incredibili apparatu validissimi exercitus Regum Orientalium contra Civitates, & terras nostri Imperii: nihil adhuc tamen certi habemus. Misimus autem in varias partes percunctatores nostros, qui sagaciter odorentur omnia: hos enim in dies expectamus. Sumus animo, & viribus intenti, quia ratione à nobis, atque sociis periculum istud propulsemus: multas ad hanc rem vias habemus. Constituimus enim; si nobis ita, ut fama est, renunciatum fuerit ab iis, quos præmisimus super hoc negotium; Legatos nostros in Orientem mittere, qui cum iisdem Regibus de pace tractent: quæ res, si agi poterit, mandata illis dedimus, ut neque pecuniâ, neque pollicitatione ullâ, (modò res æqua ab illis poscatur) à pactione discedant. Quod si infecta re videant redeundum esse, tunc iis artibus utantur, quibus facilè barbari vincuntur. Serant inter ipsos discordiam, fingant, simulent, atque dissimulent omnia. Denique attentent, quibus illorum odia inter se inflammari possint, nec ullum finem iis rebus faciant, donec aut illi ipsi exercitus dissipentur; aut bellum, quod nobis comminabantur, in se convertant. Si

verò hæ nostræ cogitationes, si hæc nostra consilia nos fallant; stat manu pugnare, & omnia prius experiri, quàm barbaris Nationibus servire. Sunt enim nobis arma, & equi, habemusque viros audaces in bellis: neque Duces nobis deerunt, qui consilio, & viribus non solùm fortiter cum hoste confligere, sed etiam vincere sciant. Quid sit futurum, Deus novit: nos bene de rebus nostris speramus. Vale.

II.

BEllum mihi significas magno apparatu ab Orientalibus Regibus institui contra vestrum Imperium; sed nihil à vobis prætermitti, quod ad propulsandum hoc periculum à vestris Civitatibus, & sociorum pertineat. Non video quid possit, vel ad hanc sapientiam, vel virtutem vestram addi. Si enim fortuna consiliis responderit; non dubito omnes istos bellorum citò motus quieturos. Si verò manu dimicandum erit; spero etsi copiis inferiores sitis; tamen & robore militum, & scientiâ rei militaris superiores futuros. Quamvis enim hæ Nationes barbaræ multitudine equitum, & potentiâ semper multum valuerint; raro tamen in suis bellis victores fuerunt. Magno clamore belli prælia ineunt: fortes primo impetu videntur: spargunt tela sua temerè; sed cùm ad enses ventum est, facto agmine, omnes terga vertunt. Nostri verò exercitus nec segnes sunt ad invadendum, nec minus fortes ad sustinendum vel pericula, vel castrenses labores, quoties ab hoste lacessuntur; omnia tamen prius, ut facitis, tentanda sunt, quàm experienda fortuna belli. Quod si vestrâ sapientiâ à vobis evitari non poterit, quin sit confligendum cum his barbaris, decertandumque à vobis fortiter pro gloria vestra, ac Imperio, quod à vestris majoribus amplissimum, & illustre accepistis; cavendum maximè erit, ne hostis vos imparatos offendat. Nam, dum exploratores in omnes partes misistis, qui ad vos referant de consiliis hostium, de motibus, si qui ab illis agitantur: dum legationes mittuntur ad eos; interim occupandi sunt aditus, arces muniendæ, conscribendus est equitatus, & ita omnia à vobis sunt instruen-

da,

dos, quasi jam inter fines vestros, & in medio Regno versarentur. Celeriùs enim Legati vestri agent de pace, & totum negotium conficient, si intelligent vos non minus ad bellum paratos, quàm ad otium, & concordiam. Sed quia spero hæc à vobis pro vestra summa sapientia jam esse perspecta; plura ad te de hac re non scribo. Si quid est, quod pro vestra Republica possit à me vel consilio, vel manu fieri, libenter omnem laborem, atque omnia pericula pro vestra salute adibo. Vale.

L.

Novissima res his diebus nobis accidit, neque ab ullo nostrorum civium aliàs audita, de qua ego te certiorem facere volui; ut intelligeres nullam rem fore tantam, aut tam occultam, quam non maximè cuperem tibi in primis esse notam. Puto, ni fallor, te olim, cùm apud nos esses, intellexisse, quorum hominum factione Civitas nostra in exilium miserit Sulpicium hominem patriæ amantissimum; de quo facto plura non scribo; res enim ista ad Civitatem nostram pertinet. Interim hostes nostri invaserunt Urbem, quæ optimi civis consilio deserta, suæ temeritatis brevi pœnas dedit. Obsessa quidem Civitas fuit, commeatus interclusi, itaut res planè ad deditionem spectaret. Tum verò Sulpicius animo se ad pugnam convertens, cœpit agitare nova consilia, quibus hostem jam insultantem mœnibus, victum suis civibus traderet. Repente se in castra hostilia contulit, dixitque de rebus maximis verba apud Ducem hostium se facturum: qui comiter exceptus inquit, se nulla ratione patriæ teneri, quæ nec ejus culpa, nec ullo errore, tam malè de se merita esset; deinde hostem nostrum monuit, Urbem, nisi uno modo, à se expugnari posse; quod si consiliis suis obtemperatum esset, non dubium, brevi illum Urbe potiturum. Ait enim locum esse non longè à mœnibus, arboribus consitum; suasitque, ut de industria fugam simularet, occuparetque locum insidiis aptissimum: futurum inquit, ut cives remissiores essent ad custodiam, noctuque facilè posse mœnia conscendi, & totam Civitatem capi: quæ res ab hoste credita est; neque aliter

ter quàm ipse consuluerat, factitatum. Deinde omnia nostris significat, qui, portis apertis, circa secundam vigiliam effusi hostes insidiis positos concluserunt, paucisque beneficio noctis elapsis, cæteri compressi sunt, cæsi, aut capti. Sed hæc nondum patefacta esse volumus, quo maturiùs exercitum nostrum ad eorum mœnia perducamus. Tu autem hæc secreta habebis, donec efferendi tempus datum esse per literas meas intelliges. Vale.

II.

Sulpicii magnum in Rempublicam amorem narras: ego verò plurimum gaudeo omnia vobis præter spem evenisse. Sed non possum induci, ut factum Civitatis probem de exilio talis viri. Non enim cives tui semper Sulpicios habebunt: nec erit, qui patriæ malè de se meritæ bene referat. Illud autem maximè à vobis cavendum est, ne aliquando cives paratos de sua patria benemereri postea sibi Res nostra publica infestos sentiat; cùm & exilio mulctari viros optimos intelligent, & primum locum in Senatu esse iis, qui non dubitant patriam qualibet ratione à se oppressum iri: modò ipsi omnia possint, quæ velint. Quod autem scribis, ne hanc vestram victoriam efferam, haud multa admonitione indigeo, utinam ita auxilio, ut fide consilia vestra juvare possem. Spero vos omnia sapienter prospexisse, quæ in utranque partem possint accidere. Nec vobis deest consilium, aut vires ad hanc maximam rem conficiendam; sed non fortè minoris sapientiæ est scire in vincendo, uti modestiâ, & aliquando in medio cursu victoriæ subsistere, quàm ultra progredi. Non dico tàm bonam occasionem negligatis; multa enim sunt, quæ vobis hanc illam victoriam promittant: improvisus adventus vester, trepidatio inimicorum, novitas facti, mœror suorum, quos ferè omnes audierunt insidiis vestris esse interceptos, omnia, ut apud illos perturbata, ita faciliora vobis præstabunt. Sed cùm in rebus bellicis fortuna magnum imperium habeat, multa à vobis timenda sunt. Sed nescio an aliud magis, quàm quod ii, qui cœperunt vincere,

re, non satis pericula attendunt. Nihil non temerè sæpè ab eis fieri solet; hostibus verò interim crescit animus, & spes, quæ primo impetu exciderat, major eis insurgit. Præterea nonnunquam accidit, ut qui jam in fugam versi erant, restituant bellum, & acrius pugnent, quàm si à principio non desperassent de victoria. Plura de hac re scriberem, si mihi otium esset, aut si tuam Civitatem egere consilio putarem; & est etiam non post factum, sed antequam res fiat, consilium de summis rebus habendum. Vos autem, ut ad me scribis, jam signa ad Urbem hostium movistis. Opto ut illum exitum vestra consilia inveniant, quem fortuna visa est mihi patrio in successu vobis promisisse. Rem pergratam mihi feceris, si maturè de exitu rerum vestrarum omnia ad me scribes. Vale.

I.

SI te nova delectant, habeo quidem, unde possim abundè huic tuó desiderio satisfacere. Nostrâ quidem aut patrum memoriâ, tantæ rerum mutationes non fuerunt, quantæ hodie instant, & jam in nostris partibus fiunt. Omnes ferè Civitates hujus nostræ Cisalpinæ Galliæ novas res agitant. Aliæ veteres Dominos deponunt, & se in libertatem vindicant: aliæ sibi novos tyrannos faciunt: multæ, dum novis rebus student, suo magis, quàm alieno utuntur ingenio: multæ exempla cæterarum sequuntur: nonnullæ conantur revocare antiquos Dominos, quos bella potentiorum de Principatu suo deposuerant; nec ulla est Civitas in hoc Imperio, quæ satis vel consilio, vel ratione in tantis motibus utatur. Cives, alius in alium conspirant: Populi eos habent sui furoris Duces, qui vi, & scelere cæteros antecedant. Cremona olim Urbs opulentissima, intrà paucos annos multos Principes mutavit: nunc sub tyranno sævissimo est posita. Brixia crebris equitatuum incursationibus atteritur, & jam videtur statum suum inclinare: homines judicant illam brevi novum Dominum habituram. Bergomum verò Civitas magis bellorum civilium discordiis oppressa externos hostes in se admisit; certatur enim non solùm, utra pars imperet, sed etiam

utra

utra sit. Neque malum ipsum tantum in venis est, ut ajunt, sed multò fortius in mediis visceribus æstuat; non enim sub uno tantùm Principe, sed sub diversis, & immanibus tyrannis affligitur. Nam cùm aliquando magis ingeniis, & animis suorum civium floruisset, nunc facta colonia est, & omnis colonia hominum sordidissimorum, & agrestium repleta: quam Urbem unam in tota Italia omnium miserrimam, atque infortunatissimam facilè possum judicare. Innumerabiles aliæ sunt, quæ suam & ipsæ infelicem fortunam habent, & magna in tempestate positæ. Sed omnia melius intelliges ab eo, quem cum his literis ad te mitto. Tu si quid magnum habes in his partibus, in quibus diversaris, omnia ad me scribas, ne quicquam rerum vestrarum ignorem. Vale.

II.

EPistolam tuam plenam novarum rerum accepi. Miseret me conditionis, & status tot magnificarum Urbium, & Populorum Provinciæ vestræ. Cùm enim in toto Latio nulla esset pars ingeniis, aut armis illustrior; video illam veterem Galliæ Cisalpinæ gloriam jam prope defloratam esse, & ad desolationem redactam. Sed hoc habet omnis maximarum rerum fortuna, ut cùm ad summum pervenerit, tunc intelligamus prope exitum esse. Græcia ipsa, ut exempla majorum paulò altius repetam, diu non solùm disciplinis, sed etiam armis Italiam vicit; nec procul abfuit, quin Duce Alexandro Macedone Imperium Orbis terrarum possideret, sed eo ex rebus humanis sublato, circa ipsum verticem defecit. Roma verò exemplum omnium Provinciarum, ac Nationum, initium Imperii, quod à Regibus sumpserat, sub Consulari Imperio usque ad Parthos extendit; sub Imperatoribus verò, non solum famam, sed etiam potentiam suam cum finibus Orbis terminavit; tamen non potuit illud Imperium, cujus olim domina fuerat vel conservare, vel tueri; sed vidit omnem suam gloriam primò à Constantino in Græciam, deinde ab externis Regibus modò ad Occidentem, modò in Septemtrionem esse translatam. Hoc uno gaudet, & se

se consolatur, quod nemo est ex iis, ad quos regimen nostri Orbis manavit, qui non gaudeat se Regem Romanorum dici. Vestra autem Gallia jam eousque & famâ rerum gestarum, & optimarum artium excellentiâ creverat, ut cæterarum Provinciarum splendorem vincere, & antecedere nomen videret: nunc ruinam, & finem ad me scribis. Non habeo quo solatio melius possim fortunam vestram levare, quàm iis exemplis, quibus etiam sæpe uti soleo, quando aliquid mihi accidit, quod nimis durum sit, atque asperum in rebus meis. Nihil autem in hac nostra Regione agitur, quod vel sua novitate, vel magnificentiâ sit ad te scribendum; sumus enim omnes in tanto otio, quanto, nescio, an aliàs fuerimus. Et vereor ne hoc fortè virtuti priscæ, & bonis artibus nostris noceat: nam ut nimia fortunæ asperitas, ita etiam immoderata prosperitas sæpe gloriæ nocuit. Vale.

L.

Etsi ea, de quibus ad te scribo, non ita nova, inusitatave sint, ut nunquam aliàs hominibus aliquid hujusmodi obtigerit; tamen non parvam ex opinione, quæ habebatur, admirationem excitarunt. Victurius homo, ut scis, quondam habitus vestrorum civium opulentissimus, re sua malè procurata, multum æris alieni contraxit; cavit autem magnopere, ne id à quoquam suorum necessariorum, aut eorum, qui hominem illum diligebant, rescitum esset. Quid postea egerit, tum apertum fuit, cùm fortunis ejus amplius succurri non poterat. Res fortassis aliquo anno composita fuisset; contractis ergo undique sarcinulis ejus, quàm occultissimè potuit, ipse proficisci peregre simulavit, maturèque affuturum primo die Sextilis, aut ipsis Calendis pollicitus fuit; hortatusque est nos omnes, qui eum diligebamus, ut sponsionem pro ipso faceremus, si quis fortè eum convenisset in judicio. Arbitrabamur autem illum aut nullo, aut permodico ære alieno teneri; quod si magno etiam teneretur, putabamus eum solvendo esse; quid plura? fidejussionem pro illo fecimus: deinde profectus est. Cùm verò dies contracti æris adve-

advenisset; isto homine, ut ex bona fide oportebat, die statuto, non apparente paulò post ad satisdationem reposcimur à creditoribus: multa de illo questi sumus, orabamus Judices, ut diem nobis prorogarent: quod ubi à nobis non impetratum iri cognovimus, necesse fuit pro illo dependere; renumerataque fuit illa summa pecuniæ, quam suis creditoribus debebat. Quæ res, etsi perincommodè cæteris accesserit, mihi tamen adeò gravis fuit, ut nunquam sperem posse me exsolvere ab eo ære alieno, quod ejus rei gratia contraxi. Nunquam posse fieri putassem, ut aut homo ille ad tantam inopiam venisset; aut suos hujusmodi machinationibus, & dolis peteret. Sic res evenit, ut fides illis detur, quibus nil pudoris, aut modestiæ inest. Cæteri maximè hoc factum admirantur; sed ego pœnam fidei meæ perfero: tu si quando à te spondendum aliquid erit pro alio, exemplo meo cautior fies. Nullam enim artem arbitror esse, quæ minùs gratiæ, & magis incommodi afferat hominibus, quàm eam, quæ docet pro alieno debito in judicio sisti, & fidejubere. Et est notum proverbium: qui alterius causa pedem in laqueum mittit, suo tantùm periculo, & labore exsolvit; sed hæc tardè in re mea prospexi. Vale.

II.

IDibus Februariis redditæ sunt mihi literæ tuæ, quibus mihi significas de perfidia Victurii, & me sapienter admones, quod tuo exemplo in re mea fiam cautior. Facis hoc pro tua in me benevolentia, quæ summa est, & maximas tibi dico gratias; sed illud velim scias paulò minus me hac tua jactura esse animo commotum, quàm si in parte mearum fortunarum damnum factum esset. Ita enim sæpe de te judicavi, nil posse tibi accidere, quod non mihi proprium esset: quod ego arbitror multis olim te signis perspexisse. Nec longè abesset, quin hoc tempore tibi animum meum re ostenderem, si facultas adesset; sed cùm assiduis bellis patria nostra jam attrita sit, ac penè consumpta, nec redditus agrorum dominis respondeant, nec illæ artes in Civitate exerceantur, quibus magni proventus,

tis, & pecuniæ inter cives agebantur; omnia quidem emolumenta nos destituerunt: & si qui suit, quibus opes, & pecuniæ sint, nemo tamen est, qui non malit suas res in portu continere, quàm se manifestis periculis committere. Si quid est tamen, in quo tibi possim aliquo studio, vel operâ meâ prodesse, omnia bono animo faciam, quæ usui tuo esse intellexero. Nec volo consilium, quo consulis, ut pro nemine fidejubeam, tuum debere intelligi in iis rebus, quæ ad te pertinent. Cæteris verò in rebus utar prudentiâ tuâ: pecuniâ meâ non possum te juvare; satisdationem autem non dubitabo, & cautionem pro te facere, & obligare omnia mea bona, si intelligam, quæ tibi super hac re voluntas sit; etsi mihi erit pro te dependendum. Quòd si cognoverò te ullâ in re propter verecundiam officio meo noluisse uti; minues eam opinionem, quam semper mihi de tuo in me officio, atque perpetuo amore feceram. Vale.

I.

CUm de rebus inusitatis ad te scribo, videor mihi rem tibi pergratam facere; scio enim te semper harum rerum cupidum fuisse. Faciam ergo te participem facti pulcherrimi, neque multis annis ante à quoquam nostrûm auditi. Inventus est in Civitate nostra Princeps, qui cùm libertatem publicam annis diu pressisset, actus, ut nos omnes putamus, conscientia rerum suarum, tandem cœpit consilia sua in melius vertere. Vocato enim populo ad concionem, orationem habuit apud illum egregiam, atque illustrem, in qua & sui propositi, & administrationis, quam gesserat, reddita ratione, cives docuit, quo animo in Rempublicam esset: modò sibi concederetur communi libertate cum suis civibus securè uti: multa sapienter, atque magnificè ad hanc rem adjecit, quæ admirationem omnibus facerent. Postquam verò ab eo peroratum fuit, magnum aliquamdiu extitit inter nos silentium: aliis non satis se intellexisse arbitrantibus; aliis, quibus major prudentia inesset, dubitantibus, quorsum illius oratio pergeret; sed cùm omnibus libertas dicendi facta esset, ac planè hortare-

tur, rogaretque unumquemque optimam sententiam suam dicere; nemo fuit, qui non divinas, atque immortales gratias ei ageret, qui Rempublicam in sedem suam reduxisset: pollicitique sumus omnes non solum rei impunitatem futuram, sed etiam oppositu nostrorum corporum salutem ejus, atque incolumitatem defensuros; daturosque operam, ut privatus aliquanto beatior viveret, quàm olim, cùm solus Urbi imperasset. Quae res ubi ab illo intellecta fuit, ipse omnes suos fasces populo subjecit, donavitque antiqua libertate patriam: leges antiquas restituit; nec aliquid ex prisca, & bona consuetudine Civitatis omisit. Nunc verò æquali jure fruitur nobiscum. Nos autem in tanto otio sumus, quantum nunquàm aliàs sperare ausi fuissemus. Credo te huic nostræ felicitati non minus gratulari, quam hoc pulcherrimum ejus factum admirari: propterea omnia volui à me significari tibi. Si quid verò erit, quod vel in Senatu nostro, vel apud populum geri à me pro tua commoditate poterit, habebis me tibi summum amicum, & quo pro tuo jure in omnibus rebus tuis liberè utaris. Vale.

II.

Rectè vobis accidit, quod patria vestra antiquâ libertate donata est. Sive enim casu hoc obtigerit, sive consilio; non potest hoc non divinitus vobis accidisse. Sed magno studio à vobis curandum est, ut vestro bono isto quam diutissimè possitis frui; nulla autem res magis hoc efficiet, quàm si rerum summa ad plures delata fuerit. Sophocles, ut est in fabulis Græcorum, cùm vellet quadam in tragœdia hoc idem persuadere Atheniensi populo, Periclem induxit ab inferis venientem, qui longa oratione Athenienses hortabatur, ne leonem in Urbe nutrirent, aut nutritum discerent æquo animo perferre. Quam rem sapientissimus Poëta suo carmini inseruit, ut & gravitate Auctoris, & nobili figmento doceret populum non committere potentiam Urbis alicui uni, qui opibus & ingenio cæteris præstaret. Quod si ea sibi libertas esset commissa, suadebat etiam servitutem esse perferendam, ne contumacia po-

puli

pedi domino graviori uteretur. Nihil unquam fuit, quod Romanum populum dominum Gentium æqua libertate privaret: quàm cùm maluit eam potestatem, quæ erat omnium, esse paucorum, quam suam; & servire potius Imperatoribus, quàm regnare. Incredibile est quantum restituta libertas omnes delectet; & cùm alter in Magistratibus conferendis studet altero gratiosior videri, facilè evenit, ut non possint omnes jure æquo uti: cùm plures sint in Civitate, qui vel opibus, vel eloquentiâ animos multitudinis ad se alliciant: quæ res, si à vobis etiam, atque etiam fuerit provisa, verendum est, ne potius à vobis novus dominus sit in vestram Rempublicam invectus, quàm perpetuò à vestris cervicibus sublata servitus. Non dubito hæc eadem pro vestra sapientia, quæ summa est, prudenter à vobis perfici; sed nisi edoctus fuerit de suo periculo populus, videbis brevi in varia studia illum scindi; nec satis intelligere, quorsum facta sua vergant. Quod autem cupis omni officio tuo vel in Senatu, vel in populo pro me defungi, nullâ me novâ voluptate afficis. Est enim non solùm tibi usitatum, sed etiam quotidianum omnem curam suscipere, quæ usui mearum rerum accedat. Aliud non est, quod à te magis velim, quàm ut me, sicut facis, maximè diligas, persuadeasque tibi neminem vivere, cujus benevolentiam, & virtutem majoris faciam. Vale.

I.

TAndem ex magna solicitudine, & metu liberatus sum. Spero te multorum, & literis, & sermone intellexisse me, dum iter Hethruriæ peragerem, quo peterem Urbem Romanam, in quosdam incidisse qui assiduis latrociniis infestabant eam Provinciam, & ferè omnes viarum aditus occupabant. Putabam in manus carnificum pervenisse, qui me multis modis cruciarent. Ego verò, cùm animum ipsum meum pararem ad fortiter perferendum omnes pœnas, quas illi mihi inferre voluissent, neque jam illos quicquam rogarem; inveni apud eos majorem pietatem, quàm fuissem unquam ausus ab eis

spe-

sperare. Cùm enim quisnam essem, aut quibus artibus, quove quæstu uterer, diligenter perquisissent; respondissemque ea, quæ mihi visa fuissent illo tempore pro meis fortunis dicenda; statim me bene sperare hortati sunt. Detinuerunt autem me apud se aliquot dies, omnique officio in me, atque humanitate perfuncti sunt. Cùm verò ipsis visum fuit, habito inter se consilio, non solùm me sinè ullo interventu pecuniæ dimiserunt; sed etiam necessarium mihi commeatum præstiterunt. Omisso autem proposito Romam petendi, habitâ priùs illis maximâ gratiâ, incolumis ad meos regressus fui. Hæc ad te magno studio, & voluptate scribo: quem scio pro singulari in me benevolentia tua, semper adversis casibus meis indoluisse, & maximè secundis rebus lætari. Vale, & de tuo statu ad me sæpe scribas.

II.

QUod humanissimè tecum prædones egerint, non tam fortunæ attribuendum est, quàm moribus tuis; es enim omnium hominum lepidissimus. Aliquid scio profuerunt tibi illæ tuæ facetiæ, & in omni sermone tuo suavitas, non minùs fortasse, quàm quia nunquam rei pecuniariæ opulentus fuisti; est enim genus hominum, magis avarum, quàm crudele. Cùm ergo perbenignus, & comis esses, nec haberes, quid lucri tecum facerent; probè sibi prospexerunt, ne diu fieres illis sumptuosus: ita ego factum judico. Illud verò, quod in tuo discessu factum ab ipsis narras, non solùm liberum discessum, sed etiam commeatum, & cætera officia humanitatis eos tibi præstitisse, non satis possum admirari: cùm vix hujusmodi pietas inveniatur apud illos homines, qui se volunt frugi, & bonos dici; sed, ut arbitror, sæpe ii, qui sceleribus suis diu freti sunt, repetunt interdum avidiùs honesta studia, quàm illi, qui semper inter leges, & judicia vivunt. Quidquid fuerit, maximè tibi gratulor, quod me ex metu maximo, & te ex periculo non parvo liberasti. Cupio tamen ejusmodi fortunam non iterum à te experiendam; & eris, ut spero, deinceps in tua salu-

salute custodienda cautior. Habeo tibi gratias, quod de tua liberatione in primis ad me scripsisti; sciebas enim me non minùs tuis, quàm meis incommodis angi. Hortor verò te atque obsecro, ut ad nos accedas; facies enim rem omnium post tuum reditum, amicis tuis gratissimam: mihi verò adeò jucundam, ut nulla majori voluptate cumulatiùs possis me afficere. Vale.

I.

REm non consuetam ad te scribo, quam si, quanta sit, ex tua prudentia judicaveris; excitabit, crede mihi, quendam ad res magnas incredibilem in te amorem. Cajus Lucius cùm per ætatem nondum possit ad summos nostræ Reipublicæ Magistratus admitti, nuper magno consensu Civitatis absolutus est à legibus: quæ nihil præter morem antiquam fieri permittunt. Cùm enim propter crebros conflictus, multi Duces ex nostris animam fortissimè pugnando amisissent, neque ultra nobis suppeterent, qui ad tantum periculum mitterentur; tanta superioribus bellis hujus adolescentis virtus in pugnando conspecta fuit, ut milites nostri nunquam se victores, nisi ipso Duce sperare possint. Itum est itaque ex communi sententia contra leges nostras; cessitque honestas utilitati, & instituta necessitati paruerunt. Quæ res, modò tibi aliquid animi sit, tantùm inflammare te debet, atque incendere, ut nihil dies, ac noctes magis cogites, quàm quommodo etiam tu viam tibi ad hujusmodi gloriam facias. Quod tibi difficile non erit, si nihil tam arduum putaveris, quod magno, ac nobili animo non sit facile. Vale.

II.

CAjum Lucium donatum esse à nostra Republica egregià dignitate pro sua virtute, bono exemplo factum judico. Nec aliud puto in nostra Civitate melius esse, quàm ut unusquisque tantùm in nostra Republica possit, quantum virtute,

& rebus à se gestis alios antecedit. Sed vereor, ne plerique, cùm gloria majorum magis, quàm sua virtute confidant, id ipsum molestè ferant. Scis quot mala, sæpe Urbi nostræ invidia attulerit. Nam cùm plurimæ sint aliæ pestes, quæ magna plerumque Regna everterunt; nescio an ulla perniciosior humano generi, quam hæc una, quam statim dixi: quæ si ullâ modestiâ evitari possit, id fortè magis legibus, & patriæ, conduceret, tardè ad honores accedere, quàm intempestivis Magistratibus cum invidia, & odio multorum uti. Sed cùm nulla sit humilitas, ut ajunt, quæ morsus hujusce hominum vitare possit; omnia quæ casus tulerit, sunt magno animo ferenda; & eò fortiùs virtute utendum, quo magis à pluribus illa expugnatur. Probo itaque illud nostræ Civitatis factum, quo Cajus Lucius absolutus est legibus, & in illa dignitate constitutus, quam ille sæpe pro patria fortissimè pugnando emeruit. Quantum autem ista res prioribus studiis meis, quæ pro Republica suscepi, adjecerit, brevi intelliges; gloria enim Caji nostri sæpe me è somno excitat. Non quiescam ergo, donec quem ætate, & gloria superiorum prope æqualem video, eundem, & magnitudine animi, & rebus magnificè gestis consecutus fuero. Vale.

I.

NOn de privatis commodis, ut sæpe antea, sed de salute nostrorum civium has literas ad te obsignavi. Si unquam tempus fuit, quo tibi status Reipublicæ curæ fuerit, vide, ut hodierno die illi, & consilio tuo, & auxilio, velis adesse; multa enim impendent, quæ nisi attentissimè sint à te procurata, facilè erunt in magnum eruptura incendium. Quare etiam, atque etiam iter ad nos festina; nec ulla res tanta sit, quæ tuum adventum remoretur. Omnes quidem præsentiam tuam affectant, sciuntque in te uno communem omnium salutem esse repositam. Noli itaque tantam omnium expectationem differre, persuadeasque tibi omni Principatu melius esse hominem à suis civibus diligi, & hanc consequi glo-

gloriam, quàm nullum pro Republica vel periculum, vel laborem effugisse. Plura de benevolentia, & spe civium omnium in te posita scriberem, nisi tu, qui omnia nosti, & summè patriam diligis, ea tecum meliùs perspiceres. Vale.

II.

SI ea in me esset vel auctoritas, vel facultas, ut malis Reipublicæ mederi possem, nullum certè vel laborem vel periculum pro communi salute fugerem; sed multa sunt, quæ incutiant mihi hujusce rei diffidentiam ac desperationem. Nam & plerique ex nostris malunt potiùs omnia perturbare, ut ipsi præesse videantur, quàm æquo jure inter suos vivere; & plures sunt in Civitate, qui non satis internoscunt, quid inter servitutem, & libertatem civium intersit. Si qui verò inveniantur in Civitate, qui bene de Republica, & judicent, & sentiant: nihil eorum oratio ad multitudinem valet. Non video itaque, quid possit mea præsentia patriæ, & civibus nostris afferre; nisi ut multas inimicitias, neque mihi necessarias, neque Reipublicæ utiles assumam. Quod si in ea sententia omnes sunt, ut salutem meam his fluctibus, & procellis Reipublicæ committam, non recusabo amore patriæ omnia priùs experiri, quàm fallere tantam civium nostrorum expectationem. Habes judicium meum de Republica. Tu quid sim facturus, cùm de voluntate civium nostrorum tibi constiterit, ad me iterum scribas. Vale.

I.

QUis sit nostræ Civitatis status, ex hoc potes intelligere, quod nunquam melioribus auspiciis jacta fuerunt fundamenta nostræ Reipublicæ, quàm hodierno die. Cùm enim olim Senatus noster cogeretur, ut de summis rebus consuleret, omnes serviebant tempori: si quando sententia inter Patres dividebatur, nemo erat qui, quod sentiebat, auderet liberè consulere. Nunc verò concurritur tantis studiis

ad libertatem non fictam, atque umbratilem, ut olim, sed qualem à Patribus nostris accepimus: ut nunquam visi simus nobis vivere, nisi hoc ipso tempore, in quo nunc sumus. Paucis enim, qui publicam libertatem opprimebant, de Civitate ejectis, omnes æquo jure utuntur. Licèt cuique de nostra Republica, & quid sentit, dicere, & quod dicit, liberè sentire. Studia, quæ privatis rebus adhibebantur, omnia ad amplitudinem Reipublicæ sunt conversa: omnesque in hoc unum maximè sunt intenti, quis eorum potissimè prosit Civitati. Si ergo cupis inter tuos magnus haberi, accede ad hanc nostram Rempublicam, quam optimam, & pulcherrimam habemus. Tantum quidem in ea poteris, quantum cæteris labore, industriâ, & solicitudine præstabis. Vale.

II.

QUod optimâ Republicâ utamini, magis vestrâ, quàm meâ causâ gaudeo; mihi enim cùm maxima pars vitæ jam exacta sit, nihil potest esse, quo diu utendum sit. Vestra autem ætas, quæ in meliori cursu est, in futurum spectat: multa habet, quæ jure sibi possit in gerendis Magistratibus promittere. Si quid verò erit, in quo possim patriæ prodesse; non solùm omnes labores fortiter pro illa suscipiam; sed etiam omnes molestias, & solicitudines æquo animo pro salute publica feram; & satis fructus percepisse ex laboribus, & studiis meis arbitrabor, si vestram Rempublicam quam optimam, atque amplissimam, posteris vestris una vobiscum reliquero. Si autem illa officio meo non eguerit; gaudebo summos homines, atque sapientissimos in vestra Civitate reperiri, qui optimis legibus, ac sapientissimis institutis, patriam possint tueri. Ego verò jam magis otium, quàm negotium concedi senectuti meæ desidero; & vos qui in ea exornanda, atque locupletanda occupati estis, pro vestra sapientia considerabitis, quid Reipublicæ conveniat; quidquid enim de ea constitueritis, ego boni consulam. Vale.

I. Quid

I.

QUid de publica utilitate nostrorum civium sentiam, & qua ratione ea res meliùs possit à nobis agi, constitui ad te scribere: ut omnium consiliorum meorum rationem tibi in primis aperiam. Sæpe animo prospexi, quomodo nostræ Civitatis vectigalia, & cæteri proventus, sinè ullo nostrorum civium, aut sociorum incommodo maximè possint adaugeri. Sed ad hanc rem conficiendam, vidi opus esse mihi tuo consensu, atque prudentia. Non ignoras, multis annis antea, neque mercatores, neque publicanos, propter incursum piratarum tutè potuisse hoc nostrum mare navigare: unde accidit, ut multo minoris nostra vectigalia venirent. Nam cùm unusquisque pacto isto conducat, ut sibi, non Reipublicæ pereant, necesse est, ut magnitudo lucri illos ad hanc vecturam impellat, fitque, ut non velint periculo sua committere, cùm major pars commodorum ad eos perveniat, ex quo nostrum ærarium non parvam jacturam, ac dispendium sustinet. Quid autem mercatoribus accidit propter metum piratarum, quotidie intelligimus; cùm ferè omnes artes in Civitate nostra defectu mercium ad nihilum devenerint: quod damnum non solùm ad privatas personas, sed etiam usque ad ipsam Rempublicam pervenit. Consilium meum erat, ut publicè triremes instruerentur, conscriberenturque homines assueti bellis maritimis, qui commeatus tutos redderent. Hoc enim modo, & animos nostrorum sociorum confirmaremus, & vectigalia nostra recuperaremus, quæ nostrâ negligentiâ propemodum interierunt. Mercatoribus autem mare tutum esset, piratis metu nostræ classis non audentibus per mare vagari. Hæc sæpe in nostro Senatu commemoramus: quæ etsi à multis omnino probarentur, tamen aut propter invidiam, aut propter gratiam eorum, qui me non possunt æquis oculis aspicere, nondum ea res in consultationem deducta est; sed ubi te adjutorem ad hanc rem habebem, spero facilè obtentu esse omnia fieri, de quibus ad te scripsi. Non fugies ergo, velut confido, hunc laborem, suscipiesque

que cum Reipublicæ causa, tum summa in me benevolentia tua, hanc procurationem tibi honestam, & Reipublicæ utilem. Vale.

II.

NIsi res, de qua ad me scribis, possit aliter quàm præsentiâ meâ expediri, propediem accedam ad Urbem. Sed illud valdè miror, quod in re aptissima nemo est, qui tibi consentiat. Non video enim quid ad tuum consilium addi possit; nam si nostrâ Republicâ diu frui volumus, necesse est, ut mare, quod his annis piraticis latrociniis vexatum fuit, aliquando nostris vectigalibus, ac mercatoribus pateat; aliter nostra Respublica, quæ vix adhuc stat, brevi omnino nulla erit. Constitui tamen priùs ad Senatum hac de re scribere, & hortari quosdam, qui in sententiis dicendis graves in primis habentur, ut hoc negotium Reipublicæ causa suscipiant. Sæpe enim gratia quædam summis viris habetur, cùm ab eis de communi salute Reipublicæ agitur: quæ res, si ab hominibus inferioris ordinis tractetur, sæpe invidiam magis efficit, quàm Reipublicæ ratio possit. Et quia modestiam tuam cognovi, scio id te non molestè passurum, quod ea, quæ à te sapienter prò publica utilitate perspecta fuerant, ab alio perficiantur. Curabis autem ut, si quid hujus rei in consultationem venerit, tuis literis certior fiam. Vale.

I.

SI de nostra Republica ad te liberiùs hoc tempore scribo, quàm olim fecerim, nihil est, quod admirari te oporteat. Nunquam enim tempus fuit, quo vehementiùs ad te pro publica utilitate scribendum fuerit. Nam postquam te ex causa ejus exemisti, alii timidiores facti sunt: alii verò tantum licentiæ, atque audaciæ assumpserunt, ut nihil putent sibi in sententiis dicendis vetitum esse. Si ergo cupis illam salvam esse, omnibus post habitis, ad eam gubernandam, atque regendam accedes; facillè enim poterit ad veterem consuetudinem à te reduci, si priùs hæc fundamenta, quæ malè jacta sunt, tua auctoritate, & sapientiâ

tia everteris, quàm illi se confirmaverint, & assuefaciant multitudinem suæ libidini servire. Videat, si qui sunt non rectè de communi salute sentientes, eos, si potes, de sententia sua dimoveas; sin minus majorem habeas Reipublicæ, quàm privatæ amicitiæ rationem. Quos verò timidos ad suscipienda pro suis civibus pericula animadverteris, oratione tua excitabis, & eos inflammabis ad fortiter sustinendum omnes labores, quoties ratio, aut necessitas hoc ab eis prò Republica deposcet. Sustines quidem incredibilem omnium bonorum expectationem. Facies itaque quicquid Respublica hoc tempore faciendum esse tibi suadebit; sed unum hoc à te quæso, ne obliviscaris te illum esse, cui ipsa Respublica se, & suos cives commendat. Vale.

II.

CUm literæ tuæ de statu Reipublicæ ad me delatæ essent, non multo post aliæ supervenerunt, quæ nunciarent omnia à te privato odio, ac malevolentiâ fieri; nec alio in statu Civitatem esse, quam olim, cùm eam incolumem, atque florentem reliqui. Non possum induci, ut hæc à te confecta esse putem. Sed illud maximè doleo, privatis dissensionibus Rempublicam eversum iri. Sive enim illi quadam in te malevolentia causam horum malorum dicant in te residere: sive, quod potiùs reor, tu illorum mores, & cupiditatem dominandi non possis ferre: nostra Respublica non potest quicquam ex hac re lucrifacere. Gaudebam me illud à patria impetrasse, ut pro multis laboribus, ac maximis periculis, quæ sæpenumero pro publica salute perpessus fueram, aliquando otio, ac quiete donatus essem, liceretque mihi, cum diu inter fluctus, ac tempestates ejus versatus essem, tandem rebus meo labore compositis, in portu quiescere. Sed postquam eò perventum est, ut vel ego non possim in hoc meo otio, vel illa non possit in pace esse; non deseram hoc in extremo tempore illam: qui omnem superiorem vitam semper in laboribus, ac periculis pro salute ejus exercui. Navigabo itaque ad vos, quamprimum secundi venti erunt. Spero, dum adhuc omnia nova, & recentia sunt, posse omnem causam orien-

orientium malorum per me tolli: quod si à me perfici non poterit, tamen neque studium meum, neque diligentia unquam aberit. Tu verò velim pro tuo in Rempublicam perpetuo amore, id mihi præstes: ut plus apud te Reipublicæ utilitas, quàm illius hominis odium, aut invidia valeat. Vale.

I.

NIsi rebus tuis caveas, implicabis te aliquo gravi incommodo. Credis unumquemque eo esse in te animo, quo tu in alios es. Falleris, crede mihi; nam ex iis, qui tibi in præsentia videntur amici, paucissimi te ex animo diligunt. Si verò me audies, abdicabis omnes illos à te: quorum frons est blanda, & qui omnia, quæ à te fiunt, immensè laudant. Suadeo in omnibus rebus à te gerendis utaris consiliis Caji Victurii, omnium certè sapientissimi, & qui te summè diligit: is non patietur te in defectu amicorum errare. Nemo est ex numero nostrorum hominum, cujus prudentiam pluris faciam, dum ille optimè de natura, & moribus nostrorum civium potest judicare. Quicquid tibi persuaserit, veridici Apollinis, ut ajunt, dictum puta. Si attendere volueris, videbis illum nec posse propter sapientiam errare, nec velle propter summam in te benevolentiam. Cupio quid constituas, intelligere: ut cum ea opinione, in qua adhuc fuisti, mutatum te esse cognovero, amicitiæ nostræ satis congratuler. Vale.

II.

CAji Victurii consiliis maximè utor; sempèr enim illius sapientiam plurimi feci. Sed cum bona venia tua dicam; videris mihi minus benè de me sentire, cùm dissuadere videris me illorum hominum amicitia uti, quorum frons blanda est. Ego verò longè à te dissentio; sed cum hominibus ita vivendum, ut suus unicuique mos est. Non judico sapientis esse, cùm cætera sibi arrideant, ipsum flere; aut nimium severum esse, cùm sint alii in joco. Ita enim vitam institui, ut me semper præsen-

tibus rebus accommodarem ; nec paterer aliquem jure irasci. Quoties autem mihi licet, scito me nihil libentiùs facere ; quàm cum his versari, quorum sapientiâ doctior fieri possim. Ista scio nondùm tibi sunt ab æmulis meis relata. Hæc sunt, quæ pro causa mea duxi hoc tempore tibi respondenda : non quia tuis admonitionibus succenseam ; sed ut si quam non bonam opinionem de me concepisses, ego me apud te purgarem. Tu si quid aliter ad te referetur, quòd sit præter dignitatem, & eam existimationem, quæ de me habetur ; omnia ut facis, amicè ac liberè scribas. Unum velim prò tua humanitate impetratum iri à te sinas, ut nihil de me temerè credas ; plures enim sunt, qui aut odio aliquo, aut invidiâ commoti, veniunt ad impugnandum alienam famam, quàm ratione, vel causâ honestâ inducti. Hoc si mihi præstiteris, semper quàm maximè tuis admonitionibus delectabor. Vale.

I.

SPero me animo prospexisse, qua ratione possit tua causa in integrum restitui, nec id longè aberit : modò de ea re consilium habeas cum his, qui te in cauta parte esse desiderant. Cùm enim Idibus Januariis fortè convenissem Cajum Cornelium hominem in jure civili prudentissimum, multique adessent omnes tibi summi amici, incidimus, nescio quomodò, in sermonem de rebus tuis. Fuerunt autem qui dicerent, nihil unquam se iniquius audivisse, quàm eam sententiam, quæ pridiè in judicio triumvirali de te lata est. Cui rei cùm omnes assensi fuissent, nihil aliud diffinitum fuit, quàm quia singuli factum illud nimis indignabantur. Ego verò cùm jam discessum inde foret, animum ad causam tuam adverti. Cumque diligentiùs eam inspexissem, cognovi nihil ex more majorum, nihil in ea legitimè actum esse ; nam potentia adversarii tui magis causam istam, quàm æquitas rexit. Consulo provoces ad superiores Magistratus, qui de hujusmodi sententiis habent cognoscere. Semper enim horum judicium habitum fuit in nostra Civitate gravissimum, neque unquam à censura eorum appellatum fuit. Sed vide, ut ad hanc rem

rem Cornelium tibi patronum constituas, qui & causam tuam optimè novit, & in dicendo acerrimus est. Hoc si feceris, video te superiorem. Si quid autem erit, in quo mea opera possit tibi prodesse, senties me non solùm paratum, sed etiam maximè cupidum ad omnia, quæ tibi commodè accedant. Vale.

I I.

NOn dubito omnes amicos de eorum iniquitate, qui sententiam contra me tulerunt, sæpe conquestos esse; nemo enim est, qui non maximè pro indignitate hujus facti commoveri debeat. Nec potest fieri, quin metus bonos omnes tangat: ubi jam apertè justitia oppressa est. Te verò non solùm diligo, sed etiam admiror, quod me nullo in te officio meo semper ut fratrem amasti; nec unquam passus es fortunas meas ab his conculcari, qui omnia volunt potentiæ suæ contra jus & æquitatem concedi. Sequar ergo, ut in cæteris rebus, ita & in hac consilium tuum, quam rem istam jam prope desperatam, ac derelictam habeam: quia autem me hortaris, ut patrocinio Caji Cornelii utar, rectè suades. Semper enim vidi in causis Oratorum eloquentiam plurimum valere, & in judiciis velut quodam in regno suo dominari; sed nescio quomodo ea res à me bene transigatur; nam & re pecuniaria opus est, & ego superiori lite non solùm argento, quod apud me fuerat, exhaustus sum, sed magno etiam ære alieno teneor. Illud igitur te rogo, atque obsecro, ut si quod remedium ad opportunitatem potes per alios adhibere, nullam occasionem prætermittas. Constitui quidem, nisi amici mei spem meam destituerint, aut in integrum restitui, aut omne patrimonium simul profundere. Vale.

I.

TUa res in tuto est, & jam, ut ajunt, in portu navigas; nihil enim quod ab amicis desiderari posset, defuit tibi ad victoriam causæ tuæ. Pugnatum est omni studio, atque diligentiâ, ut eò res tua conduceretur, quò tandem summis adjutoribus per-

pervenit. Nemo fuit, qui aliter hac in causa tua solicitus esset, ac in sua; & fortassis eò magis, quò in causis amicorum decet, aliquantò nos attentiores esse, quàm in re nostra. Gratias ergo, quas debes amicis tuis, dices, non quia illi animum tuum ignorent, sed ut tua apud illos testatior sit benevolentia. Vale.

II.

NUllum officium est, quod magis necessarium ducam, quam his gratificari, à quibus bene accepti sumus. Nec opus erat mihi tua admonitione: quanquam semper omnia, quæ à te dicuntur, non solùm me delectant, sed etiam illa magni facio. Scribam ergo ad amicos, nec ullum gratiarum genus prætermittam. Postquam enim res mea studio eorum in tuto est locata, nihil est, quod à me illorum officio satisfieri possit. Sed faciam intelligant, nullum me finem, quoad vivam, huic maximo beneficio eorum facturum. Tibi verò plurimùm debeo, qui pro tua benevolentia de his rebus, quas maximè audire optabam, certiorem me ante omnes fecisti. Vale.

I.

SCito me, omnibus posthabitis, magno studio perfecisse omnia, quæ ad te pertinere intellexi: de quibus nunc ad te, quo sint à me ordine gesta, perscribo. Quamprimum in Provinciam appuli, statim conveni homines illius Regionis; percunctatusque ab illis fui, an mercatoribus commeatus adhuc essent liberi. De qua re, cùm satis edoctus fuissem ab eis, contuli me Alexandriam, expeditisque prius mercibus tuis, quàm de rebus meis quicquam statuissem; protinus curavi, ne tempus, quod mihi ad cætera negotia tua perbreve erat, permitterem esse otiosum. Contraxi ergo undique sarcinas, & quo paratiores essent ad navigandum, adduxi illas in portum. Tertio verò idus Martii, cùm jam omnia in navi composuissem, nautæ à portu solverunt; & cùm secundi essent venti, omnes ferè uno tempore cœperunt vela facere. Quid inde secutum fuerit, non multo post

to post renunciatum mihi fuit, vix duas, vel tres naves ad summum incolumes Corcyram appulisse, in quibus tua fuit. Cæteræ verò, ut dicebatur, naufragium fecerunt. Sentio nondum propter metum tempestatis illas ex eo portu adhuc se dimovisse; sed quamprimum illa se tempestas remiserit, iter ad nos facturas, quod nostra Numina utinam bene vertant. Hæc tibi per nostras triremes nota esse volui, ut de omnibus rebus tuis doctior esses; & deponeres omnem solicitudinem, si quàm fortè ex hoc naufragio conceperas. In cæteris autem rebus, cum sis prudens, nihil est, quod te admoneam; satis enim per te ipsum potes judicare multò cariores futuras merces, quàm si naufragium nullum fuisset. Reliqua, cùm tempus fuerit, expediam. Tu si quid aliud voles in re tua me facturum, per literas tuas mihi significabis. Vale.

II.

Nihil ad hanc tuam solicitudinem addi potuit, & effecisti, ut etiam si omnia mihi adversa accidissent, tamen gratias tibi habuissem: quod majori studio geri negotia tua non potuissent, quàm hoc tempore mea gessisti. Plurimum tamen gaudeo, & maximè gratulor, quod tuæ diligentiæ fortuna par fuit. Cùm enim tantum pecuniarum causa illarum mercium effudissem, ut nunquam aliàs tantum æris negotiandi gratia consumpserim; vidi penè omnes fortunas meas simul eversas fuisse; nisi divino munere nostra illa navis cæteris pereuntibus incolumis portum subiisset. Eò autem mihi gratiores fuerunt literæ tuæ, quò minus de salute rerum nostrarum sperabam. Nam paulò antequam eas recepissem, jam rumor exortus erat de hoc naufragio; & fuerunt, qui dicerent nullam omnino periculum effugisse. Quod autem me admones de caritudine mercium, ut in re mea cautior, & prudentior fiam, rectè, ut cætera, facis. Ero enim diligens, & attentus, ne cùm fortuna mihi auxilio fuerit, ego mihi ipsi defuisse videar. De cæteris autem rebus, quæ ad me pertinent, aliud non est, quod in præsens à te exigam, nisi ut quamprimum poteris
ad

ad nos naviges; habeo enim tecum de multis conferre, quæ utrique nostrum maximam, ut spero, utilitatem afferent. Sed vide, ne te mari committas, nisi omnia ad navigandum tuta videris: quam opportunitatem non tibi difficile erit consequi, si potius triremibus nostris tuam salutem, quàm navibus rostratis committas. Vale.

I.

CUpis à me scire, quid ad bene vivendum propius accedat; nam te ignorare ad me scribis, quam potissimè viam ingrediaris. Ego verò ita à veteribus accepi, nihil religione melius, aut quid magis libertati, quàm omnes in vita volumus, conveniat: quanquam alia in sententia major pars hominum existat. Sed nemo illorum est, qui si ex re, non opinione judicare voluerit; non statim videat omnem vitam suam quàm similem esse hominibus, qui hyeme navigant. Nam ut illi ventis, & tempestatibus, ita isti affectibus suis non possunt imperare. Ex quo raro videbis quemquam illorum aut lætam frontem, aut tranquillum animum præseferentem. Nemo est, qui sortem suam laudet, & quo sibi magis indulgent, eò semper minus placent: quod non aliunde eis accidit, judico, nisi quod de via recesserunt. Sequentibus autem divinum cultum omnia sunt tranquilla: nihil eis ex animi perturbatione accidit: omnia infra se despiciunt: fruuntur se ipsis: nihil nisi divinum admirantur: nihil ad eos de mutatione fortunæ pertinet: eodem loco apud eos secunda, & adversa jacent. Quare si consilium meum audies, nulla erit res tanta, quam religionis bono, & tranquillitati compares. Nec te sententia illorum hominum ab hac re detrahat, qui felicitatem putant non nisi in rebus terrenis positam. Crede mihi, aut non tibi amici sunt, aut ignari, ubi vera beatitudo consistat. Quod si hoc genus vitæ non ideò à te probatur, quod ab humanitate remotum habetur, & tibi magis cum hominibus versari, quàm vivere cum Deo placet; sententia mea est, ut te literis, & philosophiæ tradas; ma-

gnum enim auxilium ad hanc vitam civilem, quam multi sequuntur, ab his humanitatis studiis mutuaberis. Si verò te splendor iste fortunæ magis delectat, vide ne te implices rei, unde cùm voles, te explicare non possis. Vale.

I I.

SAtisfeceras desiderio meo, cum religionem ad bene vivendum maximum adminiculum habere scripsisti; etsi vita nonnullorum hominum, qui illam profitentur, posset me prope à consilio tuo detrahere. Neminem ferè hoc tempore video, qui non magis sequatur ea in re ambitionem, vel avaritiam, aut aliquod voluptatis genus, quam sanctitatem, & integritatem animi. Pudet me horum temporum, & maximè piget commemorare ea, quæ quidam ex nostris sinè ulla honestatis reverentia suo arbitrio faciunt. Satis est, quod in eos à plerisque dicitur maximorum vitiorum capita, quasi ingentium fluminum origines domi suæ primum nata esse, & postea corruptis moribus sæculi, unde orta erant, iterum esse relapsa. Puto ergo eam vitam posse ægre duci, in qua paucos duces invenio, ad quorum mores me convertam: aut quos sequar in ea via, in qua errare facillimum est. Quod autem post religionem philosophiæ, & literarum studia valde commendas, probo consilium tuum; est enim res prorsus digna & admiratione, & laude nostra, in qua non solum rerum humanarum, sed etiam divini cultus ratio mihi videtur esse reposita. Nam & altissimarum rerum causas aperit, & bene aliquid à me agendum esse, atque castè cum hominibus versari instruit. Constitui ergo sive cum Republica, sive cum amicis sit agendum, & auxilium, & consilium ab ea petere; nihil tamen est, quod in illa magis me delectet, quàm quod docet ea anteponere, quæ plerique admirantur, & animum ab omni molestia, atque anxietate abducit. Sequar igitur potius hoc mediocre genus, quod est in philosophia positum, quàm hoc aliud umbrosum, atque inane plenum erroris, & infamiæ, quòd nemo profitetur, nisi animus ejus, quàm maximè ab honestate dissidet; tu verò, qui mihi adjutor, &

& auctor ad hanc rem fuisti, sæpe me admoneas; nec patieris in ea re me errare, in qua prudentissimus omnium, qui hodie vivunt, ab hominibus haberis. Vale.

I.

CUm ad te literas meas dare constituissem, nulla res comparebat in medium, quæ tuis vel moribus, vel studiis mihi videretur dignior, aut tibi futura gratior; quàm si ea, quæ de cultu divino ab hominibus sapientissimis accepissem, tibi in primis nota esse curarem. Legens itaque his diebus quædam Græcorum scripta, fortè incidi in Basilium, quo in libello multa ad nostram eruditionem divinitus ab illo homine excogitata, & dicta reperi. Erat autem ejus sententia, tantam vim inesse divino cultui, quem Græci latriam vocant; ut nulla unquam Gens fuerit tam immanis, aut tam barbara, quæ deos negaret. Qui verò plus intellectu valuerunt, unum aliquem inter omnes principantem, & quasi communem omnium Numinum parentem constituerunt: quem eundem, & rectorem hominum, & deorum patrem appellabant. Plato verò, quem Deus nasci voluit, ut multa aperiret Gentibus, quæ prius de rebus divinis nondum intellecta essent, altius hominibus, qui ante ipsum scripserant, ita de Deo sensit, ut non multum à nostris philosophis ille abesset; & quid sentiebat, accuratissimè literis mandavit. Is enim mihi auctor fuit, ut divino cultui nullam rem comparandam esse ducerem. Quare inferebat nullum magis fidei nostræ argumentum esse, quàm quod omnes homines aliquid de divinitate senserint. Multa prætereа his addebat, quæ per te melius ipse intelliges. Mitto ergo ad te librum Basilii, quem tibi perlegeris, scio te illi homini maximam habiturum gratiam, quod tibi hanc viam ad bene, beatèque vivendum aperuit. Cupio tamen per tuas literas intelligere, quid de sententiis suis judices, & quantum lectio ejus tibi profuerit. Vale.

II. Li-

II.

Librum Basilii vestri perlegi, in quo non minus suavitatis, quàm sententiarum gravitatis inveni. Nunquam putassem in homine Græco fuisse tantum peritiæ ad hunc nostrum divinum cultum. Nam etsi Græcis hominibus in his disciplinis, quæ ad mores pertinent, plurimum semper attribuerim; tamen in rerum divinarum cognitione, longè illis nostros homines præstare non injuriâ videbar mihi judicare. Tantum autem effecit repetita lectio hujus libelli, ut illos in hoc genere nostris penè pares judicem. Quid enim sapientius de altissimis rebus dici, aut excogitari potest, quàm ea, quæ cum à Platone; deo, ut illi ajunt, philosophorum; tum ab iis, qui deinceps illum sequuti sunt, & sæpè disputata, & nonnunquam prudentissimè ab eis conscripta fuerunt. Sed hæc nihil ad te, cui non minus omnes, qui in aliquo genere doctrinæ apud Græcos floruerunt, quàm nostri Latini, auctores semper notissimi, & familiares fuerunt. Quantum verò legendo Basilium vestrum profecerim, malo te ab aliis, quàm à me intelligere. Nunquam tamen fui ad bene de me sperandum erectior, quàm hodierno die. Multa sunt, quæ me in eo libro delectant; sed hoc maximè, quod illud genus dicendi tantum suavitatis, & modestiæ habet, ut nihil supra. Vix enim unquam de manibus meis excidit; sed cùm eo satis imbutus, & eruditior factus ero, curabo, ut primum illum ad te transmittam. Vale.

I.

Quod ad te scribo, maximè ad divinum cultum attinet: de quo si ita sentis, ut puto, bene est; si verò alia in sententia esses, brevi cognosces, quantum à te dissentiam. Ego enim sic de religione judico: omnes qui ad illam confugiunt, ut se dent inertiæ, & languori, non solùm hos non religiosorum, verùm etiam sacrilegorum numero habendos esse. Qui verò ambitioni serviunt, aut voluptatibus, hi divinum cul-

cultum ita prostituerunt, ut nulla sit major pestis inter homines adhuc orta. Tu verò quid de religione sentias, etiam, atque etiam videbis. Ego enim sic judico aliquanto melius esse à religione abstinere, quàm ad illam, ejus rei gratia, ad quam fuit à nostris majoribus primum tradita, non ut oportet, accedere. Si ergo vis factum tuum ab eis probari, qui tibi maximè erant contrarii, cùm velles religionem profiteri, non mediocri virtute tibi opus est. Illi quidem non tibi satis fidebant, cùm id futurum dicerent, ut neque constantiam esses in hac re habiturus, neque modestiam; quare, si ille tuus animus refrixerit, qui ipso initio ardentissimus fuit, ostendes omnem illorum timorem verum fuisse, & eam nomini tuo maculam generabis, quæ nunquam abs te aboleri poterit. Illud ergo tecum sæpe cogitabis, cæteris in rebus constantiam probari, in religione verò etiam necessariam esse. Quam unam virtutem non erit tibi difficile consequi, si te otio, & remissioni non dederis; nam cùm hæc vitia in omni vita sint fugienda, certè in homine religioso maximè notantur. Tu quid tibi conveniat, etiam, atque etiam videbis. Ego te amabo, si confirmaveris judicium, quod de te feci: si minus habebis me tibi summum adversarium, qui te plurimum ad hanc vitam ante omnes hortatus fui. Vale.

II.

ET religionem probo, & te maximè amo, qui mihi auctor atque hortator in ea re fuisti; nec est aliud, quod magis in omni re me delectet, quàm servare constantiam in rebus optimis, atque honestissimis. Quare si ullam pro me solicitudinem sumpsisti, quæso te per nostram amicitiam, quæ ab ineunte ætate incœpit, ut eam deponas; & plus mihi in hac re credas, quàm his, qui mihi hoc propositum quotidie conantur excutere. Si quid autem erit, in quo tu me de via errantem videris, malo tuas contumelias, & redargutiones audire, quàm ab his laudari, qui me in præsentia commendant, in absentia verò non cessant suis maledictis lacerare, atque minuere.

Quod

Quod iniquo animo perferrem, nisi hæc vetus esset consuetudo; semper enim fuerunt, nec in futurum deerunt homines, qui sibi voluptati ducant, quos alicui bono studio deditos vident, famâ, & bona opinione spoliare, & semper aliquam falsam fabulam confingere, & spargere vulgo varios rumores, à quibus abstinere non est facile; multa quidem persimilia habent, neque unquam deprehenduntur, nisi postquam nocuerint. Hæc ad te non scribo sinè causa. Quanquam summâ in me utaris modestiâ, neque quemquam in tuis literis nomines; tamen quamprimum tuas literas legi, statim intellexi, quo ex fonte omnia manarent; tu verò si charum me habes, non plus his hominibus credas, quàm & vita mea, & ipsa dicta, & facta verbis eorum consentiant. Non tamen desinas sæpe me adhortari, atque admonere, sicut facis, ad religionem observandam, & ad retinendam constantiam, atque modestiam in tota vita mea, etiamsi malè de me tibi referatur. Quod si feceris verè à te amari, & maximè ex animo coli me judicabo. Vale.

L.

SCribo ad te de religione, quæ una res semper à sapientissimis hominibus judicata est prorsus nostrâ curâ, ac nostro studio dignissima; neque enim Romanus Populus rerum potitus esset, neque dictus Gentium omnium, atque Nationum Princeps, nisi religionem omni Imperio, ac omnibus rebus prætulisset. Quod si etiam, qui falsam religionem pro vera coluerunt, nunquam arbitrati sunt suum Imperium, aut coalescere tantum potuisse, aut postquam adultum fuit, tamdiù stetisse, nisi bonis auspiciis, ac divino cultu omnia eorum facta etiam minima priùs initiata essent; quid nos arbitrari convenit, quibus vera, ac immortalis religio à nostris majoribus priùs probata; & postea nobis optima ratione tradita, & conscripta fuit? Idemque quod Romanus Populus, Athenienses, deinde Sparthani censuerunt, qui Principatum Græciæ diù obtinuerant; putaverunt enim nihil esse, quod magis homines ad humanitatem converteret, quam si deos ti-

os timerent, atque vererentur. Quod bene, ac feliciter nonnulli ex Imperatoribus nostris veræ fidei sectatores in rebus pacis, & belli animadverterunt. Nam quamdiu ad divinum cultum pacem, & bellum retulerunt, omnia illis prospere cesserunt: ita etiam ut pro eorum victoria sæpe numero elementa, & ipsa rerum natura pugnaverint. Theodosius jure optimo inter divos Cæsares numerandus: cùm omnia bella divinis auspiciis gereret, ac nomen unius, atque immortalis Dei signis ac vexillis inscriptum deferret: non solùm homines, & arma, sed etiam ipsos ventos auxiliatores habuisse legitur. Magna sunt, quæ Constantino primo Imperatori Christiano divinitùs concessa, & attributa fuerunt: quæ si quis attentiùs secum voluerit considerare, nemo est, qui non facilè debeat ad amorem, studiumque divinarum rerum non solùm concitari, sed etiam animo vehementer inflammari. Hæc ego cùm lego, incredibile est, quantus me rerum divinarum ardor habeat; sentio enim totam mentem innovari, & longè alium mihi esse animum, quàm olim; sed maximè cupio te ad hæc studia, & adjutorem, & socium habere. Fuissem autem in scribendo prolixior, nisi sperarem te brevi affuturum: quod ut facias vehementer rogo. Spero enim nos de multis rebus eam deliberationem, consiliumque habituros, quæ nos ab his curis, & molestiis extricent, in quibus dudum sinè spe exeundi fuimus. Vale.

II.

Literæ tuæ incredibili voluptate me affecerunt; nunquam enim majori studio rerum divinarum inflammatus fui, quàm postquam epistolam tuam legi, in qua commendas religionem; & eo loco reponis, ut illa sit omnibus rebus anteferenda. Ego verò, etsi de divino cultu non mediocriter sentirem, & eos in primis laudarem, qui omnibus posthabitis, illi se in totum ex animo dederant; nondum tamen tanta ejus rei admiratio me habebat, ut illam optarem profiteri. Nunc verò nedum cupio, sed jam etiam ardeo ita me illi tradere, ut nihil possit in vita esse, quod satis valeat me sinè illa delectare. Cupio itaque me tibi

socium, atque participem jungi. Olim alia ratio, atque institutio vitæ mihi fuit, quamdiu uxor, liberi, ac parentes fuerunt; nec animus unquam ad eam fuit; nec si fuisset, id mihi salva pietate licuisset. Nunc autem cùm omnibus ferè necessariis morte ipsorum privatus sim, & eos amiserim, quorum causa juvabat me omnes molestias ferre (quanquam si te novi, etiam me antecedas) spero propediem apud te esse. Interim sarcinulas, ut ajunt, componam; & quo liberior sim, atque expeditior ad illud genus vitæ, quod maximè animo amplector, ita me extricabo ab iis impedimentis, quæ me hucusque vinctum detinuerunt: quia nulla major erit mihi cura, quàm ut de nulla re, nisi divina curem. Vale.

I.

SI quid est, quod ullo tempore apud te magno studio contenderim; nunc à te hoc etiam, atque etiam exigo, ut pro nostra amicitia legas attentissimè ea, de quibus hodierno die ad te scribo. Sæpe, ut scis, te admonui, ut sententiam tuam non negligeres, prospiceresque tibi in futurum: tu verò id negligentiùs adhuc tulisti. Sed, nisi tibi advigilaveris, video non longè tibi abesse periculum. Ita enim de te narravit mihi Claudius homo perantiquus tuæ familiæ amicus, & qui familiarissimus fuit patri tuo, quoad vixit; nam inquit, te neque modesto sumptu, neque honestis hominibus uti circumventum dolo, atque insidiis eorum, qui tecum vivunt, & quorum consilio in omnibus rebus uteris, qui deditâ operâ subornaverunt L. Syllam hominem divitem, & qui plurimum in tua Civitate potest. Is eorum factione tibi litem movebit de bonis paternis. Illi verò scrupulum tibi injicient, & persuadebunt, ut eorum fidei tabulas bonorum tuorum committas, quo liberiùs, ac faciliùs possint tibi in causa tua patrocinari, idest bona tua diripere, & expilare: quod si à te factum fuerit, planè video te exclusum esse. Noli ergo si me amas, imò si te charum habes, te committere hujusmodi hominibus, quorum omnis oratio blanda est; acta verò aut insidiarum plena, aut ab eorum oratione longè diffidentia.

Cogor

Cogor enim de salute tua, ac de omnibus fortunis tuis solicitus esse: quod minimè facerem, nisi te maximè colerem. Tu verò id mihi concedas, ne minorem de te ipso curam geras, quàm illi, qui te salvum esse, ac res tuas incolumes valde optant. Vale.

II.

TAbellarius nuper ad me detulit literas tuas; mones autem me pro tua benevolentia, ne fortunas meas credam iis hominibus, cùm quibus assiduè converfor. Facis quidem amicè, nec à tua consuetudine recedis; sed Claudius, quem suspectum habes, plura tibi de me retulit, quàm ego cognoscam. Vereor, ne hoc magis aliquo odio, quàm recto animo faciat; non potest enim æquo animo ferre, quod omnia suo arbitrio, ut olim non verset. De me multa confingit: neminem non suspectum habet, qui aliquid apud me vel consuetudine, vel gratia possit. Præterea nimis illi dolent oculi, quoties videt à me quemquam ex meis æqualibus magis, quàm se diligi. Sed non efficiet, ut amicos pro inimicis habeam: quia, si tales insidiæ, ac machinamenta ab illis contra me instruuntur, ut ad te nuper detulit, non poterit hæc res diù latere; & ero maximo animo intentus, si aliquo signo, ac conjecturâ dolus eorum à me deprehendi poterit. Si verò nihil hujusmodi ab iis excogitatum fuerit, aut confictum; quid aliud credendum est hunc hominem voluisse, quàm ut à se uno omnia more antiquo versentur; nam si redoleret antiquam familiaritatem, & veteris benevolentiæ, quam habuit cum patre meo, reminisceretur, novos amicos potiùs mihi faceret, quàm consuetos abigeret. Sed de hoc satis. Plura enim ad te de illo scribam, si compererо falsa esse ea, quæ nuper tibi narravit; non tamen interim ita illis hominibus confidam, quos apud te de me insimulavit: ne in re nostra quisquam aut negligentem, aut minus attentum videat. Vale.

I.

NIhil est, quod à te mihi gratius fieri possit, quàm ut te semper attentissimum præbeas. Sæpe ad te scripsi, ne velis in tua re negligens esse, aut minus cautus, quàm oportet; sed mea verba, nescio quomodo adhuc pro joco, atque ludo habuisti: nec videris curare, quid ego, aut ceteri amici de te opinentur. Has ad te literas utilissimas dare constitui, quibus si obsecutus fueris, tibi uni bene consules; si verò perseveraveris pergere, quò cœpisti, consilium non est pro tua stultitia me ipsum cruciari animo. Ego verò, ut ajunt, in portu navigo: tibi crede, iste ludus agitur. Scis jam annum tibi tertium præteriisse, postquam Patavium literarum causa profectus fuisti; quid egeris hoc toto tempore, quantumve profeceris, non latet amicos tuos. Utinam hæc esset summa jactura, quæ tamen ad opes pertinet. Illud multò deterius est, quod hoc totum tempus tantum inter digitos fluxit; nec intelligis multos ex æqualibus tuis jam egregiè doctos, atque eruditos esse. Si te aliquando literis meis reprehendi; & quid de te cives tui sentiant, scripsi; dicis me fabulas tibi narrare, & esse nimis gravem, atque molestum: nec satis attendere, quid ætas adolescentium ferat. Nunc verò, ne te non admonitum à me dicas, scribo omnes amicos, atque necessarios tuos à te aversos esse, neque ullam rerum tuarum deinceps velle curam agere. Ego adhuc resto, quem ut video, à tuo amore, & benevolentia extrudes. Non possum tamen non dolere, & non vehementer angi, quia eum, quem tantum dilexi, videam cùm summo dedecore, & infamia in patriam rediturum: quæ omnia ventura tibi non citiùs intelliges, quam te ipsa experieris. Hæc ita velim mihi credas, ut ex oraculo sacri Apollinis non certiùs editum putes. Vale.

II.

QUid egerim, nemo novit melius, quàm ego ipse; nec est alius, qui si malè vixi, pro me deprecetur. Semper hujusmodi

modi cantilenas ad me scribis: non vacas studio: noctu per adulteria pergis: confringis ostia: hunc pulsas: illi contumeliosus es, & multa hujusmodi, quæ ne patientissimus quidem posset æquo animo ferre. Nescio, quare mihi toties irasceris, & maximè cùm harum rerum, nisi quantum ætas, & consuetudo juvenum affert, mihi non sim conscius: nihil facio præter morem aliorum. Quod si non multum his annis profeci, & multis ex numero æqualium meorum inferior tibi videor; scito non omnes eodem esse ingenio, nec eadem habere ad discendum adjumenta. Sed ubi animum ad bona studia vocavero, ita ego omnem morem corrigam, ut non tantum sequi eos, qui me antecesserunt, videar, sed etiam præcurrere. Quare nolo, ut tantum de me desperes; nec omnia credas, quæ de moribus meis ad te scribuntur. Quam rectè autem amici mei curam eam deposuerunt, quam olim susceperant, fortè aliquando intelligent, cum eò me venisse videbunt, quò nunquam perventurum judicaverint. Tibi verò maximas gratias haberem, si paulò modestiùs me corrigeres: quanquam paternè à te omnia dici scio. Curabis autem, si tibi videbitur, omnia mea, ut olim fecisti; & ego dabo interim operam, ut me talem efficiam, cui inimici mei invideant, & amici congratulentur. Vale.

L.

SI ullum apud te locum preces meæ unquam habituræ sunt, à te majorem in modum quæso, ut has literas summa cùm attentione legas; & persuadeas tibi non odio, non irâ, non invidiâ, hoc à me tibi scribi; sed pro nostra amicitia me negotium tuum agere. Procuratores, quos rebus tuis præposueras, tibi verba dant; alios enim fingunt, qui tibi aliquid debent, solvendo non esse; alios aufugisse: cùm aliis paciscuntur; & aut tempus differunt, aut summæ æris, quo tibi tenentur, aliquam partem detrahunt. Tu quotidiè pauperior es, illi verò locupletantur. Non possum hoc tacere, cùm tui misereantur amici: alii te pecudem appellant, quia gaudeas iis, qui te assiduè corrodunt. Nec solùm doleo, cùm tua direptum iri video; sed etiam stomachor

machor, quod à multis contemnaris. Scio te, & sermone multorum, & literis meis non semel admonitum esse; sed nondum voluisse aliquid de perfidia tuorum procuratorum credere. Volui iterum omnia ad te scribere, ne tum expergiscaris, cùm de rebus tuis actum erit. Si mihi fidem habueris, gaudebo medius fidius magis tua, quàm mea causa; quod si in opinione tua perstabis, ego meo in te officio perfunctus ero, tu verò lues. Vale.

II.

Literas tuas diligenter perlegi, intellexique te valde amare me, & tantum pro commodis meis laborasse. Quod autem visus sim nimis difficilis ad ea, quæ quotidie mihi nunciabantur de perfidia meorum procuratorum; scito non me posse facilè induci, ut ab his non credam me amari, quos ipse maximè diligo. Nam si peccandum est, malo potiùs decipi aliquo meo incommodo, quàm alios non credam in me bono esse animo, atque fidem iis non habere, qui se amicos esse ostendunt; sed cognito errore, diutius in eo perseverare neque probo, neque laudo. Expergiscar ergo serò potius, quàm nunquam, & ut spero non post multos hos dies ad procuratores meos veniam: ponam cum eis rationem, & omnia cognoscam, quæ ab illis in gestione negotiorum meorum à prima die usque in præsentem acta fuerunt; qui si præter æquum, & bonum malè gesserint negotium, repetam ab eis, quidquid de summa rerum mearum abstraxerunt; nec patiar eos diutius negotiari. Illud quæso te, ac etiam majorem in modum rogo, ut quidquid contra illos conjecturæ ferre potueris, omnia instructa, parataque habeas; ne sinè causa præsumpsisse contra eos videar. Idem velim omnes amicos nostros adhorteris, qui sæpe de eadem re me admonuerunt; sed cave, ne procuratores quidquam horum priùs odorentur, quàm ego præsens fuero. Vale.

I. Ha-

I.

HAbeo tibi immortales gratias, si ea, quæ ad te scribo illis oculis, & illo animo perlegeris, quibus assoles, cùm aliquid à te attentissimè fieri solet. Marcus Metellus meus necessarius, & tibi familiaris conflictatur partim ab inimicis, suis, partim ab invidis hominibus; & eò jam perductus est conspiratione eorum, ut fortunam suam, quam adhuc florentissimam possedit, non possit diu retinere, nisi tu causam, & defensionem ejus suscipias. Certum habeo non deesse, qui studeant ab hoc homine te alienum reddere. Multa fingunt, ut te sibi non amicum faciant. Sed tuum erit à tua humanitate non discedere, & potius naturam tuam sequi, quàm eorum studia: quibus neque pietas tua, neque modestia, neque reverentia morum unquam placuit. Ipse tibi se commendat, rogatque, ut fortunas suas tuearis. Ego verò pro causa ejus ferè magis laboro, quam si mea res ageretur. Quare te maximè exoratum volo, ut cum tu ipse semper nobilitatis defensor fueris, huic homini non ignobili faveas, judicesque nullam ex tuis laudibus majorem esse, quam si à te homine ornatissimo, atque amplissimo causa sua defensa fuerit. Nec has putes aut illius tantùm, aut meas preces esse; nemo vir bonus est in Civitate, qui non idem à te maximè velit; si enim causam hujus sumpseris, incredibile est, quantam gratiam apud omnes bonos inventurus sis. Vale.

II.

ETsi Metellus noster satis causam suam mihi commendet, tamen literæ tuæ multò commendabiliorem illum fecerunt. Suscepi itaque causam ejus, nec illum finem studiis meis in illum priùs faciam, quàm eum absolutum videro. Video enim factione hominum improborum magis, quàm æquitate, suas fortunas impeti. Sed nihil cogitaverunt. Si non potero consilia eorum discutere, frangam certè audaciam suam; nec patiar ho-

hominem nobilem à civibus deterrimis oppressum iri. Novi ego multos ab iis missos, qui me inflammarent odiis contra ipsum: qui non solùm nihil profecerunt, sed à me turpiter, & contumeliosè dimissi sunt. Non sum ille, qui quolibet vento huc, & illuc impellar. Altiores semper judicavi amicitiam radices habere, quàm ut qualibet causa tollatur. Quod ad amicum nostrum pertinet, illud tibi polliceor, neque industriam meam, neque officium sibi defuturum. De qua re ad te plura scriberem, nisi sperarem omnia melius suis literis brevi intellecturum. Vale.

I.

QUid adhuc in causa tua Judices egerint, satis arbitror ab his hominibus renunciatum tibi, qui quotidie à nobis ad te veniunt. Postridie autem cætera de tota re ad te perscribam, & grata ut puto; nam cùm nudius quartus Judices protribunali sedissent, examinassentque diligenter omnia, illud responderunt, sententiam, nisi alias adversarii tui probationes afferrent, secundùm te esse laturos. Sed cùm nihil, nisi nugatorium postea illi attulerint, tum ex communi consensu ferendæ sententiæ tempus statuerunt, quæ cùm lata fuerit, tu à me statim certior fies. De negotio argenti, quod mihi olim commiseras, scito nihil adhuc esse factum; negant enim necessarii tui, te absente, rem posse transigi; ego verò sponsionem pro te feci, & præstando cautionem eis obtuli. Illi verò nunquam se numeraturos pecuniam affirmant, nisi te præsente instrumenta conficiantur. Hæc ad te scribo, ut si quid aliud vis me hac in re facturum, per tuas literas significes: aut tu ipse accedas, ut rem tuam ipsis præsentibus conficias. Vale.

I I.

QUæ de mea causa scribis, etsi hæc semper de iis Judicibus mihi pollicitus fueram, magna tamen voluptate me affecerunt. Sed tu vide, ut curam, & studium, quod

pro

pro me in ea causâ suscepisti, non deponas: ne aliquâ meâ causâ, vel negligentiâ patiar sententiam, quam in manibus propè habemus, vel mutari, vel differri. Scis enim ferè nihil periculosius esse judiciis, & oportere omnia suspecta habere, quæ jure civili definiuntur; cùm nulla reperiatur lex, quæ, si homines, qui periti in jure dicuntur, ingenium accommodaverint, non possit in disputando huc, & illuc trahi. Instabis ergo, nec priùs conquiesces, quàm ea manu tenebis, quæ adhuc sola in spe habemus. Quod autem de negotio argenti ad me scribis, valde me perturbavit, nec satis possum intelligere, qua ratione hoc à meis necessariis factitatum fuerit, ut me verbis suis eludant: nam hoc modo putant se æs alienum persolvere; sed faciam, intelligant nihil se cogitasse. Judicant enim per occupationem non mihi licere, quod eâ causâ ad eos accedam; ego verò, etsi perincommodè ex Urbe discedam, constitui potiùs omnia posthabere, quàm ab iis ludificari, ad quos sæpe multa ornamenta, atque adjumenta detuli. Quare de hac re amplius eos non interpelles, sed rem integram in meum adventum reservabis. Vale.

I.

SCripsi de bello conficiendo, de annona comparanda, & pecuniis persolvendis militibus ad Quæstores nostros. Quod verò nunc agitatur, non potest expediri, nisi priùs fiat id, quod quale sit, dicam. Omnes ad te unum sua consilia referunt, tuamque auctoritatem maximè attendunt. Constitui itaque maturiùs de hac re tecum deliberare. Sed cùm id neque per alium, neque per literas possit transigi, non gravaberis ad me venire: duo enim eodem itinere conficies; nam & officium tuum, quod vehementer ab omnibus desideratur, Reipublicæ præstabis, & multa expedies, quæ sunt inter nos hoc tempore peragenda. Pluribus verbis te ad hanc rem excitarem, nisi jam iter ad nos te agere confiderem. Vale.

II.

QUæ adhuc sunt à te pro nostra Republica perfecta, maximè commendo. Utinam omnes, qui in ea versantur, eo animo in conservanda, atque exaugenda patria essent, quo semper fuisti; sed de hoc plura in Senatu verba faciam, si quando à me inter Patres Conscriptos sententia erit dicenda pro iis, qui optimè de Republica meriti sunt. Venio ad ea, quæ scribis, neque per alium, neque per literas posse transigi; & propterea me hortaris, quod meum adventum maturem. Vellem omnia cùm Reipublicæ causa, tum etiam pro perpetua in te benevolentia mea, vel consilio, vel operâ meâ possent bene patriæ nostræ evenire, aut usui tuo esse: quanquam admirer, quæ possit res esse, in qua tantopere officium meum desideretur. Sed posteaquam tantum operam meam, atque studium in Rempublicam à civibus nostris expeti significas, non differam ultra accessum meum. Scio enim te non sinè causa, ut ita faciam, ad me scripsisse. Non possum frustrà hoc iter agere, modò te incolumem salvâ Republicâ inveniam. Vale.

I.

MUlta sunt, de quibus, si mihi per occupationes meas licuisset, te in re tua pluribus verbis admonuissem; sed quia ad ea omnia mihi non otium fuit, satis erit huic tempori de studiis tuis, de modestia, atque humanitate, qua ratione illis utaris, consilium meum tibi aperire. Mea quidem sententia fuit, item & omnium Philosophorum semper unam rem optimè ab uno agi; nec oportere ingenium nostrum, cùm unum sit, rebus pluribus simul intentum esse. Illud autem video neminem ferè hac nostra ætate inveniri, qui diversa studia eodem tempore non sequatur: non quo magis proficiant, sed ut hominibus doctiores videantur. Mihi verò cùm in omnibus rebus, tùm maximè in disciplinis semper maximo odio fuit ambitio; nec eorum opinionem probo, qui se malunt videri, quàm esse.

Quod

Quod vitium hodierno die ita usitatum est, & frequens, ut nemo sit, qui non magis ad opinionem multorum, quàm ad veritatem studia sua referat. Tu verò, qui bene à natura institutus mihi vidêris, magis curabis, quid de studiis tuis sentias, quàm quid alii judicent. Nam plurimum refert, an vera laus de nobis prædicetur, an falsa, & inanis sit gloria nostra; illa enim suas habet radices: ista verò potiùs hominum sermone fulta est, quàm suis viribus. Cogita ergo non posse ullius hominis famam djuturnam esse, quæ nullâ, aut verâ, aut honestâ causâ constat. Nec est quod æmulatione tuorum æqualium ducaris: qui etsi pluribus artibus uno tempore studeant: non tamen illis inferior eris, si tu unam bene didiceris. Non tamen inhumanum te illis præbeas; fieri enim potest, ut cùm modestiâ tuam dignitatem, ac mores tuearis; plura sunt, quæ tua cogitatione invenire poteris, quibus omnia, quæ à te fient, etsi diversa ab aliis sint, tamen certa ratione à te facta esse tueri poteris: Hæc mandata, cùm adhuc puer essem, olim à patre meo audieram; hæc eadem nunc ad te ipsum, quem loco filii habeo, libenter perscribo: quæ si studio tuo, & virtute consequêris, ego tuo profectu maximè lætabor. Vale.

II.

NUnquam literas tuas lego, quin animo voluptatem percipiam; semper enim aliquam egregiam utilitatem in illis comperio: quoniam vel consulendo, vel admonendo, id efficis, ut me doctiorem, ac meliorem in dies reddas. Sed incredibile est, quàm ex literæ me delectaverint, quæ per tabellarium tuum mihi redditæ fuerunt. Nam, ut paternè ad me scribis, ita antiquam sapientiam redolent: nec sum is, quem tanta ambitio delectet, ut non pluris faciam judicium tuum, quàm vulgi opinionem. Omnibus ergo posthabitis, in animo est, unam tantum sequi artem, nec uno, & eodem tempore diversarum rerum studia complecti: quod, qui faciunt, nunquam satis sibi proficiunt. Cùm autem, quantum tibi videbitur, in una re profecero, tunc cæteris studiis operam dabo. Nec vagabor modò in hoc, modò

in illo genere, nisi prius, quantum satis erit, hausero mihi ex fontibus illius artis, cui laborem, & ingenium impendero. Quod autem de modestia, & humanitate cum æqualibus meis habenda ad me scribis, id tanto studio perficiam, ut nulla novitate vitæ discedere ab ipsis videar. Et spero mihi bene in futurum. Nam quominus ambitiosus in studiis meis fuero, eo plus gratiæ, ac benevolentiæ apud omnes consequar. Aliud non est, quod ad te scribam, nisi quòd me literis tuis admoneas; quoties enim ipsas lego, videor mihi tecum esse, & loqui. Vale.

I.

QUantum omnes præsentiam, & officium tuum expectent, ex hoc potes cogitare, quod etiam inimici tui maximè in gratiam tuam redire exoptant. Quam rem si neglexeris, nec famæ tuæ consules, & omnium civium tuorum expectationem decipies; nam ita se res habet, ut etiam facultas si tibi ad hoc non esset, nemini tamen idipsum persuadere possis. Elaborandum est itaque, & toto animo incumbendum, ut voluntati tuorum civium satisfacias; nihil certè natura tua melius habere potest, neque industria laudabilius, quàm ut te hominibus præbeas, & ea velis, quæ ab omnibus desiderari intelliges. Est enim præclarè à Stoicis dictum: omnia in terris hominum causa genita esse; homines verò hominum gratia, ut mutuo inter se officio alter alteri suum studium accommodet. Nec aut labor, aut periculum ab ea re nos deterreat. Nam aut nulla alia est ad immortalitatem via, aut maximè in hoc est reposita, ut pro salute bonorum, pro causis amicorum, nullis molestiis frangamur; præbeamusque non solùm illis, quos amare, aut tueri debemus, nos ipsos placabiles, sed etiam inimicis exorabiles. Si memineris, quantùm unusquisque nostrum debeat patriæ, gloriabor tum; & tibi valde congratulabor, si intellexero literas meas aliquid ingenio tuo, atque virtuti adjecisse, quo maturiùs omnia, quæ à te vides magno studio expeti, non minori perficias. Vale.

II. Nisi

II.

NIsi Reipublicæ, & amicis satis à me factum putarem, non certè expectassem, ut me in ea re admoneres, quæ cùm cæteris honesta sit, mihi etiam necessaria esset; sed cùm ætatem meam in Rempublicam consumpserim, neque aut labores ullos, aut pericula pro illa unquam defugerim, videbar mihi sine injuria patriæ, aliquando in otium, tanquam in aliquem tutum vitæ nostræ portum, me contulisse. Et erat hoc etiam ab omnibus civibus, & necessariis meis concedendum: ut qui diu in mari navigaveram, tandem ipso in portu me componerem. Sed est ut in cæteris rebus, ita in amicitia, & charitate patriæ nimia quædam cupiditas, & desiderium hominum; cui nunquam satisfieri potest. Nescio quid sibi amplius velint vel patria, vel amici, nisi ut iterum antiquas animi molestias reperam; & cùm adhuc aliquo tempore possim mihi vivere, videar manus mihi intulisse. Noli ergo, si me amas, ad eam rem adhortari, quæ nec huic ætati, nec studiis jam meis convenit. Satis enim præsidii nostra Respublica habebit, si consiliis eorum civium, quos habet, uti volet; mihi autem quies pro antiquis in Republica meritis parta esse debet. Tu verò absentis amici causam apud cives defendes, & majores tibi gratias habebo, quàm si otium meum interpellaveris. Vale.

I.

QUalem in gerendis Magistratibus me præbuerim, volo potiùs sit aliorum, quàm meum judicium. Illud verò non dubito ad te scribere, nunquam me amicitiam cujusquam, neque gratiam tanti fecisse, quin leges, & æquitatem omni privatæ causæ prætulerim. Sed illud scio neminem posse tam subducta ratione vivere, ut ejus officium omnibus placeat, & neminem offendat; nam cùm in sententiis ferendis uni parti faveamus, necesse est, ut alteram lædamus. Illud autem satis mihi erit, si leges, & jura Civitatis à me conservata fuerint. Quid

cæteri

cæteri de me tibi deferant, ipsi videant: ego conscientiâ meâ utar. Tu verò, qui sapis, & similem aliquando procellam expertus es, pro tua sapientia videbis, quid hujusmodi hominibus credendum sit. Si quid autem erit, quod suspicionem aliquam de me tibi afferat, scribe; & ego te, ut spero, ab omni suspicione eximam. Vale.

II.

ETsi de officio tuo nunquam dubitaverim, magnam tamen ex literis tuis voluptatem percepi. Non ergo tantum causâ meâ lætor, quàm aliorum, quòd dignitatem tuam in his literis tueris; non enim omnes idem, quod ego, de tua integritate existimant. Et sunt adeò variæ, ac multiplices hominum voluntates, ut etiamsi vita nostra sit omnibus notissima, non tamen sit ab omnibus æquè probata: quem locum ulterius non prosequor: cujus erroris causam meliùs intelliges, quàm ego ipse, qui ad te scribo. Gaudeo itaque, ut illuc redeam, unde orsus fui, te ista ad me scripsisse; ac te maximè hortor, ut quò magis famæ tuæ detrahi intelliges, eò constantior sis in omnibus causis, quæ à te aut secundum leges nostras, aut ex æquo, & bono, vel cognoscendæ, vel judicandæ erunt. Ego enim ita de me judico, ut nihil à te putem contra morem majorum, aut æquitatem posse fieri. Vale.

I.

QUoties de officio meo scribo, rem maximè incongruam rebus majoribus meis facio. Sed quia multa sunt tempora, quibus etiam id à sapiente est necessariò faciendum; puto vos facilè daturos mihi veniam, si rationem meæ dignitatis habuero: & maximè adversùs eos, qui nullâ modestiâ, aut humanitate possunt à me vinci, quin semper sæpe aliquam fabulam de me in populo spargant. Spero vos omnes vitam meam, pro singulari prudentia vestra, recognituros. Cùm primum in hanc Urbem vestram advenissem, statim vidi alieno more, non meo vivendum mihi esse: deinceps omnia cogitavi, omnia feci, ac dixi,

dixi, quæ iis civibus placere, nullum verò offendere possent. Omnes ad me venientes admisi, neminem exclusi. Meam operam si quando fuit opus, nedum petentibus non negavi, sed etiam sæpe ultro obtuli. Sperabam autem his artibus multos mihi amicos comparasse. Nec ea res certè me fefellit, nisi plus invidi homines, quàm boni potuissent. Quid hoc loco egerint: quos rumores de me confinxerint, aliud non scribo; nisi quod pro amicis, multos fieri mihi inimicos intellexi. Plura de hac re ad vos non scribo, nisi ut modestiæ, ac humanitatis vestræ memineritis. Nolite ergo pati, ut apud vos homines sapientissimos plus invidia valeat, quàm æquitas; recordeminique vos huic officio à Republica præpositos, ut bonos viros in Civitate retineatis, & magis consideretis, quo quisque animo sit in Republica, quàm quibus majoribus apud vos natus. Vale.

II.

CUm in maximis occupationibus nostris tuæ literæ essent nobis redditæ, non statim potuimus ad te scribere. Sed postquam nobis per eas licuit, diligenter illas perlegimus. Sententia nostra est, nos velle eos in nostra Civitate plurimum posse, qui de nostris civibus melius merentur, nec patiemur, salvâ Republicâ, plus invidiam, quàm æquitatem valere. Si quid est, in quo judices te perpessum esse aliquam indignitatem, vel contumeliam; monemus te, atque hortamur, ne per literas, sed per te ipsum agas. Reperies certè nos pro tua dignitate promptissimos; nam sumus ii, qui Civitatem nostram bonis viris ornare potiùs volumus, quàm redundare malis civibus; nec ignoramus quid eos deceat, quibus, quo plura possit, nostra Respublica se commisit; nisi enim causæ tuæ defueris, nos neque tibi, neque Reipublicæ, aliquo officio, aut integritate deerimus. Vale.

I.

POssem ad te de mea constantia scribere, nisi ea res ambitiosa videretur. Tantùm dicam, nunquam ullum vitium

majori

majori studio me fugisse, quàm in rebus agendis levitatem. Nam cum in omni vita, tum maximè in amore hominum, atque benevolentia, semper hoc vitium in primis accusavi. Ex quo magis miror, quid sibi velit apud te criminatio adversariorum meorum, qui inter cætera mihi illud objiciunt: nullam mihi fidem cum sociis esse, aut constantiam cum amicis valere. Dicant cujus amici causam unquam deseruerim, aut in quo fidem cuiquam fefellerim: cùm etiam sæpe in rebus adversis amicorum multa subierim pericula, neque unquam molestias ullas, aut labores pro iis defugerim. Sed video speraverunt apud te, qui non me satis notum haberes, fidem facturos. Sed mores tuos meo judicio, non satis intelligunt, si te judicant eis fore similem. Agant autem, ut velint, nec à sua consuetudine recedant. Tu verò, quod te dignum erit, cogitabis; & quantum alius alio præstet, sapienter tecum advertes. Vale.

II.

EGo te omni charitate, ac benevolentiâ prosequar; & ut animo ad te affectus sum nunquam possem immutare judicium, quod semel de te feci. Sed non possum non audire, quando aliquid per tuos inimicos, vel potiùs invidos de te mihi refertur: qui si intelligerent, quid gratiæ apud me consequantur, curarent aliis moribus, quàm illis se probatos esse. Mos gerendus est autem huic tempori, in quo sumus; nam & ii homines ferendi sunt, nec tamen propter eos à virtute, & amicitia discedendum. Nihil enim melius natura nostra potest habere, aut industria dignius consequi, quàm ut qui in aliqua opinione virtutis sunt positi, studeant maximè se dissimiles esse his, qui non possunt æquo animo bene de alio audire. Illud ergo in primis curabis, ut nihil magis velis, quàm te illis dissimilem esse, & ipsos tui: quod si feceris, nihil erit, quod de hujusmodi hominibus à te dubitandum sit. Vale.

I. Quod

I.

QUòd apud te, hoc tempore, dignitatis meæ rationem habeam, id me necessariò facere non procul à te aberit, si anteactam vitam meam longè semper ab ambitione fuisse reminisci volueris; sed non satis æquo animo possum ferre, nisi submisso, & ignavo; si in Magistratibus, & honoribus gerendis soli volunt in nostra Republica videri, qui sapientes sint, & omnia pro prudentia sua conficiant. Ego verò dolorem meum non possum dissimulare, quòd bene agendo nullam gratiam promereri possum. Sunt qui leviter hæc ferenda putent, ac dicant virtutem cum exceptione invidiæ hominibus datam esse, nec ullum velle in lauta parte videri, qui non possit invidiam fortiter pati: sed ubi res arbitrio meo subjicere liceret, libenter hanc sapientiam illis concederem, & mallem sinè invidia virtute uti, quàm cum invidia. Quòd si hæc pestis nulla ratione potest evitari, non facilè dixerim honorum, aut ambitionis causa, debere hominem in molestia semper esse; & famam suam ab invidis, quorum numerus non parvus est, quolibet loco impugnari. Quare nisi timerem potius à quadam humilitate animi, quàm ex molestia factum; cederem in præsentia ex ipsa Civitate hujusmodi hominibus, qui nullas contentiones fugiunt, ut cæteris dignitate præstare videantur. Tu, velim, dignitatem meam commendatam habeas, & pro sapientia tua partes meas, quantum poteris, contra potentiam illorum hominum tuearis. Vale.

II.

QUamvis de meo in te animo satis tibi persuasum esset; tamen ea scribam, quæ ad benevolentiam meam pertinebunt. Nollem tam submisso animo esses, aut tantum invidiam quorundam civium meorum timeres: nunquam magni viri in nostra Republica fuissent, si pro utilitate communi ullas contentiones, aut labores fugissent. Crede mihi non ii homines tantum possunt, quantum videri volunt in nostra Civitate posse.

Sed ubi intelligunt alios dignitatem suam, atque honores sibi vindicare, remittunt illos ingentes animos, quos temerè sibi assumpserant; & facilè patiuntur socios, ac adjutores sibi in hac administratione officiorum, & Magistratuum dari. Non dico ambitionis, & honorum oportere nos cupidos esse. Nam qui hoc faciunt, sæpè Rempublicam funditus evertunt; sed laudo in omnibus rebus honestis constantiam, & non deterreri quolibet momento à virtute. Qui verò sub nomine modestiæ languori, ac desidiæ se se dederunt, ii nec patriæ, nec sibi utiles cives reperiuntur. Noli ergo, si Rempublicam tibi charam habes, timere cujusquam hominis potentiam, cùm libenter dicas, ac facias, quidquid ad amplitudinem Civitatis accedere intelligas. Satis enim senties tibi præsidii esse apud illos, qui omnia more majorum constitui, ac decerni volunt. Si quid autem erit, in quo possim tibi auxilio esse, cognosces me tantum nostræ amicitiæ tribuere, quantum salva libertate à me fieri, excogitarique possit. Vale.

I.

NOn possum non commoveri, cùm ab hominibus, vel inimicis, vel invidis negligentiam pro Republica objici mihi video. Quis enim multis annis in Urbe nostra fuit, qui majores pro commodo patriæ contentiones suscepit, quàm ego ipse, qui nullium unquam pro Republica laborem, aut periculum fugi. Si ergo pudor aliquis in eis esset, puderet certè illos cives lacessere, qui nihil aliud agunt, quàm ut homines æqua libertate utantur. Sed nisi me insectari desinant, experientur me esse illum, qui soleo, quoties injuriâ lacessitus sum; neque hoc tantum meâ causâ, quàm Reipublicæ faciam. Juvat certè, cùm ad te scribo, omnia loqui liberè, quæ sentio. Non enim arbitror salutem meam à communi utilitate sejunctam esse; mallem tamen ipsi meliori animo essent. Non sum, crede mihi, ulciscendi cupidus. Quod si bono animo in Rempublicam fuerint, sentient majorem me dignitatis eorum, quàm injuriarum rationem habiturum. Vides, quis sit mihi animus; tu verò utrum fecerint, eris mihi, ut soles, ad hanc rem socius, atque adjutor. Vale.

II. Quan-

II.

QUantum sim literis tuis commotus, meliùs ab amicis, & à necessariis tuis intelliges, quàm ego ipse ad te scribam. Nihil enim puto in nostra Republica esse, quod sit molestiùs ferendum, quàm pro benefactis nostris malefacta referri; non tamen odio malorum nostra innocentia est deponenda. Sed eò studiosius in Rempublicam incumbendum, quò plures inveniuntur, qui vel invidia, vel alio dolore in nostra studia invehuntur: quem locum ulteriùs non prosequor, ne videar tuæ sapientiæ, quæ summa est, diffidere. Modestiam verò tuam non satis possum pro tua dignitate, vel commendare, vel admirari. Quid enim sanctius ab ullo nostrûm potest fieri, quàm odia, quæ Reipublicæ causâ suscepimus, ejusdem Reipublicæ causâ deponere? Quidquid enim à te gestum fuerit, habebis me ad omnia socium, atque adjutorem; nam sive illi tibi reconciliati fuerint, sive in sententia sua manserint, nihil scio te sinè causa facturum esse. Vale.

I.

PLurimum semper nostram Rempublicam amavi; sed nunquam magis, quàm hodiernò die; nam cùm antea omni officio meo illa tantum non indigeret, non putabam tanto studio in illam incumbendum. Nunc verò propter maximos bellorum motus, qui undique circumsonare videntur, cupio vehementer probare omnibus civibus meis, quâ benevolentiâ, atque amore sum pro publica omnium salute. Utinam meliore casu possem in ea cum labore, & periculo meo versari. Sed postquam ita fortuna, quæ aliquando nobis fuit propitia, videtur rebus nostris diuturnis invidère; nunquam vivendi cupidior fui, quàm hoc tempore pro defensione patriæ mori cupio. Constitui ergo, omnibus rebus meis posthabitis, ad vos proficisci, ut omnes intelligant, quis mihi sit in patriam, & in omnes cives animus. Sed, dum rebus ad bellum conficiendum necessariis me instruo, meas

meas literas velim in Senatu recites; et de consiliis Patrum, ac de communi sententia eorum certiorem me facias. Vale.

II.

SI in nostram Rempublicam omnes eodem animo, quo tu, affecti essent, non solum periculum omne à patria nostra propulsaremus; verùm etiam ultro bellum inferremus hostibus nostris. Sed quò magis cæteri sunt pro salute ejus remissiores, eò gratior Patribus nostris fuit iste ingens, ac egregius animus, quo maximè hoc tempore uteris; recitatæ enim fuerunt in Senatu literæ tuæ summa cum lætitia, atque alacritate omnium. Nec ibi quisquam fuit, qui non magnis laudibus te extolleret, summaque cum benevolentia complecteretur. Hortantur autem te omnes, ut quamprimum opportunitas tibi aderit, non differas tuum adventum; est enim opus celeritate, cum malum nostrum in dies propius accedat, nec multos defensores habeamus; ita me ad te scribere Patres nostri voluerunt. Ego verò, si quid ad illorum auctoritatem potest accedere, id etiam, atque etiam quæso à te magnopere; ut cum Reipublicæ causa omnia feceris, tum pro nostra benevolentia, quæ ad summum pervenit, expeditionem tuam matures. Vale.

L.

DIspeream, nisi Rempublicam semper pluris feci, quàm aut me ipsum, aut meos liberos. Propterea non possum non iniquo animo ferre maledicta eorum: qui nihil aliud student, quàm quomodo in ea possim infamari. Tu, qui diu in illa versatus es, scis, quàm molestum sit non probari ea, quæ à nobis honorificè pro communi salute aliquo loco dicta sunt, aut egregiè facta. Gaudeo sapientia eorum, qui nulla ratione abstrahi à publicis commodis potuerunt, neque impediri, quominus semper de patria sua aliquid egregium, ac magnum cogitarent; sed nos ea virtute non sumus, ut exceptâ gratiâ, quam unusquisque nostrûm velut fructum, ac mercedem laborum suorum desiderat, non aliquando defatigemur. Nunquam enim, ut de me ipso dicam,

cum, tot labores, atque pericula pro Republica suscepissem, nisi ab iis facta mea commendarentur, pro quibus illa admisi; & essem certè remissior ad illa ipsa deinceps assumenda, si putarem beneficia ad ingratos cives perventura. Quis enim, hac mercede excepta, non mallet in pace sinè invidia vivere, quàm in assidua contentione cum molestia? Alius fortè, cùm ad maximas res gerendas major esset animus, aliud sentiret, ego verò ita sum institutus, ut quæ præter dignitatem accidunt, non satis possim æquo animo perferre. Expecto literas tuas, quibus intelligam, quid mihi sit inter tot perturbationes agendum: aut enim me consolaberis: aut ad omnia, quæ malè me habent, magno animo sustinenda tua exhortatione fortiorem facies. Vale.

II.

NOn possum dolorem tuum accusare, qui cum benefaciendo multos ad invidiam incitaveris, non potest nisi justè conceptus à te videri. Sed cùm habearis in omnibus rebus gerendis prudentissimus, magis cogitabis, quid Reipublicæ conferre deceat, quàm quod ingratos cives suscipere conveniat. Nemo enim potuit unquam Reipublicæ sapienter irasci; nec est ejus civis, qui primus velit, paucorum hominum odio, patriam suo præsidio desertam esse. Est, fateor, permolesta res, & iniquè ferenda, odium pro benevolentia consequi; & quos nostro devinctos beneficio speramus, eosdem nobis inimicos reddere. Sed ego nunquam tantam summis viris laudem attribuissem, nisi vidissem illos ulla ratione à charitate Reipublicæ unquam depelli potuisse. Ista vellem te cogitare animo, quoties horum hominum: qui tibi videntur præter æquum, & bonum nimis graves, atque infesti esse: maledicta magis te urgent, quàm possis æquo animo ferre. Scio tamen hæc nondum tibi pro tuo dolore licuisse. Ubi verò paulum ista perturbatio tua se remiserit, uteris ea virtute, ac modestia, qua soles in cæteris rebus, & magnis quidem uti. Nollem enim, ut gloriam, quam rectè factis consecutus fuisti, eorum causa deponeres, qui nihil magis intendunt, quàm ut bona existimatione te expolient. Meum autem consilium,

lium, ut aliquando concludam, est: quò magis ab aliis tua gloria impugnatur, eò studiosiùs, & Reipublicæ, & bonæ famæ inservias. Vale.

I.

QUomodo in periculis Reipublicæ me gesserim, etsi tibi renunciatum esse non dubitem; tamen, quò certior de omnibus rebus fias, illud ad te scribo, nunquam majori virtute cum hoste certatum esse, neque majori periculo, quàm his diebus, cùm apud inimicorum castra pugnatum fuit. Quod nisi nostri milites ardentissimè in hostem irruissent, ac fortissimè pugnando seipsos objecissent telis hostium, certè victoria alterius partis fuisset. Novus enim exercitus noctu fuerat, nobis ignorantibus, in castra inimicorum admissus; die autem oriente, cùm signa ad castra hostium admovissemus, repente ex ipsis portis omnis eorum equitatus emissus fuit. Nostri verò novitate rei perculsi, primo impetu, visi sunt ex acie cedere: quod uti à me intellectum fuit, statim cœpi nostros equites circuire, atque adhortari, ut memores patriæ essent, vellentque magis pro gloria, quàm pro vita dimicare. Jussi autem partem nostrorum equitum se succenturiare. Tunc pugna acrior restituta est, & tantis viribus utrinque concursum, ut usque ad sextam horam diei, æquo marte dimicatum fuerit. Nostri pedites, qui jam periculo essent exempti, peditibus eorum incursabant, equites equitibus; donec nostra virtute paulatim vidimus aciem inimicorum pugnâ se subtrahere. Tunc via nobis aperta fuit ad victoriam; nec citius à bello destitimus, quàm fugando, atque cædendo fugientes, castra illorum simul invasimus: quæ res multas Civitates ad societatem nostram induxit, multas etiam in fide confirmavit. Hæc omnia ad te breviter scripsi; nam de singulis, quæ à nobis non minus fortiter, quàm feliciter gesta fuerunt, doctior ab iis fies, qui huic bello interfuerunt, quibus ego literas meas cum mandatis ad te commisi. Vale.

II. Gau-

II.

GAudeo medius fidius tum Reipublicæ causâ, tum etiam tuâ, quod bellum nostræ Reipublicæ periculosum confecisti. Nam paulò ante, quàm tuæ ad nos literæ delatæ fuissent, rumor exortus fuerat, nostros pedites ferè omnes cæsos, equites verò turpissimè ab hostibus nostris fugatos: quæ res multum animos omnium civium perturbaverat. Sed postquam literis tuis, & sermone eorum, qui ex castris huc veniebant, renunciatum est de victoria exercitus nostri; incredibile est, quanta lætitia mentes omnium tenuerit. Nemo erat, qui cùm virtutem militum laudasset, non te maximè admiraretur: commendabatur tua disciplina militaris, & auctoritas extollebatur. Illud verò mirum in modum omnes admirabantur, quod facta ex improviso inimicorum eruptione, nostris cedentibus, non solùm bellum restitueris, sed etiam ipsos victores fortissimè pugnando in castra ipsa compuleris. Immortalitatem crede mihi hodierno die, & gloriam apud cives tuos consecutus fuisti; nec ullum opinione omnium tantum potest deinceps bellum patriæ ingruere, quod tua virtute non conficiatur. Quare te etiam, atque etiam hortor, & rogo, ut hunc animum, quem pro defensione nostræ Reipublicæ sumpsisti, non deponas; nec dubites, etiamsi pro patria moriendum esset, ullum periculum defugere. Nihil enim potest tibi accidere, quod si cum æternitate gloriæ comparandum fuerit, non modò parvum, sed nullum omnino non debeat videri. Verùm quia hæc sæpius à te cogitata scio, finem scribendi facio; sed illud tibi priùs persuasero, neminem annis multis in nostra Civitate fuisse, cui nostra Respublica plus debere fateatur, quàm tibi uni. Vale.

I.

QUa pietate patrem meum semper excoluerim, nemo potest melius, quàm tu ipse dijudicare; nam cùm morbo, & senectute, & sibi gravis, & aliis molestus esse cœpisset; scis quo cum animo pertulerim. Semper enim putavi omnes labores, &

res, & molestias non solùm fortiter, sed etiam humaniter pro illo esse ferendas. Quòd, si quid in ea re perturbationis accepi, id totum suâ magis causâ, quàm meâ contractum erat. Hoc ad te non sinè causa scribo; audio quotidie mihi à malevolis hominibus detractum iri. Quòd si hoc factum meum ab omnibus, ut à te ipso intelligeretur, nihil maledictis eorum moverentur. Sed cùm plures sint, quibus vita mea non satis est perspecta; facilè evenit, ut homines ad malè credendum paratiores sint, quàm prudentes ad bene judicandum. Quare ne opinionem, quam apud cives semper optavi, aliquâ meâ negligentiâ, aut tarditate amittam; vide, ut si aliquando hujusmodi sermones de me confingi, aut dissipari audieris, famæ, ac nominis mei rationem habeas; nec minori studio me defendas, quàm quo semper ad omnem humanitatem, atque modestiam adhortatus fuisti. Vale.

II.

Nihil est, quod magnopere te perturbare debeat, si tuam famam sæpe impeti audis ab iis, qui in nulla parte laudis sunt constituti. Est enim pervetus mos, & inveterata consuetudo, ut nunquam æquo animo alienam virtutem ii ferant, qui maximè à virtute absunt. Sed maledictis eorum occurrere, & magis vitâ, quàm verbis omnem invidorum orationem confutare, & sapientis, & docti hominis est. Quòd ergo me hortaris, ut defensionem tuam suscipiam, prudenter facis; nam & honestius hoc officio semper in aliena causa, quàm in nostra utimur. Et quia se minus homines à maledictis temperant, cum hi sunt absentes, quibus detrahere in animo est, quàm dum adsunt; fit, ut hujusmodi sermonibus ego sæpiùs, quàm tu intersim. Quantas verò contentiones pro te susceperim adversùs eos, qui magis invidiâ, quàm alia ratione tibi detrahunt, malo te ab aliis, quàm à meis literis intelligere. Illud habeto, me nunquam invidiam, neque cujusquam odium tanti facturum, quin tuæ dignitatis, & famæ rationem omnibus anteponam. Vale.

I.

MAtrem meam jam ultimæ senectutis omni officio, atque pietate prosequor: quod melius ex sorore tua fœmina prudentissima, quàm ex me cognosces: Illud verò non tacebo, eam me nunquam majori honore habuisse, quàm hoc ipso tempore, quo ferè ab omnibus derelinquitur propter multa, quæ illa ætas habet fastidienda. Quare, si quis aliter tibi de me dixerit, cave ne cuiquam assentiaris; non enim hæc ad te scriberem, nisi innocentiæ meæ conscius mihi essem. Tu verò, si aliquid secus ab æmulis meis, quos multos habeo, tibi relatum esset, plus mihi uni, quàm omnibus illis credas. Nihil enim aliud mali student, quàm ut te ex ea opinione dimoveant, quam de me fecisti. Ego verò suam invidiam parvifacio: modò memor sis me illum esse, qui, cùm in omnes velim humanus videri, tum maximè in parentes, & necessarios meos cupio officiosus dici. Vale.

II.

QUanquàm de tua pietate, atque officio nunquam dubitaverim, tamen maximè literis tuis delector, quas testes vis esse virtutis tuæ: ne tacendo confirmare videaris ea, quæ de te mali homines spargunt. Sed illud multò magis à te cavendum erit, qualiter aliis de tuo in matrem tuam fœminam imbecillem, atque decrepitam animo persuadeas, quàm mihi ipsi, cui omnia studia humanitatis non sunt nuper perspecta. Suadeo ergo tibi, ut omnem suspicionem apud alios diluas. Quantum enim ad me attinet, nihil judico à te prætermissum, quod à bonis liberis præstari parentibus deceat. Vale.

L. II

QUo animo in parentes meos fuerim, vel hoc uno intellexi, quod nunquam eorum magis præsentiam desideravi, quàm postquam rebus humanis excesserunt. Quoties enim memoriam eorum repeto, nunquam postea visus sum unam diem in lætitia egisse: cùm etiam conspectu, & consiliis eorum privatus sim; nec facilè dicam, utrum felicior sim, quòd tales parentes habuerim: an miserior, quòd nunc ornamenta, atque adjumenta vitæ morte ipsorum amiserim. Sed una res hunc meum dolorem maximè auget, quod neque pietas, neque mea modestia potest quorundam hominum invidiam submittere, & eis persuadere, ut à suis maledictis temperent. Utinam postea quam neque humani casus omnibus hominibus communes, nec pudor aliquis, aut reverentia naturæ potest eos inhibere; talia maneant eos gaudia, qualiter ego noctes, & dies desiderio eorum afficior: ut aliquando intelligant, quid sit eos amittere, qui nobis debent vitâ nostrâ esse chariores. Neminem quidem arbitror, nisi qui fortè hujusmodi hominibus sit perquam similis, qui malit sine cura opibus, & cæteris bonis abundare, quàm eisdem cùm labore, & molestia. Nunquam enim, ut de me ipso dicam, viventibus illis optimis parentibus meis, quid ulla molestia, aut sollicitudo fuerit, intellexi. Nunquam eis vita functis, vel unam noctem integram sinè ulla interruptione quietis duxi. Et hoc est, quod vehementer me perturbat: cùm illi mihi objiciant, nimia cupiditate utendi opibus ex arbitrio meo, morte parentum meorum lætatum esse. Una res tamen facit me hanc inimicorum meorum contumeliam æquiori animo ferre, quòd habeo te summum amicum ex omnibus, nemini ex tuis civibus vel auctoritate, vel virtute inferiorem: quem non dubito posse horum hominum sermones, & maledicta facillimè comprimere. Scio non patièris me hac indigna contumelia ab hominibus invidis affici. Quod etsi certè mihi persuaserim, tamen rem pergratam facies, si quid de hac re sentias, ad me perscribes. Vale.

II. Ego

II.

EGo de tuo in parentes, ac necessarios animo, & pietate nunquam putavi esse dubitandum; sed cùm omnibus hominibus non æquè nota sit tua pietas, facilè evenit, ut alii per invidiam, alii quodam errore, & consuetudine detrahendi potius, quàm laudandi, aliquid de te confingant, aut credant. Utrum autem aliquâ tuâ culpâ ea res contracta sit, etsi optimè de te judicem, tamen id maximè est considerandum. Posset enim accidere, ut etiam boni viri non bene de te opinarentur, si malè uteteris pecuniâ à tuis parentibus relictâ. Quare etiam tibi providendum est, ne vel in cultu splendidior sis, vel in conviviis, ac in cæteris rebus sumptuosior, quàm vel mos paternus, vel dignitas majorum tuorum, vel ipsa facultas ferat. Videmus enim de iis rebus sæpe hujusmodi sermones inter homines haberi, qui famæ detrahant, & plures inimicos, quàm amicos comparent. Sunt enim nonnulli in Civitate, quibus animus doleat, quod bona, quæ Reipublicæ adjumento, commodis amicorum erant ab optimis civibus industriâ, & labore comparata, debeant temeritate, & intemperantiâ adolescentium consumptum iri. Non puto hæc vitia in te esse; sed ea tibi commemoro, quo sis in omni vita tua honestior, & magis abhorreas ab omni immodesto sumptu, & à societate eorum, qui sunt communis divitum adolescentium pernicies. Quantum vero studio meo, aut diligentiâ fieri poterit, famæ tuæ rationem habebo, si quid indignè de te referri audiam. Tu autem dabis operam, ne, cùm ego officium tuum laudavero, ipse aliqua in re bonam existimationem hominum diminuas. Vale.

I.

QUantum omnes necessarios meos ex animo colam, facilè intelliges, si mea studia in illos cogitabis. Chari enim sunt unicuique sui. Sed neminem eorum, quos novi, puto vivere, qui suos majori benevolentia prosequatur, quàm ego

meos. Non possum ergo satis admirari, quod homines quidam possint de me cogitare: quos nec superiora in meos officia, neque beneficia possunt movere, quin mihi detractum vadant. Sed verba, ut video, illis ad alias res desunt: nolunt otiosi esse, & potiùs volunt maledicere, quàm bene loqui. Habeo tamen in hac ægritudine, & molestia animi unum hoc levamen, quod in ea Civitate vivimus, in qua satis utrique noti sumus. Non efficient autem, ut ego à mea consuetudine discedam; & quo magis illis oculi crepent dolore, semper in meos studebo & officiosior, & benignior esse. Quicquid autem studii à te pro me fieri poterit adversùs hujusmodi homines, totum id pro nostra veteri benevolentia suscipies. Vale.

II.

MAgnam ex epistola tua molestiam concepissem, nisi tua in omnes necessarios officia satis omnibus civibus essent perspecta: nunquam enim minus pro tua dignitate, quàm pro mea solicitus fui. Sed, cùm nemo sit, qui non optimè de te judicet, potius arbitror cavendum esse tuæ dignitati ab his, qui ex animis hominum bonam existimationem tuam cupiunt levare, quàm ut tibi sit de tua fama dubitandum. Si verò aliud de te audire contingat, non certè dissimulanter id feram; sed etiam faciam, ut qui ad maledicendum de alio parati venerant, ipsi de se multò pejus audiant. Quidquid autem illi contra te moliantur, nihil est, quod te magnopere perturbare debeat; validior enim opinio est, quam boni homines de te fecerunt, quàm ut possit ab hujusmodi hominibus violari. Vale.

I.

SEmper amicitiam, quæ ex honestate esset, in primis colui; neque aliud quidquam in rebus humanis magis præ me tuli. Nunc verò turpissimum esset hujus sive virtutis, sive consuetudinis rationem negligere, quam sæpe multis rebus, & maximis antepostuissem. Quæ me ad hoc impulerit ratio, dicam; ego enim

enim sic mihi persuasi, aut nullum esse bonum in vita, aut illud esse cum amicitia conjunctum. Quod si tamen studio nostro fieret, non tantum bonum istud admirarer. Sed cùm videam ab ipsa natura omnes homines ad hoc perduci, ac ferè compelli, ut simul vivant, ac seipsos diligant; nemo est, qui hanc rem non divinam judicet. Non tamen æquè omnes ad amicitiam veniunt; sed quo magis quisq; virtute, & ingenio valet, eò se rectiùs, ac meliùs illi accommodat. Videmus enim propter varia hominum studia alios utilitatem in amicis sperare, alios honores: quidam ad illam excitantur, ut habeant, cum quibus se oblectent; sapiens verò omnem amicitiæ fructum in honestate reponit. Ego autem cùm amare nonnisi bonos homines constituissem, cavi, ne aliud sequerer, quàm quod ipsis placere intelligerem. Fui postea semper in ea re tam attentus, ut unum curarem: ne hoc officio à quoquam meorum vincerer. Dicam, quod verum est: homines ut placeant, diligunt. Nunquam magis diligo, quàm dum adversæ res amicis meis succedunt. Etenim, etsi minimè adversa illis optem, tamen illud mihi summum amicitiæ tempus videtur: vel quod tunc magis operam nostram amici expectant: vel quod nunquam potuit quis ex animo amare, nisi cum aliqua inest amicis ægritudo, cui vel mutuo dolendo mederi possit. Faciebat me præterea hæc res in amicitia magis officiosum; quod mihi permittebat non posse ab illis non amari; quos tam diligebam: quæ ratio etsi nonnunquam me fefellerit, nunquam tamen defatigabor in amore meorum; spero enim posse mihi his rationibus multorum hominum animos conciliare. Nam & tu ipse me ad hanc rem sæpe adhortatus fuisti; fecique tanti sententiam tuam, ut nullius magis. Videbis itaque pro tua sapientia, si quis de me aliter dixerit, ut plus amico veteri, quàm hominibus credas. Vale.

Deest Responsum.

I.

NUllum unquam tantum vel periculum, vel laborem putavi, quod pro commodis amicorum fugiendum arbitrarer. Neque est ulla alia res tanta virtute excepta, quam amicitiæ præferen-

ferendam judicem. Id etiam te sentire puto; conjecturam enim de meipso facio. Scis nos eundem præceptorem habuisse; & posteaquam è schola discessimus, nostra amicitia semper cum annis crevit. Sive enim in Republica versaremur, sive in privatis rebus, seu in Urbe, seu rure essemus; semper ut rerum omnium, ita & consiliorum magnam inter nos societatem habuimus. Nullum tamen adhuc tempus fuit, in quo posses amorem meum experiri. Nam cùm omnia tibi secunda fuerint, nihil fuit præter mutuam inter nos conversationem, in quo officium meum desiderares; utinam fortunæ tuæ maneant, nec ullam indignam contumeliam patiaris. Sed ubi aliud rebus tuis accideret, intelligeres, quo in te animo essem. Unum est, quod majorem in modum non solùm te rogo, sed etiam obsecro: ut cùm maximè te diligam, non patiaris invidorum hominum verbis nostram amicitiam divelli; & magis apud te valeat memoria nostræ amicitiæ, quæ usque à pueritia incœpit, quàm oratio eorum, qui maximè student, quomodo possint consuetudinem nostram intermittere. Probo enim, ut non solùm maneamus in amicitia, sed etiam ii judicemur esse, qui à nullo alio, amore, & benevolentia vincamur. Vale.

II.

Quod nostræ amicitiæ commonefacias, magnam certè voluptatem percipio. Juvat enim & nostræ adolescentiæ reminisci, & omnium studiorum, quæ postea in ætate adulta inter nos magno consensu celebravimus. Sed hoc malè à te audio, quod nescio, quid de nostra amicitia videris suspicari, & dubitare, ne ab invidis hominibus labefactetur. Quid alii de hac re dijudicent, non satis scio. Ego verò illam amicitiam, quæ ex honestis officiis contracta sit, altiores puto radices habere, & firmiora fundamenta, quam non dico debeat (nam id quidem certum est) sed ne possit quidem invidiâ, aut detractione aliquorum hominum quassari. Quare, si quam de meo in te animo suspicionem admisisti, quæso, eam deponas; nam cùm cæteris in rebus semel à me susceptis semper voluerim constans videri:

deri: tum id maximè in amicitia servandum putavi. Quid de me judicaturus sis, pro tua prudentia, ac humanitate prospicies. Quod autem ad me attinet, dicam: nunquam certè magis te ex animo colui, quàm hodierno die. Prætermissis ergo hujusmodi suspicionibus, finem faciamus, & quod ad me scribis, studeamus vehementer, ut omnes homines benevolentiâ, ac amore vincamus. Vale.

I.

MUlta sunt, quæ à me magno prosequenda studio censeam; sed nulli rei majorem operam do, quàm ut omnes, qui me amant, planè intelligant se non minus à me diligi, & observari. Quid tibi usu accidat, nescio: concipio tamen bene de te; sed vide ne opinionem meam fallas, turpissimum enim esset eos non amare, à quibus maximè diligeris. Hoc, quale sit, brevi cognoscam in causa Pomponii, qui tuus necessarius est, & verus amicus. Hunc si deserueris, nemo ex tuis erit, qui à te non abalienetur; sed ego maximè, qui te propter illum amare cœpi. Puto non patiêris nos mutare sententiam, nec aliter quàm olim de te opinari. Facies enim uno tempore omnium ferè amicorum tuorum jacturam, qualem nondum expertus fuisti: quod ne tuo vitio accidat, etiam, atque etiam te rogo. Vale.

I I.

SI causa Pomponii jure defendi poterit, nihil omittam, quod in rem suam futurum sit; sin autem iniqua erit, neque ejus necessitudo, neque ejus familiaritas, quæ mihi vetus est cum illo, plus apud me poterunt, quàm æquitas, & justitia. Quod autem omnium ferè amicorum, ut scribis, facienda sit à me jactura, nisi commodis illius obtemperavero, non puto eò me indignitatis perventurum: ut quos virtute, & honestis officiis comparavi, eosdem rectè faciendo amittam. Quo verò animo, si à me præter sententiam animi tui judicatum fuerit, sis eam rem laturus, tuum erit cogitare. Nam quantum ad me attinet, ego bene

bene de te judico; nec arbitror te pro Pomponio quicquam, nisi quod bonum sit, & æquum, rogare. Hanc rem, quo animo sum in omnes affectus, etiam sinè cujusquam precibus, ultro eram illi præstaturus. Vale.

I.

POsteaquam togam à patre sumpsi, nullam ego rem putavi majori studio custodiendam, quàm ut adversùs eos gratus viderer, à quibus plurima, & maxima beneficia suscepissem. Nolim igitur illis credas: qui ut animum tuum à me removeant, conantur tibi persuadere, nunquam me habiturum tuis beneficiis gratiam. Ita enim vitam institui, ut ab iis, quibus aliquid deberem, nunquam possem jure accusari; sed quoniam id maximè apud te contendunt, ut eis fidem habeas; quàm maximè vellem, ut te præsente de hac re inter nos disceptaremus. Nisi enim illos refellero, ut se facti sui peniteat: nihil est, quo in cæteris rebus velim mihi fidem haberi. Vale.

II.

QUod in referendis gratiis semper attentus fueris, facis rem & tuis majoribus, & te dignam. Nec est, quod aliter quisquam adhuc mihi de te retulerit. Nescio an tu malè ab alio intellexeris: aut quæ ego ignoro, tu fortè me ipso melius scias. Si verò aliquo signo conjecturam facies, me de tua in me nunc gratia dubitaturum; mallem hoc in præsentia, quàm literis à te audire: quod si feceris, non permittam te in hoc errore diutiùs esse. Vale.

I.

ETsi de meo in tuos necessarios animo satis perspectum tibi credam; non tamen possum facere, quin aliquid de meo ad te officio scribam. Gaudeo enim tibi omnia facere communia, quæ à me summa cum voluptate gesta sunt. Cn. Apulejus homo

homo tibi familiaris, cum vi tempestatis in portum nostrum appulisset; essetque legum, & consuetudinis patriæ nostræ ignarus, injussu Quæstorum nostrorum merces ex navi sustulit: quæ cum à publicanis interceptæ jam essent, ipsa res jam planè ad confiscationem spectabat. Nec dubium erat, quin hastæ subjicerentur. Sed cùm illic fortè adessem, cœpi, quis nam esset, percunctari: quod postquam intellexi eum ex tuis necessariis esse, statim ad Prætorem accessi, ignorantiamque hominis peregrini allegavi: quo die id obtinui, ut confiscatio suspenderetur. Postera verò die cum amicis meis accessi ad judices, quibus à Prætore cognitio huiusmodi causæ mandata erat. Docui non posse nostris legibus, quod per ignorantiam contractum esset, tanquam dolo factum convinci: multos habui in causa tui amici adjutores. Dimisimus itaque hominem illum, salvis rebus suis, à quo meliùs intelliges, quanto studio usus sim in suo periculo. Hæc libenter ad te scribo, ut scias omnes, qui tibi amici sunt, maximè etiam à me coli. Vale.

II.

PRidem, quàm literæ tuæ mihi darentur, Cn. Apulejus diligenter mihi exposuit te omni officio, atque benevolentiâ in se usum esse; nec te prius conquievisse, quàm se restitutum in integrum vidisses. Ego verò, etsi maximam ex iis, quæ mihi retulit, voluptatem recepissem; tamen magnus amoris cumulus ad priorem benevolentiam accessit, cùm idem posteà tuis literis significari mihi intellexi. Amo enim maximè Cn. Apulejum; nam utor eo familiarissimè; & est ea virtute, atque modestiâ, ut nemo sit, cui non debeat suo merito charissimus esse. Cogita ergo quanti faciam, quòd nullum à te officium sit pro eius defensione prætermissum. Cupio aliquid accidere, quod in tuam rem, non id, ullo pacto, cum tuo incommodo venire vellem, in qua re possem tibi gratiam referre. Spero, intelligeres, nihil me ullo tempore, maiori studio suscepturum, quàm ut gratiam, quam tibi immortalem habeo, re ipsa probarem. Si quid autem cognosces, in quo mea opera possit tuis prodesse; id maximè impetra-

tum iri à te patiaris: ut quo in Apulejum nuper officio fuisti usus, eodem pro tuo jure velis me in omnes tuos uti. Vale.

I.

QUanquam futurum putassem, ut studium meum, & curam, quam pro tua salute suscepi, magis in te posset cumulari; incredibile est, quantum singuli dies meo in te amori adjiciant. Nam, postquam te amare cœpi, nullum tempus fuit, in quo non hoc de te cogitarem, & sermonem de te sæpe haberem. Si quando aliquos tibi familiares convenio, quibus cùm velim, quâ prudentiâ,& humanitate sis, apud illos commemorare; sentio meum in te amorem duplicari, & longè, plusquam credi potest, meam in te benevolentiam augeri. Quoties enim mea in te officia, quæ quotidie sunt majora, animo considero; ea res pristino amori meo tantum adjicit, ut jam te magis, quàm oculos meos diligam. Nullum itaque mihi finem amandi te facio; nec aliud est, quod magis cogitem, quàm ut tibi, & hominibus satis gratus in te videar. Sed tanta sunt in me tua merita: tantus tuis beneficiis cumulus accessit, ut non dico ad referendam gratiam, sed ne satis ad dicendum quidem, meo judicio, par tibi esse possim. Illud autem magis pro tua natura, quàm merito meo considerabis: quanto affectu, atque benevolentiâ, non quibus facultatibus, ad referendam tibi debitam gratiam magno animo, ac studio paratus sum. Vale.

II.

NImis in me officiosus es, nimis grato animo, cùm plura meis in te beneficiis attribuis, quàm jure mihi attribuenda cognoscam. Nullum enim est tempus, in quo non majorem gratiam attuleris, quàm priùs à me acceperis: aut non aliquo tuo, vel insigni facto, vel egregio dicto, me ipsum antecesseris. Sed hæc est tua humanitas, ac summa in omnibus rebus modestia: beneficia, quæ ab aliis acceperis, magnificare: tua, aut nulla, aut perexigua putare. Quod autem amor tuus, qui meo judicio ad summum pervenerat, quotidie major fiat, plurimo certè gaudio, lætitia-

tiàque afficior. Quid enim poteſt eſſe, quod magis me in amicitia noſtra delectet, quàm te nullum modum ei rei facere, in qua nihil unquam nimis eſſe poteſt? Patior ergo facere illud judicium, quod de me feciſti: modò ea res ſit, quæ tibi perſuaſerit, nullum tuæ in me benevolentiæ oportere finem conſtitui. Quantum igitur animo contendere poteris, tantum me amabis. Idem etiam ego de te facere propoſui, & huic uni rei maximam operam dare: ut non minus à me amari judices, quàm ego tum multis aliis ſignis, tum etiam his literis tuis, vehementer à te diligi, atque obſervari judicem. Vale.

I.

CUm te valde ſemper amaverim, nunquam tamen magis optavi, quàm hoc ipſo tempore, officioſus in re tua videri. Ita quidem ratio negotiorum tuorum poſcebat. Nam niſi pedibus, & manibus elaboraſſem, ut meliori loco res tua eſſet, certè de tuis fortunis actum erat. Nunquam ſolicitus de te eſſe deſtiti, donec omnia tua in tuto collocavi. Conveni amicos, ſponſionem pro te feci, argentum numeravi, cauſam tuam egi; ipſos denique adverſarios tuos de omni ſpe ſua dejeci; multaque, quæ jam perturbata, & confuſa erant, labore meo, atque induſtria in ſedem ſuam, ac loca reſtitui. Is autem exitus cauſæ fuit, ut omnes adverſarii tui, fracto animo, & magna cum indignatione ex ipſo judicio, ac lite cederent; ſententiam autem, quam pro te judices tulerunt, per hunc tabellarium ad te mitto, à quo meliùs omnia diſces, quæ à me tuo in negotio geſta fuerunt. Hæc tibi nota eſſe volui, quo meus in te animus meliùs perſpectus eſſet. Vale.

II.

SOlicitudinem tuam, ac ſtudium, quo in cauſa mea uſus fuiſti, & laudo, & admiror. Sed longè magis ipſe animus, quo uteris, delectat me; nihil enim video, quod ad hanc tuam in me benevolentiam addi poſſit. Utinam poſſim, quantas habeo tibi

gratias, aliquando re ipsa referre. Sed hoc tibi persuadeas velim, memoriam tuorum in me beneficiorum futuram sempiternam. Quantum tamen animo eniti potero, tantum efficiam, ut de nulla re sæpius cogitem, quàm ut ea semper faciam, quæ te velle, atque expetere intelligam. Cæterum fortunæ, aut imprudentiæ assignabis, si quid erit, in quo tuis immortalibus in me officiis, quantum oporteat, satisfacere non videar. Vale.

I.

Libenter in omnibus negotiis, quæ pertinere ad te cognosco, omnem laborem meum, curam, atque studium consumo. Neque hæc à me scribuntur, ut velim ullam à te mihi gratiam deberi: qui tuo merito jamdudum omnia debeo. Ita enim de me es meritus, ut nihil tantum sit, quod pro te suscipere, ac pro te profiteri non debeam. Si quid ergo est in tua re, quod à me fieri possit, id in solutum, non antecessum accipies. Cogita nullam rem tam arduam esse, quam non putem esse levissimam: modò intelligam aliquod officium meum tibi prodesse. Fac igitur, ut sæpe de rebus tuis ad me scribas, nec permittas me esse otiosum. Tunc enim à te me maximè diligi putabo, cùm magnum aliquid, quod in tua re sit, persæpe mihi imposueris. Vale.

II.

Quæ ad me de tuo amore scribis, usitata sunt, & jam antiqua. Quando enim tempus fuit, in quo negotia mea pluris non feceris, quàm tua. Novam tamen semper voluptatem percipio, quoties de tua benevolentia aliquid audio; nec minorem animi jucunditatem ex tuis literis percipio, quàm si de iis rebus inter nos commentaremur, de quibus ad me scribis. Non nego, quin tua præsentia multum voluptatis mihi afferret. Sed nescio quomodò evenit, ut nostræ cogitationes magis obtusæ videantur: cùm eos ipsos, quos diligimus, intuemur, quàm dum, illis absentibus, eorum de nobis studia, sermones, & consilia nobiscum ipsi cogitamus. Puto hoc ideo nobis accidere, quod nostri

ftri affectus habent aliquid majus,aut nobilius,quàm nostri sensus possint attingere; possidentur quidem animo, ubi etiam sunt reconditi. Rem itaque mihi pergratam facies; si quoties habebis, cui possis tuas epistolas committere,semper aliquid ad me scribas. Toties enim tecum esse videor, quoties tuas literas lego. Nec permittam amicitiam nostram esse otiosam; si quid accidat, in quo vel tuâ mihi possis operâ prodesse, vel ego tibi meâ. Vale.

I.

NEminem hodierno tempore vivere puto, qui me uno infortunatior sit. Tanta enim me circumstant incommoda, ut nullum ego illis exitum videam, nisi quem mors mihi attulerit. Nam ego ita miser sum, ut jam nihil omnino habeat fortuna, ubi possit me ferire. Amisi patriam,in qua diu cum honore, & dignitate florui: paternis bonis mihi interdictum est: socios, quos in Republica habueram, vis bellorum civilium absumpsit: omnes, qui amici fuerunt, aut perierunt, aut in eadem calamitate mecum sunt. Quid amplius restat mihi misero, nisi ut tot malis morte finem imponam. Crede mihi non solum consilio careo, sed etiam amens factus mihi videor. Relevabam olim mihi ægritudinem animi, aut aliquid legendo, aut scribendo; nunc autem nullæ prorsus artes sunt, quæ me delectent: desidero maximè præsentiam tuam. Spero aut dolendo mecum, aut consolando, aliquod solatium in tanto mœrore meo mihi afferes. Vix posset fieri, quâ prudentiâ semper, ac sapientiâ fuisti, quin aliquod mihi à te esset consilium, quo minus acerbè omnia perferrem. Quare, cùm primum potes, contende, ut huc accedas; aut si te occupationes detinent, aliquid ad me scribas. Putabo enim me, cùm fueris præsens, aliquam huic morbo; si qua est, quæ possit afferri; medelam invenisse. Vale.

II.

TAnto me dolore literæ tuæ affecerunt, ut ego ipse maxima consolatione egeam; nam ut semper in rebus lætis nostri sensus conveniebant: ita, posteaquam illa perturbata, atque abje-

abjecta sunt, quibus diu inter cives tuos florueras; non minorem animo perturbationem sentio, ac si omnia rebus meis accessissent: quanquam quid potest magis dici meum, quàm quod tuum est? Habes ergo me magis tuarum ærumnarum socium, atque participem, quàm consolatorem. Sed, ubi ea mihi vis ingenii esset, aut magnitudo, qua te possem, aut literis, aut præsentiâ meâ consolari; uno certè, & eodem tempore aliquod auxilium utrique nostrum simul attulissem. Verùm nec per me satis valeo, neque ad hanc rem idoneus magister unquam fui. Quod facilè possum, hoc perficiam: diebus proximis ad te accedam, & si dolendo mœror levatur (quamvis hoc genus consolationis peralienum sit) nihil in tuo dolore minuendo prætermittam. Interim autem consilium aliquod à literis, & Philosophia mutuaberis, & memor eris te Marcum Lælium esse. Cùm enim ferè omnium hominum, qui hac nostra ætate vivunt, unus habearis sapientissimus; cogita, quàm id conveniat expectationi eorum, quibus notus es, te dolore vinci: qui semper prosperam fortunam modestè tuleris. Hæc à me non scribo; sed cùm oculi multorum in te conjecti sint, sæpe hominum sermonem de te haberi audio. Ego verò illud respondeo, non posse te non sentire tantam calamitatem ac jacturam rerum; sed tamen omnia, pro tua sapientia, æquo animo feras; neque consilium tibi abesse puto, neque remedium, quo huic ægritudini medearis. Facies ergo, quod ego in hoc tuo dolore maximè cupio. Stabis animo erecto, & perferendo vinces fortunam, quæ te priùs vicit. Si hoc feceris, majorem certè gloriam ex tua victoria, quàm ex omnibus rebus jacturam referes. Vale.

I.

TAntis incommodis hoc tempore afficior, ut neque auxilium mihi sit, neque spes, neque consilium. Tu, si quid habes, quo hanc meam ægritudinem possis levare, fac, ad me scribas: quanquam quid potest esse, quod à te possit mihi in tantis malis afferri? Excessit enim vis hujus mali omnia studia humana, & remedia; & eò loci res meæ pervenerunt, ut (quod ajunt) ne ipsa quidem salus, etiamsi velit, possit me iis malis eximere. Tentabis

bis tamen; & si quid erit, quo mihi possis opem aliquam afferre, nihil omittas. Narrarem hoc loco tibi, quo in statu essem: nisi & dolor me præpediret, & is esses, qui fortunam meam satis noscetes. Plura tamen ad te præ lacrymis scribere non possum; sed tu officio tuo, ac pietate in me fungere. Vale.

II.

MAllem te posse aliquo auxilio, quàm consilio juvare: quæ facultas si mihi adesset, certè nulla res meam in te benevolentiam, ac pietatem impedisset. Sed posteaquam id, quod maximè in tua adversitate optabam, à me non potest fieri; id ad te consilium meum scribo, quo ego sæpe in rebus meis adversis usus fui. Cùm enim aliquando in simili fortuna fuissem, ut aut præceptis hominum, aut Philosophorum, aut consolatione amicorum dolorem meum levare non possem; longè à conspectu Civitatis, & earum rerum, quibus privatus fueram, discessi. Nam eæ res solent, cùm aspiciuntur, nimis exacerbare animum, & revocare desiderium prioris fortunæ. Cœpi igitur vitam in solitudine agere. Videbam multa, quæ natura produxisset, suis rebus contenta, nec sibi invidêre. Cogitabam turpissimum esse homini, qui rationis, ac divinitatis particeps esset, non posse consilio naturæ acquiescere. Illud autem esse nefandum, non putare se posse præstare inter homines, nisi iis rebus ornati essemus, quæ neque naturâ sui excellunt, & ad improbos uberiùs plerunque, quàm ad bonos veniunt. Confirmavi equidem animum meum iis rationibus, atque exemplis; &, qui nulla prius ratione perturbationibus meis remedium invenire poteram, ita omnibus curis levatus fui: ut non tantum mœrorem meum deponerem, sed etiam judicarem aliquando me feliciorem, quia prioribus opibus tanquàm aliquibus impedimentis ad bene vivendum exemptus essem. Si ergo volueris tecum attentiùs judicare, non video, cur non sis magna ex parte tot malis tuis, ac molestiis magnum aliquod remedium allaturus. Nam bene de te spero; & si paululum dolor iste tuus se remiserit; tanto faciliùs iis remediis usurum te judico, quanto magis cæteris hominibus virtute, ac sapientiâ præstas. Vale.

I. Eò

I.

EO res meæ perductæ ſunt, ut jam pluribus incommodis vitæ affectus ſim, quàm vel ipſi etiam inimici mei ſperare auſi ſunt. Non habeo, ad quem potius me convertam, quàm ad te ipſum: qui me valde amando id feciſti, ut ſolus in me conſolando, magis apud me valeas, quàm cæteri omnes amici. Nemo etiam eſt, qui vel ſapienter providendo, vel conſtanter defendendo, plus te uno in hac noſtra Civitate poſſit. Videbis ergo, quis exitus fortunæ meæ ſit. Omnis quidem ſpes mea in te ſolo eſt poſita. Suſcipe ergo hanc pro me curam, nec aliquid inexpertum relinquas. Cogita; ſi me potes eximere ex iis malis, quibus ſine fine diſcrucior; majorem me tibi habiturum gratiam, quàm parentibus meis, à quibus vitam accepi. Erit autem ea res tibi maximæ gloriæ, ac honori; ſi potentiam, quæ tibi eſt maxima à fortuna tributa, ad ſalutem amicorum tuorum contuleris. Propiùs ad Deum certè nemo poteſt accedere, quàm iis hominibus conſilio, & auxilio adeſſe: qui non ſuo vitio, ſed hominum invidia, & calamitate premuntur. Vale.

II.

ETſi literas tuas ſemper attentè lego, tamen etiam ſinè illis ſatis de tuo caſu admonitus eram. Quod autem non te officio meo prævenerim, non mea culpa, ſed temporis fuit. Cupiebam enim præoccupare literas tuas; & efficere, ut priùs te juvari in iis tuis moleſtiis animi tui ſentires, quàm audires. Sed cum id malignitate hominum à me perfici non potuerit; curabo, ut non minori ſtudio te defenſum à me intelligas, quàm ſi de mea ſalute, ac de fortunis meis ageretur. Turpe quidem, & non ferendum eſſet: quod ego, qui ſemper innocentes homines in eorum cauſis defendi, paterer hominem, qui ſumma familiaritate, ac benevolentiâ mihi devinctus ſit, meo præſidio, meaque protectione indefenſum eſſe. Bono itaque ſis animo, & tibi perſuade, me potius omnia incommoda perpeſſurum, quàm fortunas tuas, & eam ſpem, quam de me concepiſti, relicturum. Vale.

I. Ma-

I.

MAjora sunt incommoda mea, quàm ut eis quisquam possit mederi. Unum tamen habeo in iis malis remedium, quòd ea non sunt à me diu perferenda: spero quòd mors me citò ab iis solvet. Quid enim est, quod jam vivere me delectet, aut cui spei me reservo? Si enim omnes homines simul adniterentur, vix mihi possent esse auxilio. Sed hoc in his malis meis fruor solatio, quòd sine cujusquam hominis injuria vixi: nemo est, qui infamiam objicere potest. Quòd si eorum similis esse voluissem, quibus maximè dissimilem esse studebam, fortassis huc loci non pervenissem. Sed eant res, ut velint; nunquam me pœnitebit, neque dolebo, quòd bene faciendo multorum hominum invidiam contra me excitaverim. Ipsi videant, quàm iniqua ratione tot mei casus adversi eorum odia paraverint. Componam ergo me ipsum; & quamdiu mihi vivendum erit, cavebo, ne virtutem, si qua in me fuerit, cum fortuna amiserim. Sentio non posse me diu hujusmodi malis conflictari; nam eò ætatis perveni, ut in prosperitate viventi non multum possit mihi vita protendi. Nolui te ærumnas meas ignorare: qui, si quid unquam jucundi in vita habui, semper mihi conscius fuisti. Vale.

II.

NIhil minus optabam, quàm ut in ista ætate, in qua es, tot mala nunciares. Nunquam ista tibi esse ventura quisquam potuisset mihi persuadere. Cùm enim memoria repeto nemini unquam te nocuisse, multis autem, vel consilio, vel opibus tuis te auxilio fuisse; maximè admiror, si hanc fortunæ contumeliam satis constanti animo ferre possis. Quis enim non molestissimè ferret, se post multos labores, ea ætate, omnia turbulentissima experiri, quàm decebat omnis otii, & tranquillitatis portum esse? Doleo equidem de te, & aliquanto acerbius hujus tuæ calamita-

tis indignitatem fero, quàm tu ipse: perferremque molestiùs, nisi eam in te virtutem cognoscerem, quæ tibi satis præsidii afferat. Nam, & quo animo sis cùm superior vita demonstret, tamen id ipsum maximè ex tuis literis cognovi. Rectè enim judicas, nullum malum oportere magnum videri, quod breve futurum sit. Si quid est, quod aliquam animo acerbitatem afferat, id puto esse, quod mala, quæ nobis accidunt, non expectata fuerant: quanquam pro tua sapientia illud judico, nullum tempus fuisse, in quo non prævideris nihil in iis rebus fluxis existere, quod sit firmum, aut stabile. Utêris ergo iis remediis hoc tempore, quæ multis annis ante comparasti. Quid tibi consilii mei afferam, non habeo, cùm ipse in omnibus rebus meis tuo semper usus fui. Fortunas meas, liberos, ac me ipsum libens tibi offero: idque te maximè oratum volo, ut omnia in bonis tuis numeres. Vale.

I.

QUàm grave mihi sit in senectute propter inopiam servire, facilè potes ex te, & aliis conjecturam facere. Sed hoc inter nos refert, quod tu paupertati assuetus es; ego verò, cum in maximo splendore, & abundantia fortunæ semper vixerim, non possum jugum illud perferre. Cæteris fortasse rerum prosperarum memoria molesta est; ego verò non solùm hoc malo crucior, sed etiam cum hujusmodi incommodorum nunquam experiens fuerim, eò minùs patientiam possum habere. Utinam in hac miseria natus essem: aut quàm beatè vixerim, nunquam meminissem. Vide quot incommoda me circunstant. Olim opes nedum mihi, sed omnibus familiaribus, & amicis meis abunde suppeditabant; nunc verò cogor præsidium ab aliis expetere. In conspectu, & in ipsis oculis hominum cum magna dignitate, ut nosti, versabar; nunc aspectum civium meorum non possum sustinere. Quid mihi credis animi esse, cum hospites meos, quos aliquando splendidè excepi, nunc propter paupertatem, & inopiam meam non audeam aspicere? Pudet calamitatem meam illis confiteri; mendicare autem apud eos, quibus ipse multa so-

lebam

lebam erogare, nimis erubesco. Est ergo mihi sæpe animus ignotas terras quærere, ubi me inter non notos recondam; & certè, nisi rebus meis alius status sit, brevi illud facturus sum. Sed tu, qui semper omnem fortunam meam communem tibi duxisti, si quid habes consilii, me juvabis. Vale.

II.

Quid tibi consilii mandem, non satis habeo, cui pro diuturnitate malorum meorum non suppetit, qualiter ipse mihi medear. Paupertas, ut ad me scribis, uni tibi gravis est, quia non es assuetus egere. Illud verò mihi nimis est molestum, quod eam spem amisi, quæ, dum vulnus recens erat, finem malis meis citò promittebat. Tu autem adhuc es in ea spe, à qua ego jam excidi; sed ubi te malis miseriorem dici, facilè sic concedam: modò non neges me longè majori paupertate premi, quàm ego perferre possim. Si te potest societas miseriæ meæ levare, satis præsidii habes: quanquam ego nunquam sententiam illorum probaverim, qui illud dicunt, minùs urgere mala, quæ multos socios habeant; mihi verò multo minora mala mea viderentur, si neminem socium haberem. Hoc autem nimis malè me habet, quòd amici mei mihi non possunt auxiliari. Quid sis acturus, meliùs disces ab iis, qui animo tranquillo sunt, quàm ab homine, cui fortuna cùm opes auferret, simul consilium abstulit. Illud possum ad te scribere, omnia priùs à te esse tentanda, quàm à tuis discedas. Vale.

I.

Quo in statu fuerim, aut in quo positus sim, non te puto ignorare; illud autem me perturbat maximè, quod neque animus, neque consilium est mihi, quo possim me juvare. Non sum enim sic à natura institutus, ut dolorem meum possim dissimulare; nec sub iis præceptoribus educatus, ut paupertatem meam fortiter pati possim. Scis quàm molliter fuerim à parentibus meis nutritus. Nunquam sperare poteram hunc indignitatis per-

perventurum, ut his opibus deciderem, quæ magna virtute partæ essent, & omnibus bonis civibus prodessent. Sed mea consilia fortuna fefellit, & illum florentissimum statum meum, in quo diu beatè vixi, ab inexpectato discussit. Credebam, aut aliquando iis adversitatibus finem esse: aut, quod trito proverbio dicitur, tempus hominibus ægritudinem adimere. Sed utrunque falsum experior. Nam & ira fortunæ semper recrudescit, & quò diutiùs iis incommodis, atque molestiis conflictor, eò semper me deteriùs habeo. Pudor autem in primis mihi obstat; nam si fortè amicis meis me ostenderem,& meam confiterer inopiam, multa ab illis venirent præsidia. Tanta confusio animum tenet, ut potius malim inopiâ perire, quàm paupertatem meam detegere. Nosti, quàm durum sit homini non ignobili, & qui sit animo ingenuo, supplicare alteri. Vix quidem induci potui, ut has ad te literas darem, qui mihi summè familiaris es; sed tua fides, ac benevolentia omnem meam cunctationem discussit. Tu pro nostra amicitia etiam, atque etiam videbis, si quid erit, in quo apud nostros amicos juvare me possis; illud enim ego pro nimia verecundia facere prohibeor. Vale.

II.

Legi nuper literas mihi à te missas, ex quibus magnam sanè perturbationem accepi. Sed tibi subirascor, quod tardè ad me de summa inopia tua scripsisti; nam judico, si hoc à me tempestivè rescitum fuisset, cum amicis nostris operam dedissem, ne tam gravis, & molesta esset tibi paupertas tua. Sed, ut video, & ut ad me scribis, pudor fuit tibi impedimento; & est commune nobilitatis vitium, quod non minùs grave sibi est alteri propter inopiam supplicare, quàm egere. Tibi ergo imputabis, si amicis ignorantibus diutiùs, quàm oportebat hanc molestiam perpessus fuisti: quantum in me est, curabo, ne in posterum sis amplius in iis incommodis, in quibus adhuc fuisti; idque tantâ modestiâ perficiam, ut neque tibi verecundiam ullam incutiat, neque amicis negligentiam. Mitto ad te paucas pecuniolas, donec melius per me, & amicos nostros providebitur. Noli quæso de amicis tuis desperare. Ego, ut de me ipso dicam, constitui, ut nul-

ut nullo pacto, me abundante, illa te rerum familiarium inopia laborare sinam: idem omnes, qui te prius amabant, sentire de te judico. Vale.

I.

SI vitio meo, quod multis accidere video, ad inopiam redactus essem, aliquanto fortunam meam æquiori animo perferrem: sed, cum omnia præter mea studia bene multis faciendo adversa ceciderint, non satis possum acquiescere. Nunquam inducere animum potuissem, ut ab illis male acciperer, in quos ego semper frugi, ac liberalis fuissem. Quæ à me extant in cives nostros beneficia, & officia, satis nosti; qualiter verò in me grati fuerint, hoc tempus maximè docuit. Cùm enim homines, quos mihi pro communi salute inimicos feceram, in me conspirassent, subornassentque Judices, & falsos contra me testes instruxissent; quis meorum jus meum defendit? aut quis tueri dignitatem meam voluit? Sed meritò illud evenire sentio, ut illos ingratos experiar, in quibus diligendis nulla de me ratio habita fuerat. Scio enim, ac verum esse intelligo, quod in veteri proverbio est: omnes, qui aliorum causa in laqueum incidunt, suo periculo se exsolvere. Quod si res mihi in integrum rediret, facerem profectò, quòd vicem hanc dolerent. Interim ego pœnam pendo; sed hoc nihil ad eos. Scripsi hoc ad te, non quo in re desperata tuum consilium, ac præsidium expectem; sed qui levare dolorem mihi videor, cum de meis incommodis tecum loquor. Vale.

II.

NOn de re nova ad me scribis, nec mihi ignota, quoties hujusmodi fortunæ indignitatem credis, & me ipsum, & item alios sæpenumero cives, & graves, & egregios præter bonum, & æquum sustinuisse. Quanquam hæc calamitas nostra nihil ad eam; tamen fit, nescio quomodo, ut mala, quæ in Civitate sunt usitata, nos minus premant. Malò tamen à sapientia

tua

tua huic perturbationi mutueris auxilium, quàm à regulari consuetudine; nam illud scio futurum, ut nulla res magis tuam ægritudinem levet, quàm quod nihil horum tuo merito tibi acciderit. Et longè sententiam, in qua modò es, mutabis; si majorem de moribus tuis, quàm de turbatione, quæ adhuc recens est, rationem habueris. Quod verò in re desperata, nec præsidii, neque consilii causa, ad me scribis; sed quia juvat te de incommodis tuis mecum loqui; facis rem inter amicos usitatam: idem ego facere soleo, quoties animo discrucior. Majorem quidem partem molestiarum mearum deposuisse mihi videor, cum amicis meis omnem perturbationem aperui. Hoc gaudeo plurimum, & tibi gratias habeo, quòd me ex multis delegisti, apud quem curas tuas deponeres; nam cum pluribus aliis signis, tum etiam isto, me valde à te amari judico. Cætera, quæ ad consolationem tuam pertinent, tu ipse meliùs, ut spero, tua virtute, quàm meis literis prospicies. Vale.

I.

SI ullum inopiæ meæ finem, aut præsidium futurum sperarem, nihil tam durum esset in hac mea fortuna, quod non magno, & inconcusso animo perferrem. Sed, cum multa prorsus me spes habeat, quid est, quod in vita diutius manere cupiam. Solebam annos meos à die natali sæpe numerare, ut intelligerem quantum temporis secundum naturam mihi restaret. Tunc maximè vivendi cupidus eram, quia tum nihil erat, cur vitam accusarem; nunc verò nihil mihi prolixius annis videtur. Alii morbos, ac mortem magis timent, quàm sapienti conveniat; sicut in tempestate, & cupiunt, rebus amissis, ex naufragio evadere. Si percussor telum jugulo admovit, miserabiliter exorant, ut vitæ suæ misereatur; ego verò, quæ isti horrent jam desiderare incipio, nec aliud majus inter molestias meas notum est mihi, quàm ut citò extinguar. Sed quid hæc ad te scribo, qui me, nisi dolendo mecum, non potes juvare? & hoc uno miserior sum, quo etiam te miserum video. Quod me diligis, non parvum affert mihi inter has molestias solatium; quod autem præter illum dolorem,

rem, quo affligeris, etiam te in partem doloris mei traham, nimis ægrè fero; sed pro tua modestia, quæ summa est, fortiter ægritudinem meam feres. Vale.

II.

QUid ad te scribam nescio, qui ita perturbato animo sum, ut neque ratio, neque consilium in me ullum sit. Malè enim alteri potest consulere, qui ipse maximè consilio indiget. Quod possum facilè tibi præstare, hoc polliceor, dolere tecum, pariter & accusare fortunam, quæ nostras res adversas reddit. His ego remediis possum te juvare, si ea sunt appellanda remedia, quæ animum ægrotantem incurabilem reddunt. Mallem tamen potius ad virtutem tuam recurreres, quàm exemplo hominis amentis utereris: ut ego remedium, quod nullum ex me ipso video, ex te qui sapientior es, possim mutuari. Nullus enim hodie vivit, qui huic morbo meo, qui jam ab initio inveteratus est, faciliùs quàm tu ipse, mederi possit: quod si feceris, duos simul uno, & eodem remedio curaveris. Vale.

I.

QUo me credis animo esse, cum fortunas meas ab omnibus amicis destitui intelligo? Quæ res ita me perturbat, ut mihi ipsi immutatus esse videar. Non expectabam, ut qui officio meo illos juvissem, nunc simul ab his omnibus destitutus essem. Sed eæ sunt nostrorum civium artes: cùm res nostræ secundæ sunt, omnia ultro polliceri, certare verbis de summa benevolentia, de fide, de constantia cum iis, qui nos verè amant; si verò ventos mutatos esse videant, rationem fortunarum suarum, ac liberorum potius, quàm amicorum habendam esse dicunt: nihil de antiquis officiis, nihil de beneficiis acceptis cogitant; & quos sine periculo tueri possent, facilè patiuntur à se desertos esse. Hæc te admonere possunt, si prudens es: ne, dum tuæ res adhuc sunt prosperæ, hujusmodi amicos tuo incommodo tibi compares. Nemo te melius potest docere, quid sit hoc tem-

pore

pore cavendum, quàm ego, qui meo periculo prudens factus sum. Vale.

II.

MAllem incommodis aliorum, quàm tuis admoneri, qui semper me valdè amasti. Sed posteaquam res ita se habent, ut (quod minimè optabam) sis ab amicis tuis desertus, qui à te sæpenumero defensi fuerunt; cautior in meis rebus ero, nec majorem rationem amicorum habebo, quàm commodorum meorum. Quod si homines ea integritate vitæ, & constantiâ essent, qua olim fuerunt, nulla arbitror tanta incommoda pro amicis essent fugienda; nunc verò, cum in amicitia utilitatem propriam, aut delectationem aliquam magis, quàm honestatem sequamur, omnia videntur mihi ad tempora, in quibus sumus, referenda. Illud autem cavebo, ne quis amicorum vincat me suâ benevolentiâ, aut officio; &, si illud mihi accidet, ut ab aliquo me verè intelligam amari, nullum ego modum officiis meis, aut amori in illum faciam. Sed, ne ab omnibus te desertum esse judices, ego, quem fortè in numero amicorum non habebas, polliceor tibi operam meam; & quod illi non sine scelere neglexerunt, ego paratus sum defensionem tuam suscipere. Tu verò admonebis, quibus adjumentis opus tibi sit, & ego neque pecuniâ, neque consilio tibi deero. Vale.

Finis Primæ Partis.